UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

urn:nbn:de:hbz:466:1-67627

Visual Library

Jh 5778

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURY
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE DEFINITORE PROVINCIALI
EX PROVINCIA BAVARICA CARMELITARUM
DISCALCEATORUM, OLIM S. THEOLOGIÆ
AC SS. CANONUM LECTORE
CONTINUATA.

CONTINUATIONIS
TOMUS
QUADRAGESIMUS SECUNDUS,
SEU IN ORDINE
TOMUS LXVI.

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Impensis Officinæ Librariæ JOSEPHI WOLFF.
MDCCLXXXI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CCXI.

§. 1. *Antonius Pignatellus Cardinalis in Papam electus assumpto nomine Innocentii XII.* Pag. 1

§. 2. *Hujus Pontificis gesta ante Pontificatum.* 6

§. 3. *Jansenistæ ab ementito Arnaldo delusi.* 8

§. 4. *Septem propositiones de Gratia a ficto Arnaldo fabricatæ.* 10

§. 5. *Lignii & aliorum judicium de hisce propositionibus.* 14

§. 6. *Aliæ horum trium Doctorum propositiones.* 20

§. 7. *Doctorum Theses ac propositiones a Sorbonæ & Navarræ Theologis censuris perstrictæ.* 25

§. 8. *Hi Doctores Regis jussu in exilium amandati.* 29

§. 9. *Varia consilia pro componendis religionum dissidiis.* 30

§. 10. *Quædam Carteſianæ opiniones juſſu Franciæ Regis a Pariſienſi Univerſitate proſcriptæ.* 33

§. 11. *Euchariſtiæ articulus a Patriarcha Conſtantinopolitano rurſus ſtabilitus.* 36

§. 12. *Rex Franciæ ubique victor.* 37

§. 13. *Turcæ apud Salankemeni oppidum a Cæſareis ingenti clade protriti.* 40

§. 14. *Julii Spinolæ Cardinalis obitus.* 43

§. 15. *Antonii Bichii Cardinalis deceſſus.* 44

§. 16. *Joannes Franciſcus Ginettus Cardinalis mortuus.* 46

§. 17. *Raymundi Capiſucchi Cardinalis fata.* 47

§. 18. *Principum atque Illuſtrium extrema.* 50

§. 19. *Variæ Innocentii XII. Pontificis Conſtitutiones.* 51

§. 20. *Plures Sacrarum Congregationum deciſiones.* 53

§. 21. *Quorumdam Eruditorum libri & deceſſus.* 55

§. 22. *Scriptorum Acatholicorum opera & obitus.* 56

§. 23. *Diverſa Innocentii XII. ſummi Pontificis geſta.* 58

§. 24. *Ejusdem Pontificis Conſtitutio contra Nepotismum.* 61

§. 25. *Chriſtianæ Religionis libertas Sinenſibus cunctis permiſſa.* 74

§. 26. *Varadinum majus a Cæſareis expugnatum.* 79

§. 27. *Varia Fœderatorum expeditio contra Gallos.* 82

§. 28. *Illuſtrium obitus.* 84

§. 29.

§. 29. *Quædam Innocentii XII. Pontificis Constitutiones.* 85
§. 30. *Variæ Sacrarum Congregationum decisiones.* 87
§. 31. *Quorumdam Scriptorum religione Catholicorum opera & deceſſus.* 90
§. 32. *Proteſtantium Scriptorum lucubrationes & obitus.* 92
§. 33. *Actum de reconcilianda Sacra Sede cum Franciæ Præſulibus.* 93
§. 34. *Transactionis articuli utrinque acceptati.* 95
§. 35. *Franciæ Præſulum literæ ad Innocentium XII. Papam.* 96
§. 36. *Ludovici XIV. Galliarum Regis epiſtola ad eundem Pontificem.* 98
§. 37. *Oratio Pontificis hanc in rem ad Sacrum Purpuratorum Collegium habita.* 100
§. 38. *Novæ contentiones in Sinis inter Miſſionarios ob varios ritus.* 106
§. 39. *Caroli Maigroti Vicarii Apoſtolici edictum contra Rituum Sinenſium Defenſores.* 107
§. 40. *Theſis de veriſimilitudine Religionis Catholicæ proſcripta.* 117
§. 41. *Nova Eliæ Dupini Bibliotheca apud Archiepiſcopum Pariſienſem denuntiata.* 119
§. 42. *Dupini declaratio circa objectos ſibi errores.* 120
§. 43. *Hujus Auctoris Bibliotheca a Pariſienſi Archiepiſcopo proſcripta.* 133
§. 44. *Gallica ſancti Chryſoſtomi verſio apud eundem Archiepiſcopum denuntiata.* 137
§. 45. *Fontanæ ejusdem Verſoris Palinodia.* 138

§. 46. *Altera ejusdem Auctoris epistola ad Archiepiscopum Parisiensem.* 142
§. 47. *Controversia inter Mechlinienſem Archiepiſcopum & quosdam Lovanienſes Doctores coram Pontifice agitata.* 143
§. 48. *Alius Hennebeli libellus ad eandem Congregationem.* 151
§. 49. *Belgradum a Cæſareis incaſſum tentatum.* 157
§. 50. *Variæ Urbes a Gallis captæ & devaſtatæ.* 158
§. 51. *Flavii Chiſii Cardinalis obitus.* 164
§. 52. *Franciſci Mariæ Laurentii Brancati de Lauria Cardinalis extrema.* 166
§. 53. *Principum atque Illuſtrium obitus.* 170
§. 54. *Diverſæ Innocentii XII. Pontificis Conſtitutiones.* 171
§. 55. *Plures S. Congregationum deciſiones.* 173
§. 56. *Synodi Diœceſanæ Brugenſis & Cæſanatenſis decreta.* 175
§. 57. *Quorumdam Scriptorum religione Catholicorum opera & obitus.* 176
§. 58. *Scriptores Acatholici hoc anno mortui, eorumque opera.* 178
§. 59. *Decretum Innocentii XII. Papæ in cauſſa Mechlinienſis Archiepiſcopi.* 179
§. 60. *Epiſtola ejusdem Pontificis ad Belgii Epiſcopos circa idem decretum.* 182
§. 61. *Declaratio Joannis Hennebeli circa Pontificis Conſtitutionem.* 187
§. 62. *Innocentii XII. Pontificis literæ ad Archiepiſcopum, aliosque Belgii Epiſcopos.* 196
§. 63. *Hennebeli querelæ apud S. Congregationem contra Doctorem Franciſcum Martin.* 202

§. 64.

§. 64. *Libri Molinosii erroribus scatentes proscripti.* 206
§. 65. *Dubia a Theologis circa D. Maigroti Vicarii decretum proposita.* 207
§. 66. *Catholica fides in Persarum Regno plurimum aucta.* 235
§. 67. *Contentio inter Jesuitas circa probabilitatem.* 239
§. 68. *Controversia circa ejectionem novi Episcopi Leodiensis.* 243
§. 69. *Bellicæ hujus anni expeditiones.* 246
§. 70. *Philippi Thomæ Hovardi Cardinalis decessus.* 248
§. 71. *Pauli Sabellii Cardinalis obitus.* 251
§. 72. *Caroli Roberti de Victoriis Cardinalis extrema.* 252
§. 73. *Diversæ Innocentii XII. summi Pontificis Constitutiones.* 253
§. 74. *Decreta diversarum Sacrarum Congregationum.* 254
§. 75. *Diœcesanæ Synodi Monasterienſis decreta.* 256
§. 76. *Principum atque Illustrium obitus.* 257
§. 77. *Antonii Arnaldi Sorbonæ Doctoris fata.* 259
§. 78. *Ejusdem scripta.* 266
§. 79. *Scriptorum Catholicorum opera & obitus.* 267
§. 80. *Opera & decessus Scriptorum Heterodoxorum.* 270

LIBER CCXII.

§. 1. *Jansenistarum libri a Mechlinienſi Archiepiſcopo damnati.* Pag. 273

§. 2. *Alius liber, cui titulus:* Annus Chriſtianus *ab Innocentio XII. proſcriptus.* 275

§. 3. *Inquiſitionis Cenſura in Acta Sanctorum a Bollandiſtis edita.* 280

§. 4. *Mulieris Guyoniæ cauſſa in Galliis examinata.* 288

§. 5. *Bailleti liber de devotione B. V. ab Innocentio XII. proſcriptus.* 294

§. 6. *Cleri Gallicani edictum circa Jurisdictionis Eccleſiaſticæ limites.* 295

§. 7. *Duodecim Præſules ab Innocentio XII. Romana Purpura decorati.* 300

§. 8. *Vehemens contentio inter Vilnenſem Epiſcopum, & ſupremum Lithuanici exercitus Ducem.* 302

§. 9. *Infauſta Cæſareorum expeditio contra Turcas.* 305

§. 10. *Variæ Gallorum urbes aut captæ aut devaſtatæ.* 307

§. 11. *Principum atque Illuſtrium obitus.* 312

§. 12. *Quædam Conſtitutiones Innocentii XII. Pontificis.* 315

§. 13. *Diverſæ Sacrarum Congregationum deciſiones.* 316

§. 14. *Pater Joannes de Brito Jeſuita Maduræ occiſus.* 318

§. 15. *Opera & deceſſus Scriptorum religione Catholicorum.* 319

§. 16.

§. 16. *Scriptorum Acatholicorum opera & fata.* 324

§. 17. *Hennebeli declaratio coram S. Congregationis Patribus.* 325

§. 18. *Documentum seu Epistola Pastoralis Noaillii Parisiensis Archiepiscopi circa materiam gratiæ.* 332

§. 19. *Parisinæ Facultatis Theologicæ censura in librum, cui titulus:* Civitas Mystica V. Mariæ de Agreda. 335

§. 20. *Controversiæ successus circa Hagiographos Belgas.* 353

§. 21. *Parisiensis Parlamenti decretum in caussa recursus ad Sedem Apostolicam.* 358

§. 22. *Rascianorum Patriarcha, & quidam Turcæ fidem Catholicam professi.* 359

§. 23. *Anceps prælium Cæsareos inter & Turcas.* 360

§. 24. *Induciæ inter Gallos & Sabaudiæ Ducem inita.* 362

§. 25. *Infelix Gallorum expeditio pro Jacobo Angliæ Rege contra Auriacum susceptа.* 372

§. 26. *Innocentii XII. decretum de restauranda Regularium disciplina.* 375

§. 27. *Cœlestini Sfondrati Cardinalis obitus.* 376

§. 28. *Joannis Sobieskii Poloniæ Regis decessus, ac tumultus inde exorti.* 379

§. 29. *Aliorum Principum atque Illustrium extrema.* 382

§. 30. *Variæ Innocentii XII. Pontificis Constitutiones.* 383

§. 31. *Plures Sacrarum Congregationum decisiones.* 385

§. 32. *Scriptorum Catholicorum opera & deceſſus.* 388

§. 33. *Opera & obitus Scriptorum Acatholicorum.* 390

§. 34. *Sfondrati Cardinalis liber, cui titulus:* **Nodus Prædeſtinationis &c.** *ejusque fata.* 391

§. 35. *Idem liber a quibusdam Franciæ Præſulibus Romæ denuntiatus.* 392

§. 36. *Innocentii XII. reſponſum ad hanc Gallorum Præſulum epiſtolam.* 412

§. 37. *Ulteriores Janſeniſtarum motus contra Sfondrati librum.* 414

§. 38. *Archiepiſcopi Rothomogenſis decretum circa libros a Parochis legendos, necnon contentio inde oborta.* 416

§. 39. *Propoſitiones a P. Bufferio Jeſuita ſubſcribendæ.* 418

§. 40. *Altera Jeſuitarum contentio cum Rhemenſi Archiepiſcopo.* 421

§. 41. *Pax Ryswicenſis inter Franciæ Regem & Imperii fœderatos.* 425

§. 42. *Hujus pacis articuli inter Cæſarem & Gallos.* 429

§. 43. *Proteſtantium querelæ contra quartum hujus pacis articulum circa religionem.* 431

§. 44. *Ludovici Galliarum Regis edicta contra Hugonottas.* 435

§. 45. *Turcæ a Cæſareis ad internecionem deleti.* 437

§. 46. *Jacobus Franſonus Cardinalis fatis functus.* 444

§. 47. *Quinque Præſules ab Innocentio XII. Papa Purpuratorum Collegio adſcripti.* 446

§. 48.

§. 48. *Quædam Sacrarum Congregationum decisiones.* 447
§. 49. *Principum, atque Illustrium decessus.* 450
§. 50. *Quorumdam Catholicorum Scriptorum lucubrationes & fata.* 451
§. 51. *Quidam Scriptores ex Acatholicis hoc anno defuncti, eorumque opera.* 452
§. 52. *Problema in Archiepiscopi Parisiensis contumeliam divulgatum.* 453
§. 53. *Catholici in Anglia dire vexati.* 458
§. 54. *Legatio Moscovitica ad Papam.* 461
§. 55. *Innocentii XII. Pontificis contentio cum Leopoldo Cæsare ob feudum Farnesianum.* 463
§. 56. *Protestantium querelæ contra Electorem Palatinum.* 465
§. 57. *Epistolæ gratulatoriæ Innocentii XII. Pontificis ad Franciæ & Poloniæ Reges.* 474
§. 58. *Alberti Pauluccii Altieri Cardinalis obitus.* 475
§. 59. *Joannis Nicolai de Comitibus Cardinalis decessus.* 477
§. 60. *Opinio de Humanitate Christi Rhemis revocata.* 478
§. 61. *Duo Cardinales ab Innocentio XII. creati.* 479
§. 62. *Innocentii XII. Pontificis Constitutiones.* ibid.
§. 63. *Variæ Sacrarum Congregationum decisiones.* 481
§. 64. *Diœcesanæ Synodi Namurcensis decreta.* 483
§. 65. *Principum atque illustrium obitus.* 485
§. 66. *Scriptorum religione Catholicorum decessus & opera.* 487

§. 67.

§. 67. *Scriptores Acatholici hoc anno denati, eorumque lucubrationes.* 489

§. 68. *Franciſci Feneloni Cameracenſis Archiepiſcopi liber de vita interiore.* 491

§. 69. *Fenelonus tanquam Quietismi reus apud Franciæ Regem denuntiatur.* 493

§. 70. *Ejusdem Archiepiſcopi liber examinatus, damnatusque.* 497

§. 71. *Hoc Innocentii diploma juſſu Regis in Galliis ubique receptum.* 507

§. 72. *Glorioſa Feneloni Archiepiſcopi ſubmiſſio.* 511

§. 73. *Ejusdem epiſtola ad Innocentium XII. Papam.* 515

§. 74. *Humilis revocatio Patris Germani Beſcheferi Jeſuitæ.* 521

§. 75. *Pax Carlovizienſis inter Cæſarem & Turcas.* 525

§. 76. *Calviniſtarum tumultus in Galliis.* 528

§. 77. *Joſephus Saenz de Aguirre Cardinalis obitus.* 530

§. 78. *Alphonſi Aquillar de Corduba Cardinalis extrema.* 532

§. 79. *Joannis Delphini Cardinalis fata.* ibid.

§. 80. *Septem Cardinales ab Innocentio XII. Papa creati.* 533

§. 81. *Lutheranorum tumultus contra Catholicos Wormatiæ concitatus.* 534

§. 82. *Wormatienſis Capituli diſſidium cum ſummo Pontifice.* 537

§. 83. *Sacrarum Congregationum deciſiones.* 538

§. 84. *Principum atque Illuſtrium obitus.* 541

§. 85. *Synodi Metenſis Diœceſanæ Statuta.* 543

§. 85.

§. 86. *Scriptorum religione Catholicorum deceſſus & opera.* 543

§. 87. *Quidam Scriptores Acatholici hoc anno denati, eorum lucubrationes.* 547

§. 88. *Sorbonæ Cenſura contra Sinenſium religionem.* 548

§. 89. *Cleri Gallicani comitia.* 556

§. 90. *Hujus Conventus decreta.* 561

§. 91. *Ejusdem exitus.* 573

§. 92. *Adverſa Bullionii Cardinalis fata.* 576

§. 93. *Alderani Cibo Cardinalis obitus.* 578

§. 94. *Franciſci Bonviſii Cardinalis deceſſus.* 579

§. 95. *Franciſci Maildachini Cardinalis extrema.* 581

§. 96. *Tres Cardinales ab Innocentio XII. Papa creati.* 582

§. 97. *Innocentii XII. ſummi Pontificis obitus.* 583

§. 98. *Hujus Pontificis geſta in Pontificatu.* 585

§. 99. *Cardinales pro eligendo novo Papa Conclave ingreſſi.* 588

§. 100. *Joannes Franciſcus Cardinalis Albanus in Papam electus, & Clemens XI. nominatus.* 589

§. 101. *Hujus Pontificis geſta ante Pontificatum.* 591

§. 102. *Principum molimina in dividenda Hiſpaniæ Monarchia.* 595

§. 103. *Caroli II. Hiſpaniæ Regis obitus.* 598

§. 104. *Aliorum Principum atque illuſtrium deceſſus.* 601

§. 105. *Synodi Diœceſanæ Eychſtettenſis decreta.* 602

§. 106. *Quædam Clementis XI. Pontificis Maximi Conſtitutiones.* ibid.

§. 107. *Diverſæ SS. Congregationum deciſiones.* 604

§. 108. *Quidam Scriptores Catholici hoc anno defuncti, eorum opera.* 606

§. 109. *Celebris caſus conſcientiæ a Janſenii Diſcipulis excogitatus.* 609

§. 110. *Hæc doctorum deciſio Romæ a ſummo Pontifice damnata.* 615

§. 111. *Epiſtola ejusdem ſummi Pontificis ad Ludovicum Franciæ Regem.* 617

§. 112. *Altera Clementis XI. Papæ epiſtola ad Noallium Cardinalem Pariſienſem Archiepiſcopum.* 621

§. 113. *Alia Clementis XI. Pontificis epiſtola ad Franciæ Regem.* 624

§. 114. *Hæc eadem deciſio a Cardinale Noaillio Pariſienſi Archiepiſcopo damnata.* 627

§. 115. *Caſus deciſio a ſuis Approbatoribus revocata.* 635

§. 116. *Pariſinæ Facultatis Theologicæ ſententia contra hunc caſum.* 636

§. 117. *Facultatis Theologicæ Duacenſis confutatio erroris præcipui in hoc caſu propoſiti.* 648

§. 118.

§. 118. *Judicium Facultatis Theologicæ Lovanienſis ſuper præcipuos articulos hujus caſus.* 662

§. 119. *Janſeniſtarum furor contra haſce cenſuras.* 675

§. 120. *Caillyi error circa Euchariſtiæ Sacramentum.* 682

§. 121. *Janſeniſtarum conventicula.* 683

§. 122. *Romæ tumultus, variæque moleſtiæ ſummo Pontifici irrogatæ.* 687

§. 123. *Ejusdem ſummi Pontificis oppoſitio contra Regis titulum Marchioni Brandeburgico aſſertum.* 691

§. 124. *Leodienſis Eccleſiæ Decanus violenter captus.* 695

§. 125. *Religionis Catholicæ incrementa, & Pontificis ſtudium in iis promovendis.* 699

§. 126. *Idem Pontifex immunitatis Eccleſiaſticæ vindex acerrimus.* 704

§. 127. *Mechlinienſis Archiepiſcopi ſententia contra Petrum Hamme.* 707

§. 128. *Conjuratio Hungarorum contra Cæſarem detecta.* 712

§. 129. *Arelatenſis, atque Aquenſis Præſulum controverſiæ cum Regularibus.* 714

§. 130. *Savi Mellinii Cardinalis obitus.* 718

§. 131. *Petri Matthæi Petrucii Cardinalis deceſſus.* 719

§. 132. *Principum atque illuſtrium fata.* 722

§. 133. *Diverſa Clementis XI. Decreta.* 725

§. 134. *Diverſæ Sacrarum Congregationum deciſiones.* 726

§. 135. *Scriptorum religione Catholicorum deceſſus, eorumque ſcripta.* 728

§. 136. *Quidam Scriptores Acatholici hoc anno defuncti, eorum lucubrationes.* 730

Religionis Catholicæ Libertas ab Imperatore Sinensibus permissa.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CCXI.

INNOCENT. XII. PONTIF. MAXIM.
LEOPOLDUS I. ROM. IMP.

§. 1.

Antonius Pignatellus Cardinalis in Papam electus, assumpto nomine Innocentii XII.

Sæc. XVII. A. C. 1691.

Exequiis solemni ritu celebratis Cardinales undecima ab Alexandri VIII. obitu die supplicantium more in Conclave Vaticanum mane ingressi sunt; *Miss. Itin. Ital.*

Sæc. XVII. A. C. 1691

ubi cum prima dies partim sacris precibus partim crebris consalutationibus, quibus tam Oratores, quam Nationum Protectores suorum Principalium necessitates Sacro Collegio commendabant, absumeretur, tandem sexta noctis hora Cardinales sese concluserunt. Aberant autem ex Purpuratis non pauci, quorum adventu ad unanimem electionem ceterorum animos citius conciliari posse sperabatur: In prima quidem suffragiorum scrutatione Laurentius de Lauria solus quindecim tulit suffragia, obstitere tamen Hispani, quibus, etsi natione Hispanus, semper adversatus est. Prævaluit denique numerus eorum, qui Zelantium nomen assecuti inter se convenere, se nullo pacto ad electionem progressuros, nisi a Sacro Collegio omnis Nepotismi abrogatio fuisset stabilita, hacque in electione nulla nec Personæ, nec affinitatis, sed solius meriti ratio haberetur. Horum omnium suffragia collimabant in Barbadicum Cardinalem Venetum, Virum ob doctrinam & pietatem cunctis Purpuratis venerabilem: nonnullis tamen nimis serius gravisque visus est, maxime vero displicuit Altierio & Ottobono Cardinalibus, quorum auctoritas in hoc Conclavi plurimum valuit: Proponebatur ergo

ergo Cardinalis Delphinus itidem patria Venetus, cui tamen Zelantes Purpurati sese vehementer opponebant, Nepotum copiam veriti: Ferebat non pauca Cardinalium suffragia Altierius, cui tamen ceteri accedere renuebant, caussantes, ejus Patruum de Nepotismi labe suspectum fuisse, nimisque recentem adhucdum illius exstare memoriam: Placuit denuo non paucis Apostolicæ severitatis amantibus Cardinalis de Lauria Ord. S. Francisci Vir eruditione, ac pietate nemini secundus: in eo tamen non pauci nauseabant progeniem rusticam, vestemque Monasticam: quapropter fama de ejus proxima electione in urbem delata, mox Pasquino affixi legebantur hi versus: Sæc. XVII. A. C. 1691.

Imperii nunquam, Patres, date jura cucullo:
Sufficiant, quæ dant, lingere jura coqui.

Denique post crebras scrutationes haud vana Pontificatus spes alluserat Cardinali Acciajolio, cui tamen cum suis Ottobonus & Altierius obstitere: Jam quinque ferme Menses crebris ejusmodi consultationibus absumebantur, quin suffragantium animi conciliari potuerint, audiebatur murmur aliorum in digniorem assentientium, aliorum

Sæc. XVII. A. C. 1691.

assentientes increpantium: resonabant ubique tam publicæ quam privatæ populi Romani indignationes, & criminationes parum decoræ: in ipso etiam conclavi ingruere morbi, visque mali latius vagari cæperat, atque incendium ibidem exortum molestiam auxit: tantam moram indignatus etiam Cardinalis Cibo dixisse fertur: timendum esse, ne hoc conclave noctuarum nidus diceretur, in quo Cardinales Spiritum Sanctum excludere viderentur: Tandem vero die duodecima Julii proponebatur Cardinalis Antonius Pignatellus, in quo concurrentibus Gallis quinquaginta tres ex sexaginta & uno Cardinalibus conspirarunt. Hic tamen grave senium caussatus, hocque onus a se transferri perdemisse rogans, tandem ad plurimorum preces humeros subjecit, consueto ritu ad Basilicam Divi Petri delatus, ac paulopost sequenti Dominica maximo totius urbis applausu coronatus. Assumpserat Innocentii XII. nomen, ut tam imitationis exemplum, quam gratitudinis pignus testaretur Innocentio XI. a quo Romana Purpura honoratus erat. Postquam vero a Principum Legatis aliisque solitas gratulationes exceperat, præprimis frugalem mensam, ac reliquum apparatum parce

parce inſtruendum præcepit, omnesque ſuos affines ac Nepotes longiſſime ab aula Romana, ac contubernio abeſſe juſſit, edito diplomate publico, quod ad proximum annum adducere differimus: ceterum horum loco pauperibus, quos ſuos Nepotes vocabat, certos ſingulis hebdomadibus dies conſtituit, in quibus omnium querelas precesque publice exaudiret. Præterea in primis curis habebat, ut Romæ juſtitia integerrime adminiſtraretur: ſuam quoque pietatem in primis Pontificatus auſpiciis exerebat erga pauperes Neapolitanos, quibus peſte adhuc laborantibus magna pecuniarum ſubſidia deſtinavit, ſimulque in primo alloquio Principi Lichtenſteinio Cæſaris Oratori pollicitus eſt, ſe pro Turcico bello ſeptuaginta quinque aureorum millia erogaturum: pariter Duci de Chaunes Franciæ & Melfordio Jacobi Angliæ Regis Legatis ſuppetias promiſit, petiit tamen, ut Proteſtantium Principum copiæ, quibus ſui cultus libertas conceſſa eſſet, nullam in Italia moleſtiam cauſſarent. Primis quoque Pontificatus diebus Galli Præſules, ad Epiſcopatus nominati, quibus hucusque Pontificia confirmationis diplomata fuere denegata, transmiſſis literis declarabant, ſe ſacræ Sedis auctorita-

Sæc. XVII. A.C. 1691.

Sæc. XVII. A. C. 1691.

ritatem revereri, atque articulos a Clero Gallicano contra Papam decretos revocare paratos esse, prout Pontifex & Cardinalium Congregatio hanc in rem stabilita ab eis postulasset: viciſſim vero Furbinus Cardinalis Regis nomine significabat, si Pontifex confirmationis literas Episcopis diutius denegaret, Regem revocato Leonis X. concordato rursus Caroli VII. Pragmaticam invecturum. Haud difficilem ad hæc postulata primo sese exhibuit Pontifex, executionem tamen præpediebant illi Cardinales, qui hanc conceſſionem Sedi Apostolicæ minus honorificam fore prospexerant: illis tamen Præsulibus, qui Cleri Gallicani actis non participarunt, aut ea posthac missa facturi sint, mox literas Apostolicas expediri jussit, uti memorabimus.

§. II.

Hujus Pontificis gesta ante Pontificatum.

Bacher Cabal. p. 60.

Primam lucem aspexerat Neapoli Antonius Pignatellus die decima tertia Martii anno Christi milleſimo sexcenteſimo decimo quinto ex Nobiliſſima familia ortus: A teneris annis liberaliter educatus, Romam pervenit, ubi literis ac scientiis & præcipue Jurispru-

risprudentia excultus, dubium reliquit, an non magis pietatis atque eruditionis splendore, quam natalium gloria Pignatellus eluxerit. Creatus dein est ab Urbano VIII. Urbini Pro-Legatus, antea tamen Melitensis Eques sacræ militiæ nomen dedit, ibidemque Inquisitor, necnon Sedis Apostolicæ Legatus Florentiæ decem, in Polonia octo, & in Germania quatuor annis Sedis Apostolicæ negotia indefesso labore procuravit, ab omnibus Principibus, in quorum Aula versabatur, maximi habitus: Ex Germania Romam redux, a Clemente IX. Episcopus Leccensis, Sacræ Episcoporum Congregationi a secretis esse jussus est: postea Clementis X. & Innocentii XI. Pontificum jussu Faventinus Episcopus, & Præfectus Cameræ constitutus, Bononiensem Legationem obibat, qua honorifice defunctus, Neapolitano Archiepiscopatu, & Romana Purpura decoratus est, quam Ecclesiam per undecim omnino annos vigilantia vere Pastorali rexerat, gregis sui exemplum, & pauperum Pater: demum hoc anno, ætatis vero suæ septuagesimo sexto ad supremos Pontificatus honores omnium ferme suffragio electus.

Sæc. XVII. A. C. 1691.

Sæc. XVII.
A. C. 1691.

§. III.

Janseniſtæ ab ementito Arnaldo deluſi.

Abrege chron. de l'Hiſt. Eccl. tom. 3. Hode Hiſt. de Louis XIV. l. 47. pag. 483. Binner App. t. 8. p. 852.

Jam per aliquot annos crebræ ferve-bant contentiones inter Duacenſis Univerſitatis Doctores, & Moliniſtas; hi enim cenſuram in Leſſii ſyſtema latam, necnon peccati Philoſophici damnatio-nem dolentes, toti in eo erant, ut il-los, quos ex hiſce Doctoribus de Jan-ſenii doctrina ſuſpectos habebant, de-tegerent, eosque Univerſitate ac Re-gno expelli curarent: Hanc in rem do-lum excogitarunt, quo magis inge-nioſum, majorique artificio excogita-tum, majorique felicitate executioni datum, vix ulla ætas meminit: Hujus præcipuus artifex ab aliis creditur Pa-ter Tellier Jeſuita; alii Honoratum Tournelium, alii quemdam Duacenſem Canonicum in ſuſpicionem trahunt: quiscunque autem demum Author fue-rit, id omnino compertum eſt, quod PP Desruelles Vodripontius, Pajenus, & Tellierus Jeſuitæ hujus ſcænæ vel actores, vel participes fuerint, & Pa-ter de la Chaiſe funeſtam ipſius Ca-taſtrophen apud Franciæ Regem pro-moverit. Occaſionem dederat declama-tio Menſe Junio anni prioris Duaci ha-

bita,

bita, in qua P. Beeckman Jesuita in Arnaldum, Jansenistas & Thomistas publice, acriterque invehebatur: vicissim Lignius ejusdem Universitatis Professor habita luculenta oratione Jesuitas exagitabat: inde vero mutua contentio, vindicandi cupido, atque odium non modo in Lignium, sed & Laleum Theologiæ Professorem, Rivettum, & Malpaisium Canonicos ad S. Amatum exarsit. Nil aptius videbatur, quam Jansenianæ hæresis accusatio; sonoro tamen gressu incedere, periculosum; vulpina igitur astutia capiendæ erant aves: concluſum ergo, ut Tellierus, vel alius quiscunque se Arnaldum esse fingeret, & sub ejus nomine literas omni humanitate & affectu plenas primo ad Lignium juvenem Baccalaureum daret, in quibus oblata literarii commercii copia ementitus hic Arnaldus Baccalaureum ejusque rigidioris disciplinæ studium encomiis commendaret amplissimis, postea illum de magno applaudentium numero certiorem reddens, tam hujus Viri, quam aliorum, quos Jansenistas crediderat, affectum & confidentiam septem primis literis conciliare niteretur: Subscriptæ erant omnes hæ epistolæ literis A. A. quas Baccalaureus Antonii Arnaldi nomen esse, & cum ipso

Sæc. XVII. A. C. 1691.

Sæc. XVII. A. C. 1691.

veroque Arnaldo commercium ſibi eſſe haud dubitabat.

§. IV.

Septem propoſitiones de Gratia a ficto Arnaldo fabricatæ.

Argentre Coll. Jud. de nov. err. t. 3. p. 368.

Captata Lignii, aliorumque fiducia fictus Arnaldus, ut ex Janſeniſtis ſcriptam ſuæ doctrinæ profeſſionem eliceret, datis literis ad Lignium ſeptem propoſitiones circa gratiæ veritatem transmiſit, ſubjungens, quod hæ in quadam diſputatione publica Mechliniæ fuerint propugnatæ, Archiepiſcopus vero a Jeſuitis inſtigatus, hujus diſputationis Præſidem acriter inſectatus, ſancti Auguſtini doctrinam in his theſibus contentam cenſuris perſtringere intendat: id autem cum in gravem hujus S. Doctoris contumeliam cederet, ipſe Arnaldus eas a potiſſimis Franciæ Epiſcopis & Sorbonæ & Lovanienſibus Doctoribus, necnon a celeberrimis Europæ Theologis approbari curarit: ut ergo Archiepiſcopus tot approbationum auctoritate territus, a cenſura abſtineret, hæcque cauſſa Romæ ea certius optatum haberet ſucceſſum, pariter Duacenſis Univerſitatis approbatio deſideraretur: Erant autem ſeptem hæ Theſes hujus tenoris:

1. „Gra-

I. „Gratiam efficacem nec ſemper, Sæc. XVII.
„nec omnibus hominibus dari, omnium A.C. 1691.
„Theologorum conſenſu, & quotidia-
„na tot Peccatorum experientia com-
„probatur. Hanc gratiam neceſſariam
„eſſe, ut homo vere & proprie poſſit
„opera bona exercere, tentationes ſu-
„perare &c. fatetur, quisquis in Eccle-
„ſiæ traditione, S. Auguſtini aliorum-
„que Patrum doctrina peregrinus non
„eſt.„

II. „Hi ergo, qui aliquam gratiam
„ſufficientem ab efficaci diſtinctam pro
„ſtatu naturæ lapſæ admittunt, longiſ-
„ſime a mente D. Auguſtini aberrant;
„hic enim in ſtatu naturæ ante lapſum
„non aliam, quam gratiam ſufficien-
„tem adſtruit, nec aliam poſt pecca-
„tum, niſi efficacem. Hæc ſi indu-
„bitata S. Auguſtini principia vel mi-
„nimum concutias, infallibiliter totam
„doctrinæ cæleſtis compagem ſolvis.„

III. „Quid autem cogitandum de
„gratia ſufficiente Thomiſtarum? mi-
„nus erronea videtur hæc opinio, quia,
„niſi decipi amas, complecti videtur
„expreſſionem, quæ gratiæ ſufficien-
„tiam excludit, aliunde vero turbidis
„hiſce temporibus ad occultanda gra-
„tiæ Evangelicæ myſteria ſatis accom-
„moda eſt. Ceterum, ſicut nec Au-
„guſtino, nec in purioribus Eccleſiæ
„ſæcu-

Sæc. XVII. A. C. 1691.

„fæculis cognitum erat Gratiæ ſuffi„cientis verbum, minus autem res per „illud expreſſa, hinc illud a ſana Theo„logia relegandum eſſe, haud imme„rito cenſemus.„

JV. „Peccati Philoſophici dogma „eſt infecta illa radix, quæ clam a longo „tempore in corruptæ Ethicæ Semi„nariis adolevit: quamprimum vero „palam prorupit, Vaticano fulmine „percuſſa eſt, variique errores infallibili „connexione cum deteſtando hoc dog„mate conjuncti, quaſi ſurculi in ra„dice eodem ictu protriti ſunt.„

V. „Propoſitio damnata eſt hæc: „*Peccatum Philoſophicum commiſſum ab „eo, qui Deum ignorat, non eſt offenſa „Dei:* inde oppoſita hæc concluſio in„ferri poteſt: *Peccatum Philoſophicum eſt „offenſa Dei, etiam in eo, qui Deum igno„rat:* inde ſic ulterius infertur, ſi Deus, „qui ignoratur offenditur, ergo igno„rantia non excuſat a peccato, proin „poſt tot altercationes hucusque ha„bitas, hodie ſummi Pontificis oraculo „decifum manet, quod nulla ſal„tem juris naturalis ignorantia ex„cuſet a peccato.„

VI. „Quomodo vero cum illa pec„cati Philoſophici cenſura conciliari „poteſt bicornis voluntatis indifferen„tia, & Ariſtotelica libertatis definitio: „*liber-*

„*libertas eſt potentia, qua quis poſitis omnibus* „*ad agendum prærequiſitis poteſt agere &* „*non agere*, cum utique non poſſit tam „vitari, quam non vitari id, quod igno„ratur: Cave, ne recurras ad diſtin„ctionem, *ſenſus diviſi & compoſiti*; aut „ad indifferentiam judicii: vana ſunt „hæc effugia, excogitata a novis qui„busdam Neotericis ad eludenda Se„mipelagianorum terriculamenta, me„lius igitur, magisque conforme vide„tur principiis S. Auguſtini, ejusmodi „libertatem in flexibili ad libitum indif„ferentia, & in expedita ad utrum„libet potentia conſiſtentem poſt Adæ „lapſum prorſus rejicere.„

VII. „Inferes illico, hac ratione „in actiones humanas induci neceſſi„tatem: aſt faceſſant hæ conſequen„tiæ centies ex quinque propoſitioni„bus perperam deductæ, ac centies „explosæ; nos pro ſtatu Viatorum ne„ceſſitatem, quæ vocatur naturæ, „& immutabilitatis, rejicimus: a„liam vero quamlibet neceſſitatem „nihil eſt, quod reformidemus duce „S. Auguſtino, qui l. 5. de Civit. Dei „c. 10. dicit. *Si illa definitur eſſe neceſſi„tas, ſecundum quam dicimus, neceſſe eſſe, „ut ita ſit aliquid, vel ita fiat: neſcio cur „eam timeamus; ne nobis libertatem auſe„rat voluntatis.* Hanc neceſſitatis cum „liber-

Sæc. XVII. A. C. 1691. „libertate concordiam deinceps agnoscet quisquis Catholice sentiet, & „pestiferam peccati Philosophici doctrinam ejurabit. „

§. V.

Lignii & aliorum judicium de his propositionibus.

Quamprimum Lignius a personato Arnaldo septem hasce propositiones unacum literis, in quibus illum Impostor suum *Filium charissimum* appellitabat, recepit, mox consultatione cum Laleo & Rivetto habita, uniuscujusque responsum atque judicium expetebatur: Scripserat Lignius die secunda Novembris epistolam, in qua præcoci impetu ementito Arnaldo significabat, quod suo judicio verissima quidem & summe orthodoxa sit doctrina harum Thesium, nimis tamen cruda pro illis, qui nonnisi in Scholarum idiomate enutriti essent. Ceterum Laleum & Rivetum ejusdem cum Arnaldo sententiæ esse, nec minori odio ejusmodi loquendi modos, quos Scholastici ad sedandum Sorbona furorem adhibent, detestari ajebat. Eadem quoque die Laleus ad fictum hunc Arnaldum datis literis hæc effatus est. „Utinam ea esset temporis ratio, ut „libere

„libere ſicut S. Auguſtinus, loqui poſ- Sæc. XVII.
„ſem, fateor, præſentes temporis, re- A. C. 1691.
„rumque viciſſitudines non ſatis eſſe
„cognitas, ut de iis judicium ferre
„poſſem; ceterum caute præveniamus
„horam a Deo datam: crediderat e-
„tiam Gilbertus, tempus adhuc ſup-
„petere, contrarium tamen oſtendit
„eventus:„ in alia epiſtola die prima Februarii ad perſonatum Arnaldum data Lignius hæc perſcripſerat: *Ergone nunc haud amplius verum erit, quod Moliniſtarum gratia ſufficiens ſit error, & illa Thomiſtarum ſit inſania? Quid ſibi volunt novæ hæ deciſiones gratiæ ſufficientis?* Præter haſce, pluresque alias literas, quas Lignius, Rivettus, & Laleus ad fictum Arnaldum dedere, inſuper die ſecunda Novembris circa ſeptem has theſes ſuum transmiſerunt judicium: & quidem circa primam theſin cenſuerunt, „quod hæc theſis contineat S.
„Auguſtini, ipſiusque Evangelii do-
„ctrinam, ſi intelligatur de poteſtate,
„quæ complectitur id omne, quod ad
„operandum eſt neceſſarium. Ita in-
„telligendus S. Auguſtinus, dum in li-
„bro de Gratia & libero arbitrio de S.
„Petro ait: *putabat poſſe, quod in ſe-*
„*metipſo ſentiebat ſe velle*, & Joann. cap.
„15. Chriſtus ait: *nihil ſine me pote-*
„*ſtis facere*, niſi ego vos faciam & velle
„& agere:„ De

Sæc. XVII A. C. 1691.

De secunda thesi ita judicabant: „Hæc doctrina vere est doctrina S. Au„gustini, qui a statu naturæ corruptæ „gratiam sufficientem Molinisticam ex„cludit, de qua secunda hæc thesis „est intelligenda, uti ex tertia conclu„ditur. De hac gratia noster Estius „in 3. Cap. Apoc. v. 20. dixit, quod „sana doctrina ejusmodi gratiam non „admittat: Vid. censuram Duacensem „contra secundam Assertionem.„ Circa tertiam thesin sequens tulerunt judicium: „Utinam hoc verbum: *sufficiens* „nunquam in Scholas juxta plurium „Thomistarum explicationem fuisset „invectum: verum enim est, quod lon„ge aliud, quam ipsi intendant, expri„mat; quamvis enim dici possit, quod „hæc gratia sit sufficiens, ut det poten„tiam proximam, quæ nil aliud est, „quam simplex potentia naturalis, ni„hilominus sola hæc gratia vere non „sufficit ad agendum, quapropter no„stra Censura Duacensis se melius ex„plicat, dum circa secundam assertio„nem dicit, quod auxilium sufficiens „sit id, quo posito opus non habemus „ullo alio auxilio ex parte Dei, & sic „hoc auxilium est idem ac gratia effi„cax: haud immerito igitur hujus the„sis Author dicit, quod gratiæ suffi„cientis idea etiam in sensu Thomi„starum

„ſtarum Divo Auguſtino & purioribus Sæc. XVII.
„Eccleſiæ ſæculis fuerit incognita, ubi A. C. 1691.
„agebatur de ſalvanda hominis liber-
„tate; hæc enim gratia ad hoc non
„eſt neceſſaria; quamvis fatendum ſit,
„quod veritatem non lædat, dummodo
„huic verbo: *gratia ſufficiens* abjudice-
„tur ſenſus, in quo eam intelligunt
„Moliniſtæ.„

Theſin quartam a nullo in controverſiam duci poſſe, cenſebant.

Ad quintam vero reſponderunt, doctrinam, qua nullam juris naturalis ignorantiam a peccato excuſare adſtruitur, ſicut reipſa a *Philoſophico* non „excuſat, eſſe doctrinam ſanam, a SS. „Auguſtino, Bernardo, Thoma, & „plurimis maximi nominis Doctoribus „antiquis clare traditam.„

De ſexta Theſi judicarunt, quod ea, ſicut illius Author ait, intelligenda ſit de illa indifferentia, per quam anima æque ſe poſſet determinare ad bonum & ad malum, perinde acſi ſemper haberet gratiam, qua pro ſuo arbitrio uteretur: hoc autem jure negatur; manifeſtum enim eſſe, quod gratia deſit ei, qui Deum non cognoſcit: „Nec neceſſariam, proſequebantur „illi, cenſemus diſtinctionem ſenſus *com-*
„*poſiti* & *diviſi*, nec id, quod de judicii
„indifferentia dicitur; quin etiam ſine

Sæc. XVII. A. C. 1691.

„his omnibus Divus Auguſtinus, & „poſt ipſum Eccleſia omnes hoſtium „ſuorum aſſultus retundere, & liber„tatem cum gratia perfecte conciliare „noverat.„

„Denique de ſeptima theſi judica„runt, quod ſicut ea juſtum horrorem „neceſſitatis *naturæ*, & immutabilita„tis, utpote libero arbitrio contrariæ „oſtendit, ita veritati conſona ſit, qua„tenus aſſerit, omnem aliam neceſſi„tatem nullatenus libertati officere: ta„lis eſt neceſſitas, quam Scholaſtici „appellant infallibilitatis, ſeu meræ con„ſequentiæ, neceſſitatem hypotheti„cam &c. qualis eſt ea, quam Inno„centius I. Papa in ſua epiſtola ad „Carthaginenſe Concilium admittit, „dicens: *Neceſſe eſt enim, ut quo auxi„liante vincimus, eo iterum non adjuvante „vincamur.* Pronuntiato hoc judicio hi Doctores ſuam epiſtolam abſolvebant additis hiſce verbis: *Hæ ſeptem poſi„tiones de gratia, de peccato Philoſophico, „& de libertate humana doctrinam conti„nent vere Auguſtinianam & orthodoxam, „ac proinde, nulli cenſuræ obnoxiam, ita „cenſent, & teſtantur Laleus. Rivettus, „& Lignius*, hoc inſuper judicium ſuo „chirographo approbarunt Gilbertus, „Malpeſius uterque Bruneau, Baſi„lius du Bron & Ægidii Witte, Dua„cen-

„censes Doctores. Transmisso ad fictum „Arnaldum hoc judicio Lignius insu- „per die quinta Novembris ad eundem „hæc perscripsit: Nescio, an explicatio „nostra ad theses propositas tibi probabi- „tur: majore cum energia locuti fuis- „semus, nisi Laleum & Rivettum se- „quentes absterruissent rationes. I. Quia „horum neuter efficacius se explicare po- „tuissent, quin gratiæ Christi hostibus an- „sam præberent, ut nos contradictionis, „ne dicam quid pejus, arguant; postquam „enim Gilbertus, ex Jesuitarum rabie „Duaco excedere jussus erat, paulo- „post hi duo Doctores gratiam effica- „cem & sufficientem in sensu Thomista- „rum scriptotenus profiteri compulsi „sunt. II. Quia Laleus & Rivettus in „suis lectionibus gratiam juxta Tho- „mistarum idioma explicarunt, hinc „Molinistæ absdubio eos traducerent „tanquam Viros, qui haberent *pondus* „*& pondus*. III. Quia explicatis hisce „thesibus nostrarum partium esse cen- „suimus, ut earum censuram præpe- „diamus; nemo enim adeo temerarius „erit, ut theses a Thomistarum doctri- „na haud discrepantes censuris perstrin- „geret, nisi novas, ineptas & D. Au- „gustino incognitas phrases adhiberet, „& quia thesium Auctor juxta ejusdem „Doctoris & totius venerandæ antiqui- „tatis

Sæc. XVII. A. C. 1691.

Sæc. XVII. A. C. 1691. „tatis mentem loquitur. IV. Quia in „noſtra explicatione non receſſimus „a modo, quo tu mentem tuam in diſ„ſertatione tua Theologica, & Wend„rokius in ſuis notis ad Montalti „Epiſtolas explicavit.„

§. VI.

Aliæ horum trium Doctorum propoſitiones.

Argentre l. c.

Pariter Moliniſtæ ex trium horum Doctorum epiſtolis viginti & unam propoſitiones extraxere, quarum prima erat hæc: „Libertas indifferentiæ „in natura corrupta eſt nil niſi Chimera „& humanum inventum, ſeu Pelagia„næ Philoſophiæ reliquiæ.

II. „Sine gratia efficaci non ſolum „nihil boni agimus, ſed nequidem a„gere poſſumus, & qui contrarium te„net, eſt Semi-Pelagianus.„

III. „Circa gratiam ſufficientem „exiſtimo, quod quidam Vir doctus de „ea vere judicaverit, dicendo, Moli„niſtarum gratiam ſufficientem eſſe er„rorem (ego autem dico eſſe hæreſin) „& Thomiſtarum eſſe inſaniam.„

IV. „Nullus infidelis poteſt crede„re, niſi per gratiam, quæ cor ejus „immutat, ut facit, ut ab infidelitate „ad fidem tranſeat: certum eſt, quod „hanc

„hanc gratiam non habeat, quamdiu „insidelis manet.„ Sæc. XVII. A. C. 1691.

V. „Certus sum, quod Yprensis Epi„scopus duntaxat per factiones Moli„nisticæ catervæ damnatus fuerit, ac „nunquam aliam doctrinam, quam D. „Augustini circa gratiam tenuerit, „credo etiam, quod Pontificum nullus „magis aperte demonstrarit suam fal„libilitatem, quam per condemnatio„nem quinque propositionum *in sensu „a Jansenio intento.*„

VI. „Alexander VII. sua Constitu„tione Evangelicæ doctrinæ de gratia „vulnus nondum bene obductum in„flixit.„

VII. „Nec datur nec dari potest in „statu naturæ corruptæ gratia mere „sufficiens, distincta a gratia efficaci.„

VIII. „In statu infirmitatis, in quo „sumus, nullus recipit gratiam sufficien„tem, ad quam non sequatur actus, „respectu cujus appellatur sufficiens.„

IX. „Fatendum est, quod nullus „peccator se convertere possit sine gra„tia particulari, aut speciali adjutorio, „quod facit, ut ejus voluntas a malo „ad bonum transeat, nec datur ejus„modi auxilium, nisi quando se effe„ctive convertit.„

X. „Cum dentur justi, in quibus „nec concupiscentia est devicta, nec

Sæc. XVII. A. C. 1691.

„ignorantia deſtructa, inferendum eſt, „quod auxilium ſufficiens non detur „omnibus juſtis, prout ambæ Facul„tates Duacenſis & Lovanienſis toto „Orbe celeberrimæ deciderunt.„

XI. „Nec minus evidens eſt, quod „gratia, quæ ad poſſe adjuvat, non ſit „omnibus data: & quod non omnes „diligant juſtitiam; principalis enim „& primus effectus gratiæ, quæ adju„vat ad poſſe, eſt, ut amorem juſtitiæ „fortiſſimum inſpiret, & ſine hoc amore „juſtitiæ homo eſt impotens ad adim„plenda, prout oportet, præcepta.„

XII. „Cum obdurati non habeant „gratiam ſufficientem, quia carent ea, „quæ cordis duritiem & cæcitatem „tollat, ita etiam juſti non habent cun„cta auxilia ſufficientia, quia non ha„bent gratiam, quæ concupiſcentiæ „victrix eſſet, & eos ab ignorantia li„beraret.„

XIII. „Theologi moderni, uti vide„tur, in hoc decipiuntur, quod credant, „non eſſe in poteſtate illius, qui vult, „non velle, ſaltem niſi poſſit aut actum „ſuæ voluntatis ſuſpendere, aut om„nino ab actione ceſſare.„

XIV. „Etſi voluntas ſemper ageret, „& non poſſet nec penitus ab actione „ceſſare, nec ſuam actionem ſuſpen„dere, hæc propoſitio conditionata „tamen

„tamen esset vera: *Si voluntas non vel-* Sæc. XVII.
„*let, non ageret, & agit, quia non vult,* A.C. 1691.
„& hoc sufficit, ut dici possit, quod „omissio hujus actus sit vere in pote-„state voluntatis, & quod ipsa illius „sit Domina.„

XV. „Ut ergo omissio sit in mea „potestate, non est necesse, ut possim „velle non agere, sed sufficit, ut possim „velle agere, & actio sequatur meum „velle.„

XVI. „Utriusque Doctoris SS. Au-„gustini & Thomæ axioma est, quod „necessitas, quæ ab inclinatione na-„turali provenit, non impediat liber-„tatem: jam vero hæc necessitas est „certa determinatio ad aliquid in par-„ticulari, quæ provenit ab interno „principio, sive demum sit inclinatio „naturalis, aut aquisita, aut infusa.„

XVII. „Posse mereri separatim „sumptum a posse demereri, non petit, „nisi libertatem, quæ consistit in non „faciendo necessario talem actum in „particulari: quod optime compatitur „cum necessitate, quæ est effectus in-„clinationis naturalis, indeque prove-„nit, quod amor in Beatis erga Deum „ex natura sua sit meritorius, eoque „magis sit actus liber & humanus.„

XVIII. „Prædeterminatio specialis, „quæ homini in præsenti statu infir-

Sæc. XVII A. C. 1691.

„mitatis neceſſaria eſt, impedit, ne „actio ſit in poteſtate ſuæ voluntatis.„

XIX. „Dicere, quod *Status naturæ „puræ ſit impoſſibilis*, eſt propoſitio nulli „cenſuræ obnoxia: veroſimile enim „eſt, quod Deus hominem extra ſta„tum juſtitiæ creare non potuerit, id „eſt, creare concupiſcentiæ ſubjectum „& ſine gratia originali, quæ eam „reprimeret.„

XX. „Quod ſit contra legem, ſem„per eſt peccatum; nec excuſatur quis, „ſi dicat, quod egerit juxta ſuam con„cupiſcentiam: nulla ergo dari poteſt „legis naturalis ignorantia invincibilis, „excuſans penitus a peccato eum, qui „ex ignorantia agit: Aliter dicendum „de lege poſitiva: hæc eſt doctrina SS. „Auguſtini & Thomæ.„

XXI. „Qui ſe credit ſub reatu pec„cati mortalis obligatum ad actum, „qui reipſa eſt peccatum mortale, pec„catum committit, ſive agat, ſive non „agat, ac propterea dicendum non eſt, „quod hic ſit perplexus: poteſt enim „& tenetur, ex ſuo errore egredi.„

§. VII.

Sæc. XVII.
A. C. 1691.

§. VII.

Doctorum Theſes ac propoſitiones a Sorbonæ & Navarræ Theologis cenſuris perſtrictæ.

Dum interea Duacenſes hi Theologi a perſonato hoc Arnaldo per integrum ferme annum ludificati fuerant, ipſe cum aliis Harlæum Pariſienſem Archiepiſcopum acceſſit, eique non modo eorum epiſtolas, ac propoſitiones inde excerptas, ſed præcipue eorum judicium deſuper latum exhibuit, totiusque hujus ludi ſeriem eidem manifeſtavit: mox ergo Archiepiſcopus Patris de la Chaiſe Jeſuitæ conſilium expetebat, cujus ſuaſu rem totam Ludovico Franciæ Regi expoſuit: ne vero Jeſuitæ hujus doli auctores crederentur, Tournelium inſtigabant, ut ſe tam captioſi commenti Architectum profiteretur: Rex vero mox Archiepiſcopo in mandatis dedit, ut deſignatis decem Sorbonæ & Navarræ Doctoribus cuncta Duacenſium ſcripta rigide diſcutienda traderet, atque ab eis peteret, ut declararent, an in eis quædam deprehenderent, quibus errores ab Innocentio X. & Alexandro VII. in Conſtitutione contra quinque Janſenii propoſitiones damnati innovaren-

Sæc. XVII. A.C. 1691.

tur: Hi ergo Doctores hoc anno die vigesima sexta Decembris post maturum, exactumque examen pronuntiarunt, quod in Duacensium scriptis plures contineantur articuli, in quibus diserte doctrina trium priorum Jansenii propositionum damnata innovetur, & præfatorum Pontificum Constitutiones verbis etiam iniquissimo joco plenis atque injuriosis impugnentur: Extorta hac Parisiensium Doctorum sententia Molinistæ toti in eo erant, ut Laleum, Lingium, Rivettum, Malpesium, aliosque sibi suspectos a Duacensi urbe & Academia ejicerent: ut vero omnem declinarent strepitum, omnemque accusationis intentatæ suspicionem a se amolirentur, novum artificium excogitarunt, rursus personati Arnaldi ope usi: Hic ergo datis ad Lignium literis eidem exposuit, quod opportuna occurreret occasio, qua apud quemdam sanctissimum Franciæ Episcopum, qui nonnisi Sanctum Augustinum in corde & ore habet, collocari, ac demum in ejus Seminario Theologiam docere posset: proxime ergo Lignius omnia sua scripta librosque Valencianas ad cauponam mitteret; eos tamen nonnisi cuidam juveni, nomine Antonio de Bois consignari faceret, ea duntaxat lege, si præfatus juvenis epistolam latori exhibuerit, in qua

qua hæc verba legerentur: *Non nobis Domine, ſed nomini tuo da gloriam:* Paruit Lignius doli ignarus; & tertia poſt hebdomada falſus Arnaldus datis literis, ejus libros feliciter ad deſtinatum perveniſſe locum, Lignio ſignificavit, eique auctor exſtitit, ut habita publica diſputatione primam Doctoratus lauream emereretur, ut hoc honore clarus Seminarii Cathedram majore cum applauſu moderari poſſet, poſtea vero ipſum Arnaldum Pariſiis in Seminario S. Maglorii conveniret, ſi vero eum ibidem non reperiret, itinere Toloſam facto Carcaſſonem peteret, ibidem a Cathedralis Eccleſiæ Decano ad Epiſcopum deducendus: Præſcripſit Lignio ipſemet perſonatus hic Arnaldus pro obtinendo Doctoratus gradu futuræ diſputationis theſes, quæ omnes propoſitionibus proxime allatis omnino conſonæ erant: Obtemperavit iterum Lignius, obtentaque laurea exeunte Menſe Majo hujus anni Duaco Pariſios venit, cum tamen ibi Arnaldum reperire haud poſſet, Carcaſſonem venit, ubi ſeſe tandem a ficto Arnaldo deceptum fuiſſe, ingemuit: Poſtquam igitur Moliniſtæ Lignium tam feliciter amoviſſent, ceteros quoque perdere intenti erant: rurſus igitur ementitus Arnaldus datis ad eos literis expoſuit, quod

Sæc. XVII. A. C. 1691.

Sæc. XVII. A. C. 1691.

quod Lignius ipsemet a suo famulo omnibus libris, & literis spoliatus fuisset, atque hic idem sceleratus homo omnes eorum literas ad Regem detulisset, ab eoque literarium commercium, quod ipsi cum eo hucusque habuissent, tanquam abominandum fuerit creditum, eoquod nimis aperte de S. Augustini doctrina, & nimis audacter de Jesuitis locuti fuissent, proin nil consultius censeret, nisi ut ceteri fuga suæ libertati consulerent: Sub idem ferme tempus personatus ille Arnaldus, ejusque complices scriptum sub hoc titulo: *Epistola Duacensis Doctoris in caussa suæ Universitatis* in vulgus sparsere, paulopost prodiit eadem epistola sic inscripta: *Arnaldinæ factionis arcana recens detecta:* ibi judicium circa septem illas theses, approbantium nomina, & plurium epistolarum, quas ad fictum Arnaldum dedissent, fragmenta omnium oculis exposita erant: mox etiam Jesuitæ ubique inclamabant, in hoc libello *novæ sectæ articulos, & arcanum novæ Ecclesiæ symbolum* contineri, atque Arnaldum *novum Evangelium, novamque Ecclesiam super rudera Ecclesiæ Christi erigere:* Ad hujus rei famam obstupuere Duacenses, verusque Arnaldus comperta Impostoris fraude apud Atrebatensem Episcopum, & Leodiensem Principem vehe-

vehementer queſtus, duas literas ad Jeſuitas ſcripſit, in quibus eos hujus doli aut Architectos, aut operarios traducens, fictum hunc Arnaldum, *Angelum Sathanæ*, *Diaboli organum* &c. appellitabat. Sæc. XVII. A. C. 1691.

§. VIII.

Hi doctores Regis juſſu in exilium amandati.

Poſtquam hi Duacenſes Doctores ſe tam turpiter deluſos compererant, Regis indignationem veriti, ſe paratos exhibuere, ut ſuam ſubſcriptionem revocarent, propoſitionesque deteſtarentur, quinimo ſuis propriis literis convicti, ac pœnarum metu territi formulæ ſimpliciter ſubſcripſerunt, quoniam vero pro more ſuo juramentum ita interpretati eſſent, ut ſupra ſolas quinque propoſitiones, non autem ſuper ſenſum ac librum Janſenii caderet, aliunde vero Belgii Præſules & Parienſis Archiepiſcopus huic interpretationi acriter obſiſterent, hinc Franciæ Rex facti promiſſi ſinceritatem jure ſibi ſuſpectam habens, hoſce Doctores in exilium detrudi juſſit: Igitur præprimis Gilbertus ex S. Quintini oppido, ubi jam exul morabatur, ad alpes ſancti Flori, ac inde Tiernium abducebatur;

Sæc. XVII. A. C. 1691.

batur; poſtea in arce *Inciſæ Petræ* in-cluſus. Laleus vero Cenomanum, Rivettus Conſtantiam in Normania, Malpeſius ad Santones, & Lignius Turonium patria extorres expulſi ſunt. Hæc demum erat cataſtrophe improbi hujus luſus, a cujus Auctore animi honeſtas, ſinceritas, integritas, pro-bitasque longe exulabant, deluſi autem nimis luculenter teſtati ſunt, quod tan-to tempore Pontificibus, Epiſcopis, eorumque deciſionibus, & Senatuum decretis illuſerint, dum reipſa, ac pro-priis verbis, & confeſſionibus etiam Notarii auctoritate ſignatis profeſſi ſunt erroneam doctrinam, quam tamen per-verſa ſimulatione per plurimos annos nonniſi merum phantasma, hoſtium ſuorum commentum, ac puerorum terriculamentum eſſe ſparſerunt.

§. IX.

Varia conſilia pro componendis reli-gionum diſſidiis.

Op. Poſth. Boſſuet. Vol. I.

Jam longo abhinc tempore in Imperii comitiis pro ſedandis religionum tu-multibus, quibus Germania miſerum in modum diſcindebatur, varia agitata fuere conſilia: Præprimis vero Leo-poldo Imperatori præplacuit illorum conſilium, qui per amica colloquia Pro-

Sæc. XVII. A.C. 1691.

Proteſtantes ad veritatis agnitionem pertrahi ſuadebant: Hanc in rem Leopoldus Cardinalis Colonitſius & Neoſtadienſis Epiſcopus jam ſæpius cum Prædicantibus conferebat, totusque in eo erat, ut tam his, quam ceteris Proteſtantibus infectam ſuæ ſectæ originem, atque errores detegeret: ut vero idem Epiſcopus majore auctoritate hoc negotium promovere poſſet, Imperator eidem hoc anno Cæſareum transmiſit diploma, vi cujus Religionis negotia *cum omnibus ſtatibus, Communitatibus omniumque ſuorum Regnorum ſubditis* pertractandi plenam conceſſit poteſtatem: Præſeferebant ipſimet Proteſtantes concordiæ deſiderium, ac propterea inter ceteros ſuos Prædicantes præcipue ſelegerunt Molanum Hanoverani Conſiſtorii Directorem, quocum Neoſtadienſis Epiſcopus frequens quidem habuit colloquium, uberiorem tamen ſegetem ſibi pollicebatur, ſi in laboris ſocietatem vocaret Benignum Boſſuetium Meldenſem Epiſcopum, longe celeberrimum Vineæ Evangelicæ Operarium. Hic jam anno priori contra Jurieum Calvinianum Prædicantem decertans, ſectæ hujus fundamenta penitus everterat, atque ex frequentis conflictus uſu didicerat, ad convincendos Proteſtantes nil efficacius

Sæc. XVII. A. C. 1691.

cacius esse, quam ut Ecclesiæ infal-libilitatem agnoscere; adstringantur; quocirca Neostadiensi Episcopo cete-risque Doctoribus auctor exstitit, ut præprimis Protestantes circa dogma de Infallibilitate Ecclesiæ convincerentur, ac postea sepositis præconcepta-rum opinionum studiis integra fide di-scutere juberentur ea, quæ Ecclesia aut credit aut damnat: animis autem ita dispositis, insuper eis permitteretur, ut omnes Augustanæ Confessionis articulos ipsimet *reformare* possent, sub specie eos declarandi, aut expli-candi, ut hac ratione *retractationis* facta calumniam declinent. Facta autem hac correctione veluti in Synodo con-venirent, eo fine, ut Concilium Tri-dentinum suo etiam suffragio approba-rent, illudque eorum quoque accessu Oecumenicum facerent, prout illud quantum ad omnes Ecclesias Catho-licas jam tale est. Denique Bossuetus nomine totius Ecclesiæ Protestantibus pollicebatur, quod Ecclesia circa ar-ticulos disciplinam concernentes erga Protestantes conversos omni ea indul-gentia sit usura, quam filii imbecilles quidem, dociles tamen a Matre tener-rimo affectu eos complectente merito exspectare possent: Verum salutaris hujus consilii successum, spemque in-tercidit

tercidit suis cavillationibus Gottfridus Guilielmus Leibnitzius Imperialis Senatus Consiliarius, qui a pacis studio longe alienus sese importunius huic negotio ingessit, voluitque, ut præprimis sub certis conditionibus Catholicos inter & Protestantes reunio fieret, ac postea de fidei dogmatibus conveniretur: Magis æquum, ac pacificum sese monstraverat Molanus, cujus tamen propositus uniendi modus a ceteris rejiciebatur, proin totum hoc negotium successu caruit. Nihilominus tamen Episcopus Neostadiensis religionem Catholicam propagare, & hæreticos ad eam reducere, reductosque suis sumptibus juvare, eisque omnem opem ferre non destitit, hancque in rem occultato suo nomine jam ante decem annos suam Augustanam, & Anti-Augustanam Confessionem ediderat, quam tamen Valentinus Albertius Lipsiæ refellere moliebatur. Sæc. XVII. A.C. 1691.

§. X.

Quædam Cartesianæ opiniones jussu Regis a Parisiensi Universitate proscriptæ.

Eodem hoc anno Harlæus Parisiensis Archiepiscopus Ludovicum XIV. Franciæ Regem convenit, eidemque re-

Sæc. XVII. A. C. 1691.

retulit, a quibusdam Parisinæ Universitatis Professoribus opiniones sanæ doctrinæ contrarias tradi: Rex igitur fidei puritatem conservare intentus, injunxit, ut ejus nomine Archiepiscopus Rectori significaret, quod Rex præfatas sententias ex Cartesii sententia deductas omnino a scholis eliminari præcipiat: Erant autem sequentes propositiones.

I. Abjicienda sunt omnia præjudicia, & priusquam cuicunque cognitioni adhæreatur, de omnibus dubitandum est.

II. Dubitandum quoque, an existat Deus, usque dum clara habeatur cognitio.

III. Ignoramus, an non Deus non ita creare voluerit, ut etiam in rebus quæ nobis clarissimæ videntur, decipiamur.

IV. In rebus Philosophicis non esse curandum de malis consequentiis, quæ ex quadam sententia deduci possunt contra fidem, acsi cum ea incompatibilis videatur: non obstante hoc, huic opinioni inhærendum, si evidens videatur.

V. Corporum materia nihil aliud est, quam ipsorum extensio, nec hæc sine altera esse potest.

VI. Fi

Sæc. XVII. A.C. 1691.

VI. Fides, ſpes & charitas, & generaliter omnes habitus ſupernaturales nil ſpirituale ſunt diſtinctum ab anima, ſicut nec habitus naturales nil ſunt ſpirituale diſtinctum a ſpiritu & voluntate.

VII. Rejiciendæ ſunt omnes rationes, quibus Theologi & Philoſophi hucusque cum S. Thoma ad demonſtrandam Dei exiſtentiam uſi ſunt.

VII. Omnes infidelium actiones ſunt peccata.

IX. Status naturæ puræ eſt impoſſibilis.

X. Ignorantia invincibilis juris naturalis non excuſat a peccato.

XI. Homo liber eſt, dummodo cum ratione & plena cognitione agat, etſi neceſſario ageret.

Ut ergo Univerſitatis Rector Regis mandato pareret, die vigeſima octava Octobris omnes Philoſophiæ Profeſſores convocavit, eisdem præcipiens, ut cuncti cum plena ſubmiſſione Regiæ ſuæ Majeſtatis mandato obtemperarent, ac præfatas propoſitiones nequaquam traderent, & quoniam ex ipſis nullus prohibitis ſententiis ac doctrinis cujuscunque Authoris ſive Philoſophici ſive Theologici nec directe nec indirecte favere intendat, iterum polliceantur, quod ſemper eas abhorrere, & quæſtiones

Sæc. XVII. A. C. 1691.

a sana Philosophia absonas, atque expressiones, quibus se circa hanc materiam suspectos reddere possent, declinare velint: Nihilominus tamen compertum fuerat, quod progressu temporis quidam Philosophiæ Professores Cartesii opiniones adoptarent, hinc die trigesima prima Decembris anno hujus sæculi nonagesimo tertio in comitiis generalibus Societas Sorbonica hoc decretum edidit: „Cum „relatum esset ad Societatem, non„nullos Philosophiæ Professores, et „iis etiam aliquando, qui ad Societa„tem anhelant, novas quasdam Doctri„nas in Philosophicis sectari, minus„que Aristotelicæ Doctrinæ studere, „quam hactenus usurpatum fuerit in „Academia Parisiensi, censuit Societas „injungendum esse illis, imo & iis „qui docent Philosophiam in Collegiis „suo regimini creditis, ne deinceps „novitatibus studeant, aut ab Aristo„telica Doctrina deflectant.„

§. XI.

Eucharistiæ articulus a Patriarcha Constantinopolitano denuo stabilitus.

Jam dudum Joannes Caryophilus Logotheta de fidei suæ sinceritate non paucis

paucis ſuſpicandi anſam præbuerat; plura enim edidit ſcripta, in quibus motis variis difficultatibus, ſeu potius cavillationibus plures fidei articulos ſubdole impetebat, & quidem ſub ſpecioſo dubium movendi obtentu ipſum *transſubſtantiationis* nomen arguebat: cum autem Callinicus Patriarcha Conſtantinopolitanus haud obſcure deprehenderet, quod Caryophilus ſub hoc velamine Cyrilli Lucaris errores jam antea damnatos innovare, ac ſtabilire moliretur, hinc convocato Epiſcoporum conventu Parthenii olim Conſtantinopolitani Patriarchæ confeſſionem orthodoxam anno hujus ſæculi ſeptuageſimo ſecundo editam confirmavit, Caryophili vero ſcripta damnavit.

Sæc. XVII. A. C. 1691.

§. XII.

Rex Franciæ ubique victor.

Ineunte hoc anno Catinatus Franciæ Mareſcallus Mommelianum Sabaudiæ urbem lento obſidio ad deditionem compellere intentus, tandem Menſe Novembri ea potitus eſt: poſtea vero Nicæa Aveniana & Carmaniola expugnatis, trans Padum profectus, ad Salutias caſtra metatus eſt, Taurinum denuo oppugnaturus: mutato tamen conſilio, & Carmaniola a fœderatis recu-

Hode Hiſt. de Louis XIV. t. 3. lib. 48. Hiſt. du Princ. Eug. l. 2. p. 139.

Sæc. XVII. A. C. 1691.

recuperata, Feuquierio in mandatis dedit, ut Cuneum validissimum oppidum obsideret. Hic ergo die decima quinta Julii urbem cum decem Gallorum millibus infestat; ast gemino assaltu frustra tentato, Eugenii Principis adventum fortunamque veritus, amissis suorum plusquam tribus millibus, relictaque machinarum atque impedimentorum parte maxima indecore aufugit: paulopost etiam Maximilianus Emanuel Bavariæ Elector rursus Gallis Fossanum, Savillianum & Salucias eripuit: In Belgio tamen Franciæ Rex post quindecim dierum obsidionem Montes Hannoniæ expugnavit, ac Leodiensi urbe ignivomo globorum grandine penitus devastata Lucemburgus Franciæ Marescallus Hallam subegit, cunctaque ejus munimenta solo æquavit, demum Leuzam contendens, fœderatos fudit, fugavitque, ad ceteras vero Belgii urbes emissis incendiariis aditum sibi facere moliebatur, quorum tamen plusquam centum partim Bruxellis, partim Brugis, Lovanii, Mechliniæ & Antverpiæ captis sua spe frustratus est. Nec minus prospere in Catalonia pugnabat contra Hispanos Noaillius Dux, qui Urgella urbe post octiduanam aggressionem expugnata nongentos præsidiarios in capti-

captivitatem abstraxit, totaque Catalonia sibi subjecta Barcinonem & Alonam præcipuas hujus Provinciæ Urbes globis ignivomis misere fœdavit, a Rhoda tamen, detecta Præfecti proditione excluſus, hanc urbem primum anni sequentis die nona Junii deditione cepit. Tot vero cladibus irritati Hispani in Gallos ibidem degentes tumultuaria seditione insurrexere, eosque suis facultatibus exuerunt: hæc tamen seditio Lobcovitii Oratoris Cæsarei opera, & Oropesæ Ducis primarii Ministri exauctoratione paulopost sedata est. Attamen bellum admodum segne hoc anno erat ad Rhenum; cum enim ibi mediocris Gallorum exercitus esset, Lorgius eorum Bellidux magna aggredi minime ausus, nonnisi variis diverisque itineribus huc illuc castra ac minas circumferebat: Moguntiam tamen intercipiendi spem faciebat quidam Cæsareus quæstor, qui Lorgio per literas significabat, quod constituta die sub stipendii numerandi obtentu præsidiarios educturus esset, per eandem ergo portam Galli in urbem irrumperent: interceptis autem hisce literis Quæstor capitis obtruncatione pœnam suæ perfidiæ luit, & Lorgius infecta re Rhenum trajicere coactus est. Sæc. XVII. A. C. 1691.

Sæc. XVII. A. C. 1691.

§. XIII.

Turcæ apud Salankemeni oppidum a Cæsareis ingenti clade affecti.

Wagner Hist. Leop. l. 12.

Superioris anni infaustam belli fortunam reparabat secundior hujus anni expeditio contra Turcas in Hungaria; quamvis enim Cuproglius novus Vezirius, Vir virtute ac prudentia insignis, præter Spahiorum sex millia, plusquam nonaginta duo armatorum millia, non computatis Tartaris in suo exercitu recenseret, ac Leopoldus Cæsar ægre quinquaginta millia contrahere posset, Badensis tamen Marchio suorum fortitudini confisus, hostem aggredi statuit: Igitur aciem prope Salankemenum tam opportune explicat, ut a tergo flueret Danubius, dexteram præfatæ urbis ager, lævam vero vallium hiatus contegerent: Iniquissimo autem fato contigit, ut Bucquoia legio inter ceteras lectissima, cum ob impedimentorum molem exercitum assequi non posset, a Spahiis circumventa penitus deleretur, ac insuper Vezirius noctu in acclivi ad Danubium colle castra locaret; hoc enim castrorum situ a Petrovaradini commeatu intercisus erat Cæsareus exercitus, proin aut fame pereundum, aut præ-

lio

lio vincendum erat. Nihilominus Badenſis ex deſperatione animum acuens, die decima quinta Octobris pugnæ ſignum dedit: Dextrum cornu primo procurſu avidius in hoſtem irruit, aſt continente globorum procella excipitur: accurrit Equitatus, & generoſo mortis contemptu vallum ſuperare connititur, Cæſarei tamen hoſtium numero obruti, & denſiſſima pilarum tempeſtate proſtrati ſeſe recipere parant, quo conſpecto Turcæ turmatim affluentes perfractis ordinibus ingentem edunt ſtragem. Badenſis illico quasdam legiones ſubmittit auxilio, confuſosque peditum ordines reſtituit: Graviter etiam laborabat media acies, in quam Spahii tantam dedere impreſſionem, ut integræ cohortes trucidatæ jacerent, tempeſtive autem Barfuſius hujus aciei Ductor adductis ſuppetiis ſparſos collegit, aciemque reſtauravit: Tardius quidem Dunewaldus cum ſuo agmine in pugnam venit, ſed hæc ipſa cunctatio Cæſareis ſaluti fuit; comperto enim proximæ cladis periculo hoſtem a tergo aggredi ſtatuit: ejus igitur juſſu Hoffkirchius Comes per avia & invia ad averſum hoſtilium caſtrorum vallum contendit, fuſoque Töckelio, qui pone in tumulo excubabat, tacito greſſu in vallum penetrat,

Sæc. XVII. A. C. 1691.

Sæc. XVII. A. C. 1691.

nequidem obſervatus a Turcis, qui hoſtem pro Töckelianis aſpexere: ubi vero a tergo ingentem globorum grandinem depluere ſenſerant, novum exercitum inſtare rati, tanto pavore obruti ſunt, ut Equites effuſis habenis confertim erumperent: Starenbergius ex trepido vexillorum motu hoſtium fugam conjectans, mox cum ſuis certamen inſtaurat, revulſoque vallo incertos, quo ſe verterent, urget: Pugnandum adhuc erat cum Janiſſaris prope integris; qui tamen dextri cornu impulſu a fronte tergoque circumventi poſt lanienam atrociſſimam retrocedere cogebantur. Cecidere in hoc prælio ipſemet Ahmetes Cuproglius Vezirius & ferme centum varii gradus Belliduces: Ex centum Turcarum millibus nonniſi triginta millia ex fuga Belgradum venere, pars magna diſperſa, Janiſſarorum plerique trucidati, capta cum ærario caſtrenſi tormenta centum quadraginta quatuor, præcipue duo Vezirii vexilla ſummo Pontifici Romam dono transmiſſa, & ferme innumera armorum, annonæ & jumentorum copia, ipſaque caſtra in prædam victoribus ceſſere. Cecidere ex Chriſtianis tria millia centum & ſeptuaginta duo, ſaucii quater mille centum & viginti novem; Inter mortuos deplorabantur Frideri-

Fridericus Augustus Holsatus & Arembergius Duces, aliique inferioris dignitatis Tribuni numero quinquaginta tres. Souchius quoque non una victoria clarus haud multo post e vulnere extinctus est. Sæc. XVII. A. C. 1691.

Jam antea Veteranius Bellidux Tartaros in Transylvania, & Töckelium in Valachia fudit, fugavitque, Croyus quoque Brodam Sclavoniæ urbem expugnavit, ac reliquam dein Sclavoniam & Gradiscam Cæsaris imperio denuo subjecit.

§. XIV.

Julii Spinolæ Cardinalis obitus.

Hujus victoriæ lætitiam præripuit mors Julio Spinolæ Cardinali. Hic Genuensis Patricius jam a puero Sacræ militiæ destinatus egregio studiorum profectu sese ad præclara Ecclesiæ obsequia jam dudum longe aptissimum reddiderat: Postquam enim vigesimo quarto ætatis suæ anno Laureatus Romam venerat, jam ab Urbano VIII. in variis Ecclesiæ urbibus Prætor designatus, tantam prudentiam, ac magnanimitatem præseferebat, ut proscriptos rebelles, qui Provinciam dire vexabant, extirpandi onere gravatus, non modo hos exiguo temporis spatio com- *Old. in cont. Ciac.*

Sæc. XVII A. C. 1691.

compeſceret, & Nurſiam Sabinorum urbem pacatam redderet, ſed etiam expugnato Caſtro ſeditiones ubique exortas ſedaret. His feliciter peractis, ab Innocentio X. Nuntius Apoſtolicus Neapolin decretus, ab Alexandro VII. Leodiceæ Archiepiſcopus, ac demum pro comprobando Leopoldi Cæſarii connubio Viennam Legatus mittebatur, quo in munere tantam hujus Imperatoris exiſtimationem ſibi compararat, ut hic per literas immenſis pene elogiis refertas Julium Romanæ Purpura decorari, enixe peteret. Tandem Julius Vienna Romam reverſus, pluribusque Patrum cætibus ob eximiam eruditionem adſcriptus, ibidem Menſe Martio ferme octogenarius deceſſit.

§. XV.

Antonii Bichii Cardinalis deceſſus.

Corn. relat. de la Cour de Rom. Eggs Purp. doct. p. 448.

Præceſſerat Julii obitum Antonius Bichius Patritius Senenſis, Alexandri VII. Pontificis ex Sorore Nepos, qui emenſo ſtudiorum curriculo Fabium Chiſium Colonienſem Nuntium in ſua legatione ſecutus, ab eodem ob præclaras animi dotes in laboris partem, & conſiliorum communicationem aſſumptus eſt: Hujus Nuntii Apoſtolici ma-

magisterio tantum profecerat Bichius, ut Colonia reversus, ab Urbano VIII. in Belgium Legatus decerneretur, ubi non modo Lotharingii Ducis causſam utiliter gessit, sed etiam Jansenii erroribus summa vigilantia, ac imperterrito animi robore obstitit: Hoc ministerio præclare defunctus, in præmium operæ strenue navatæ primo Ecclesiam Montis Ilcini ab Innocentio X. & ab Alexandro VII. Auximanam Episcopus regendam suscepit, ubi totus fuit in sublevandis populis, in tranquillitate ubique conservanda, in restituendo Dei cultu plurimum neglecto, in extirpandis vitiis, & revocanda Ecclesiæ disciplina: Pastorali huic labori intentus, ab eodem Pontifice Cardinalatus honore & Urbini Legatione, pluriumque Congregationum subsellis exornari promeruit, tantaque prudentia, mansuetudine, justitia & integritate hanc Provinciam administravit, ut ejus memoria adhucdum in Urbinatis populi cordibus insculpta vigeat; præprimis enim leges Reipublicæ utilissimas condidit, Clerum populumque exorbitantem ad honestatem reduxit, & Pisauri portum jam dudum alluvionum & maris irati injuria navigiis impervium reseravit, & sicarios publicæ tranquillitati infestos sustulit, atque repressit: Postquam igi-

Sæc. XVII. A. C. 1691.

tur

Sæc. XVII. A. C. 1691.

tur non modo Rectoris, sed maximi optimi Parentis nomen sibi a singulis conciliaverat, post quinquenii labores publicos ad Ecclesiam suam Auximanam rediit; quam indefessa vigilantia usque ad obitus sui diem primam Februarii rexerat: Annum agebat ætatis suæ septuagesimum septimum. Scripserat præclaras, utilesque constitutiones pro Diæcesi Auximana præter mystica opuscula, orationes atque epistolas.

§. XVI.

Joannes Franciscus Ginettus Cardinalis mortuus.

Palat. fast. Card. l. 5.

Quo die hoc anno Joannes Franciscus Ginettus naturæ debitum solverit, certo haud constat: Hic Veliræ anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo sexto natus, a Martio Ginetto Cardinale Patruo suo Romam evocatus, in pietatis exercitiis, ac scientiis uberrime enutritus erat: quapropter ab Alexandro VII. Cameræ Clericus, & postea Pontificii ærarii Præfectus nominabatur: demum ab Innocentio XI. æquissimo meritorum Judice ob integritatem, aliasque præclaras virtutes Sacra Purpura, & Firmano Archiepiscopatu honoratus est: ubi etiam anno ætatis suæ sexagesimo quinto vivis valedixit, laboris

boris sui præmium in cælis præstolaturus. Sæc. XVII. A. C. 1691.

§. XVII.

Raymundi Capisucchi Cardinalis fata.

Purpuratis hoc anno denatis adjungimus Raimundum Capisucchium, qui ex pervetusta Romana Familia Romæ natus, atque in Sacro fonte Camillus dictus, pietatem, optimamque indolem a suis parentibus hausit: Literis autem humanioribus cum maximo profectu instructus anno ætatis suæ decimo quarto Ordinis FF. Prædicatorum habitum obtento nomine Raymundi induit, evolutoque anno professionem Romæ emisit, ætatis veniam concedente Urbano VIII. Studiorum ibidem cursu emenso, per plures annos cunctis scholæ officiis functus, tandem Theologiæ Magister creabatur: Postea Vincentii Candidi Magistri S. Palatii Socius primo adscitus, tum ab Innocentio X. Indicis Secretarius, Episcoporum examinator, ac demum sacri Palatii Magister renuntiabatur, incertum relinquens, an plus ornamenti ab hisce dignitatibus acceperit, quam ob sua merita eis reddiderit: Erat enim eruditione ac doctrina præstantissimus, inge-

Mandos. in Bibl. tom. Palat. fast. Card. t. 4 Baron apol, t. 2. l. 5.

Sæc. XVII. A. C. 1691.

ingenita morum ſuavitate, orisque Majeſtate omnibus longe acceptiſſimus: Nec tamen æmulorum invidiam effugere poterat; hi ergo omnes malitiæ artes exhauriebant, ut Raymundum Alexandro VII. exoſum redderent: occaſionem captabant ex Vincentii Baronii libro (*) quem Raymundus approbabat, quamvis Author Jeſuitas & præcipue Nithardum e Societate Cardinalem aggreſſus, eisdem doctrinæ moralis laxitatem exprobraſſet. Hoc piaculare erat Raymundi crimen, propter quod tam acerbas vexationes ſubire cogebatur, ut ultro Palatii Apoſtolici Magiſterio cederet, ac æmulorum iræ locum daret: Equidem Alexander VII. cognita Viri innocentia inſignes offerebat Infulas, quas ipſe tamen conſtanter recuſavit, cauſſatus, Eccleſiæ haud ſatis conſultum eſſe, ſi Epiſcopus præeſſet aliis, qui illum nondum fama in integrum reparata, reprehenſibilem eſſe, putarent. Maluit igitur ſolitarius cum ſuis in Monaſte-

(*) Huic libro titulus erat: *Ethices Chriſtianæ ſeptendecim loci, ſive opinionum a legi ſtantium neceſſarius ad ſalutem delectus vindicatus a noviſſimis diſſertationibus ficti Amadæi Martini Eſparzæ, Terilli, Honorati Fabri, Lucii, Bonæ ſpei & Egidii Eſtrix.*

nasterio Sacris Musis vacare, donec ab eodem Pontifice primum a Magistro Ordinis locum acceptare jussus, tandem a Clemente X. qui Raymundi merita Ecclesiæ necessaria censebat, ad pristinam Magisterii dignitatem, ceterosque honores revocatus est, non sine communi omnium aggratulatione: Tum vero Raymundi virtus ex hisce tenebris emersa tam clare eluxit, ut Innocentius XI. ejus merita & præclara obsequia Sedi Apostolicæ præstita haud inferiore præmio, quam Romana Purpura compensari posse ratus, eundem Presbyteris Cardinalibus adscripsit, qua dignitate fulgens, nihil a pristino Ecclesiæ inserviendi studio remisit, sed plurium Congregationum Collega in maxime arduis negotiis suam impendit operam: diem tandem supremam Romæ obiit vigesimam secundam Aprilis, annos natus septuaginta quinque. Scripsit controversias Theologicas, Appendices ad easdem, censuram seu votum ad librum de cultu SS. Veteris Testamenti, Discursus de gradu virtutum in Sanctis Canonisandis requisito, Sacros sermones in Sacello Pontificio a variis habitos, vitam B. Joannis Chisii & B. Angelæ, orationem panegyricam in laudem D. Thomæ, Quæstiones Theologicas & dogmaticas,

Sæc. XVII. A. C. 1691.

Sæc. XVII. A. C. 1691.

Dissertationem Historico-Theologicam de hæreticis Prædestinatianis præter plura alia nondum typis edita.

§. XVIII.

Principum atque Illustrium extrema.

Ill. Europ. tom. 14. Priet. Annal. cont. Jæger Hist. Eccl. p. 83.

Hoc item anno Joannes Georgius III. Saxoniæ Elector non sine maximo omnium luctu mortalitatem exuit; cum enim in Cæsareis castris ad Rhenum malignæ febres tanta rabie grassarentur, ut iis affecta essent decem ferme armatorum millia, ipse etiam Elector morbo oppressus, die decima sexta Augusti e castris Tubingam delatus est, ubi demum die undecima Septembris decessit, postquam nonnisi annos quadraginta quatuor & dies viginti inter mortales vixerat. Princeps erat de Germaniæ Republica optime meritus, utpote qui ad Viennam liberandam inter primos advolabat, Gallorum violentiis strenue sese opponebat, & Leopoldum Cæsarem tanquam Patrem suum mirifice colebat. Successorem habuit Filium suum Joannem Georgium IV. Decessit etiam Adrianopoli ex Apoplexia die vigesima secunda julii Solimanus Turcarum Imperator anno ætatis suæ quinquagesimo: Pari fato & morbo sublatus est die

die secunda Octobris Ratisbonæ Hermanus Badensis Marchio, qui annum ætatis suæ sexagesimum tertium in munere Cæsarei Principalis Commissarii ad Imperii comitia glorioso fine clauserat, sepultus ibidem in Ecclesia ad S. Emeramum: Hoc in munere successorem habuit Ferdinandum Augustum, Leopoldum Principem de Lobkovitz: Obiit etiam die decima nona Septembris in prælio ad Leuzam Joannes Georgius Princeps Anhaltino-Bernburgensis, qui annorum septendecim Juvenis invicta fortitudine Gallos repressit, donec equo suo dejectus, a Gallis cinctus ac septem vulneribus saucius occumberet. Denique inter fœminas ob sanctitatis famam celeberrimas merito recensetur Maria de Cyz Leidensis Virgo, quæ a Calvini secta Deo mirabiliter vocante ad fidem Catholicam reversa hoc anno sanctissime decessit. Sæc. XVII. A. C. 1691.

§. XIX.

Variæ Innocentii XII. Constitutiones.

Cum Alexander VIII. morte prævenitus Canonisationis diplomata perficere haud posset, Innocentius XII. ejus Successor hoc anno historicam re- *Bull. Magn. Const. Innoc. XII. pag. 112.*

Sæc. XVII. A.C. 1691.

lationem vitæ, mortis & miraculorum SS. Joannis de Deo, Joannis a S. Facundo, & Cajetani a Clemente X. in Sanctorum numerum relati die decima quinta Julii edidit, eorumque Canonisationem promulgavit: in Bullario tamen magno non habentur literæ Pontificiæ Canonisationis SS. Laurentii Justiniani & Paschalis Baylon. Eadem quoque die Pontifex Conclavistis consuetas gratias, & privilegia concessit. Statuit præterea die decima octava ejusdem Mensis, ut Diæta intermedia Congregationis Ord. S. Benedicti Casinen. biennio post celebratum Capitulum Generale haberetur. Confirmavit die decima tertia Julii Innocentii XI. decretum, quo statutum, ut nihil pecunitus a Fabrica Basilicæ S. Petri donaretur, nequidem ad titulum eleemosynæ, dum ipsa ingenti ære aliena gravata dignoscitur, minusque debitoribus, vel aliis supplicantibus per compositione quicquam remitteretur post applicationem & rem judicatam ad favorem prædictæ fabricæ, nisi constet de vera paupertate, & impossibilitate solvendi. Concessit etiam die vigesima octava Augusti indulgentias plenarias visitantibus Ecclesias fratrum Ord. S. Joannis de Deo in ejus Festo pariter die quinta Novembris revoca-

vit exemptiones a vectigalibus, aliisque publicis oneribus. Insuper die duodecima ejusdem Mensis indixit Jubilæum universale: die vigesima ejusdem Mensis præcepit, ut Clerici & Presbyteri incedant in habitu & tonsura, nec aliter celebrare permittantur, Sacrum vero non nimis properanter peragant, nec in ædibus Canonicalibus mulieres habitare permittant, demum die prima Decembris omnes Regulares Apostatas ad reditum invitavit, ac pœnas condonari præcepit. Sæc. XVII. A. C. 1691.

§. XX.

Plures Sacrarum Congregationum decisiones.

Die decima tertia Januarii Sacra Concilii Congregatio declaravit, quod Capellanus seu Beneficiatus, cui reperitur injunctum, quod celebret annue unum Anniversarium quindecim vel viginti Missarum pro Anima Fundatoris, non teneatur curare, ut celebretur Missa cantata, quia nisi aliud exprimatur in fundatione, tale Anniversarium intelligitur de hisce Missis privatis eadem die anniversaria celebrandis in loco, ubi Capellano bene visum fuerit. Ejusdem Mensis die decima nona Episcoporum Congregatio *Decis. SS. Congr. Concil. Rit. Episc. &c.*

Sæc. XVII. A. C. 1691.

decidit, quod Regulares in ſuis ſup plicationibus non poſſint, nec debeant ducere puellas habitu fictitio Angelo rum, & quod famuli, famulæque Mo nialium etiam exemptarum nullum ha beant privilegium, ſed teneantur a præceptum Paſchale in Eccleſia Paro chiali, in qua (alibi Sepultura no electa) ſepeliantur, & infirmi a Paroch Sacramenta recipiant, & ad ſepultu ram aſſocientur, non vero a Monia lium Confeſſario. Congregatio auten Immunitatis die ſecunda Julii ſtatuit ut abſolutio a cenſuris ob violatam im munitatem, libertatem, & Jurisdictio nem Eccleſiaſticam incurſis ita ſumm Pontifici ſit reſervata, ut vacante ſed Apoſtolica, deſit poteſtas abſolvendi Decrevit quoque S. Rituum Congre gatio die undecima Auguſti, quo quævis dies octava B. V. debeat ha bere integras utrasque veſperas in con currentia Officii duplicis minoris: Con cionator autem debeat prius ſalutar Canonicos, quam Gubernatorem Ci vitatis: denique officia Sanctorum ra tione Corporis aut inſignis Reliquiæ recitanda, intelligantur de Sanctis duntaxat in Martyrologio Romano de ſcriptis: in feria ſexta autem poſt octa vam Aſcenſionis fieri poſſit de officio ſemiduplici translato. Eadem S. Con

grega-

gregatio die decima quinta Septembris declaravit, quod dignitates, & Canonici semper teneantur in Missis solemnibus, & Conventualibus præcipue in diebus festis ex obligatione Capitulari assistere sibimetipsis gradatim in ministerio Sub - & Diaconi: Decidit quoque S. Concilii Congregatio die decima quarta Novembris, quod danda sit dispensatio irregularitatis contractæ celebranti cum vinculo excommunicationis latæ contra formam Conciliorum. Ejusdem Mensis die decima septima declaratum, quod Parochi Ecclesiarum filialium teneantur accedere ad Benedictionem fontis, & ad recipiendum oleum Sanctum in die Sabbati Sancti.

Sæc. XVII. A. C. 1691.

§. XXI.

Quorumdam Eruditorum libri & decessus.

Duorum, qui ex Scriptoribus Catholicis hoc anno obiere, lucubrationes recensere lubet: Hos inter primus erat Antonius Josephus Mega Benedictinus ex Congregatione S. Mauri, qui edidit S. Gertrudis Virginis, & Abbatissæ Ord. S. Benedicti insinuationum divinæ pietatis exercitia, Paraphrasin Psalmorum cum synopsi vitæ

Du Pin nouv. Bibl. tom. 18. pag. 208.

Sæc. XVII. A. C. 1691.

S. Davidis ex Psalmis, Commentarium in Regulam S. Benedicti, necnon vitam ejusdem sancti cum succincta Historia sui Ordinis, vitam S. Gertrudis, & dissertationem de Virginibus; Gallice etiam reddidit tractatum S. Ambrosii de Virginibus, de Virginum educatione, & perpetua Virginitate B. V. sicut & librum Jonæ Aurelianensis Episcopi *de Institutione laicali*. Obiit die decima septima Martii anno ætatis suæ sexagesimo sexto. II. Bonifacius Maria Grandi Ord. FF. Prædicatorum edidit tres tomos Cursus Theologici.

§. XXII.

Scriptorum Acatholicorum opera & decessus.

Carol. mem. Witte Biog.

Ex Scriptoribus Acatholicis occurrunt. I. Antonius Basnage, qui elucubravit exercitationes historico-criticas de rebus Sacris & Ecclesiasticis, necnon annales politico-Ecclesiasticas. II. Theophilus Spizelius Augustanus Præco typis vulgavit commentarium de re litteraria Sinensium, veterem Academiam Jesu Christi, examen cujusdam vaticinii Anglicani de ultimo Romæ excidio, tractatum de Atheismo eradicando, ejusque radice, con-

Sæc. XVII. A.C. 1693.

considerationem Corporis glorioſi, Templum honoris referatum præter alia nonnulla. III. Joachimus Hildebrandus elucubravit antiquitates ex Scriptura S. artem bene moriendi, Theologiam dogmaticam, Sacra publica veteris Eccleſiæ, ejusque Hierarchiam, & offertorium pro defunctis, tractatum de Templis & diebus feſtis, antiquitates de precibus, de veterum concionibus, & natalitiis ac nuptiis, de Religioſis, eorumque ordinibus necnon alia ad antiquitatum cognitionem perutilia. IV. Richardus Baxter edidit apologiam pro Non-Conformiſtis, polemica, libellum rationum pro religione Chriſtiana contra Gaſſendum & Hobbeſium, epiſtolam de generali Proteſtantium unione contra Papatum, tractatum de Catechiſatione domeſtica, de juſtificatione & fœderibus, de baptismo infantum, de jure Sacramentorum, de regimine Eccleſiæ, de Republica Sancta, de univerſali redemptione contra Calvinum & Bezam, præter alia plura. V. Daniel Haſenmiller ſcripſit Biblia parva Græca, diſſertationem de linquis orientalibus, & Michaelis Pſelli dialogum de operatione dæmonum. VI. Daniel Georgius Morhof poſteris reliquit Diatribam de morbis & eorum remediis hiſtori-

Sæc. XVII. A. C. 1692.

cam, disputationem de jure silentii & de enthusiasmo, dissertationes duas de Theologia Gentili Politica, & de divinitate Principum, & nonnulla alia.

§. XXIII.

Varia Innocentii XII. summi Pontificis gesta.

Theatr. Europ. t. 14. Chron. Hist. cont. l. 12.

Subsecuti anni Mense Januario Rabenacus Comes Franciæ Regis Orator Romam venit, obtentaque alloquii copia coram summo Pontifice amplissimis elogiis immotum, quo Rex suus ferveret, propagandæ fidei, & extollendæ Sedis Apostolicæ studium deprædicabat, enixe efflagitans, ut Pontifex inito cum Italis Principibus fœdere Germanos ex Italia propelleret ac Germanos Principes contra Franciam unitos ad pacis consilia inducere niteretur, eoquod hi religione Acatholici ad extirpandam fidem orthodoxam fœdus inter se iniissent, & cum eis Austriaca domus conjuncta Jacobum Catholicum Angliæ Regem folio deturbasset &c. Nimis atroces erant hæ criminationes, ut a Cæsareo & Hispano Oratoribus dissimulari potuissent; quocirca hi summo Pontifici luculentis admodum argumentis demonstratum ibant, quod Galli inopina sua in Imperium

perium irruptione non modo victricia Cæsaris arma ab opprimendo Christiani nominis hoste averterint, sed etiam Turcas, Tartarosque, ac rebelles Hungaros milite & pecunia non sine maxima multorum millium Christianorum cæde totiusque Catholicæ Reipublicæ damno foverint, ac olim cum ipso Cronwello, publico Regni usurpatore, hæretico, ac Regicida fœdus inierint, nunc vero Jacobum Angliæ Regem, qui tamen teste ipso Innocentio XI. ob præmaturum suum Zelum ipsemet infortunii sui faber exstitit, nonnisi infirmis auxiliis adjutum, simulque summis calamitatibus illius Regni Catholicos involverint &c. Hæc pluraque alia Oratorum dicta Pontifex pacato animo percipiens respondit, quod utpote communis omnium Pater nullius partis studia amplecti posset, sed potius dissidentes conciliandi officium in se suscipere teneretur. Hoc responso irritatus Franciæ Orator Mense Februario Romam discessit, Liechtenstreinius vero Princeps, ac Cæsaris Legatus urbem solemni pompa ingressus, Papam adiit, validisque argumentis eidem expositit, nil magis veritati dissonum esse, quam quod Augustanum Principum Germanorum fœdus contra Gallos initum ad fidei Catholicæ extirpa-

Sæc. XVII. A. C. 1692.

Sæc. XVII. A. C. 1692.

tirpationem collimet: Sub idem quoque tempus exulis Jacobi Angli Regis Oratores ſupplicabant, ut Pontifex Hibernis Regem ſuum in Gallias comitantibus pecuniarum ſuppetias erogare dignaretur, quibus tamen Papa reſpondit, eos in odium fidei non fuiſſe expulſos, ſi tamen in Hungaria vel Morea contra Turcas militare vellent, ſe illis ſtipendia numeraturum: Nihilominus pientiſſimus Pontifex exulibus hiſce Catholicis auri ſubſidium ſubmiſit, imo etiam Jacobo Regi triginta aureorum millia ad ſuſcipiendam exſcenſionem, necnon Cæſari centies quinquaginta florenorum millia & totidem Poloniæ Regi ad Turcicum bellum donavit.

His peractis Pontifex procurandæ Urbis tranquillitati intentus, plures diſſolutæ vitæ homines, qui tempore Bachanaliorum variis petulantiis offenſioni erant, ad carceres raptari, imo etiam in Comitis de Taxis Mediolanenſis Poſtarum Magiſtri ædes irrumpi, ejusque duos Filios cuſtodiæ dari juſſit, eoquod die decima tertia Aprilis, qua Pontifex pro more ad Baſilicam S. Joannis in Laterano, inſigni Cardinalium, Procerumque equitatu obſequium præbente, contenderat, turbas concitaſſent: cum autem inde Hi-

Hiſpani Regis indignatio timeretur, Pontifex utroque in libertatem aſſerto facti ſui rationem reddidit. Sæc. XVII. A.C. 1692.

§. XXIV.

Ejusdem Pontificis Conſtitutio contra Nepotismum.

Magno item Religionis Zelo Pontifex in eos, qui Molinoſii erroribus favere credebantur, inquiri juſſit, maximam tamen gloriam ſibimet comparavit, dum habito Purpuratorum Senatu die vigeſima ſecunda Junii Nepotismum damnavit, fugavitque ex Aula Romana publico diplomate, cujus tenor eſt ſequens. „Romanum decet Pontificem, „tanquam fidelem ſervum, & prudentem, quem conſtituit Dominus ſuper „familiam ſuam, in Eccleſiæ Catholicæ conſpectu actum ſuum ita ordinare, ut ipſe quidem in diebus ſuis „placeat Deo, & inveniatur juſtus, „fiatque forma gregis ex animo, & „bonus ſit Chriſti odor in omni loco: „Cæteri vero Antiſtites, & Eccleſiarum Prælati in partem Sollicitudinis, „cujus ei commiſſa eſt plenitudo, vocati, aliique Chriſti fideles, quos curæ ſuæ divinitus creditos in viſceribus paternæ gerit charitatis, ejus „exemplo, atque præceptis caduca mundi *Bull. magn. Innoc.*

Sæc. XVII. A. C. 1692.

„mundi hujus deſpicere, carnisque, & „ſanguinis laqueos effugere, ac de „bonis, & rebus Eccleſiaſticis juxta „æquitatis, & juſtitiæ leges diſponere, „& ſpiritualium remigio alarum ad „cæleſtia contendere, atque evocare „auxiliante Domino condiſcant. Hinc „ad ea Sacrorum Canonum inſtituta, „quæ Epiſcopis, ne bonis, & reddi„tibus Eccleſiæ conſanguineos ſuos „augere ſtudeant, interdicunt, conſi„derationis Noſtræ aciem convertentes, „etiam Nobis in ſuprema Beati Petri „Apoſtolorum Principis, cui caro, & „ſanguis non revelavit, ſede conſtitu„tis ab ipſo Pontificatus Noſtri primor„dio ſervandam propoſuimus, & ha„ctenus Deo adjuvante ſervare ſtudui„mus diſciplinam, ut in bonorum, & „reddituum ad hanc ſanctam ſedem, „& Cameram Noſtram Apoſtolicam „ſpectantium diſtributione juſtitiæ, at„que prudentiæ leges, & regulas ac„curate cuſtodientes, ſummam meri„torum, nullam autem carnis, & ſan„guinis aut cujuscunque humani affe„ctus rationem haberemus, & licet in „Dei miſericordia ſperemus, tales No„bis ſucceſſores Romanos Pontifices, „qui non minus hac in parte, quam in „reliquis munus ſuum impleant, & „Eccleſiam univerſam ſpiritualium aro„matum

„matum odore perfundant; nihilomi- Sæc. XVII.
„nus ea, quæ Nobis licere non pati- A. C. 1692.
„mur, aliis interdicere, salubremque in
„sancta Romana Ecclesia omnium Ec-
„clesiarum Matre, & Magistra circa
„præmissa normam, & legem consti-
„tuere, atque stabilire decrevimus.

§. 1. „Habita igitur super his cum
„Venerabilibus Fratribus Nostris ejus-
„dem S. R. E. Cardinalibus delibera-
„tione matura, ac de illorum Consilio
„pariter, & assensu ad omnipotentis
„Dei gloriam, Apostolicæ Sedis hono-
„rem, ac Antistitum, Prælatorum,
„aliorumque Ecclesiasticorum ædifica-
„tionem, & bonum exemplum, hac
„Nostra perpetuo valitura Constitutione
„statuimus, atque decernimus, Salu-
„tarem hanc de cætero in dicta S.R.E.
„servari rationem, atque disciplinam,
„ut nec ab ullo Romanorum Pontifi-
„cum Successorum Nostrorum, ad fa-
„vorem Nostrorum, sive suorum re-
„spective Fratrum, Nepotum aliorum-
„que quorumcunque Consanguineo-
„rum, seu affinium, sive illorum, quos
„in locum Nepotum, aliorumque Con-
„sanguineorum per Cooptationem in
„familiam, aut aliter adlegi, seu ad-
„sciſci contigerit, de bonis, pecuniis,
„locis Montium vacabilium, & non
„vacabilium, officiis venalibus, illo-
„rum-

Sæc. XVII. A. C. 1692.

„rumque pretio, creditis, redditibus, „rebus, & juribus quibuscunque ad „Sedem, & Cameram præfatas quo„vis modo ſpectantibus, vel quando„cunque ſpectaturis, etiam ex emo„lumentis datariæ, Cancellariæ Apo„ſtolicæ, Secretariæ Brevium, ſpolio„rum Eccleſiaſticorum, & quarum„cunque Palatii Apoſtolici portionum, „ſeu diſtributionum provenientibus, „liberalitatis, & donationis, aliove „quovis gratuito, ſeu lucrativo titulo „directe, vel indirecte etiam ſervitio„rum, & meritorum; quæ tamen ta„lia non ſint, ut ex lege juſtitiæ eam „exigant remunerationem, aliove quo„libet colore, ſeu prætextu, ſive e„tiam ſupra veram ipſorum ſervitiorum, „& meritorum rationem, ullo modo „in poſterum diſponatur.„

§. 2. „Quodſi Fratres, Nepotes, „Conſanguinei, vel affines, ſeu illo„rum loco adlecti, ſive adſciti præfati „inopia laboraverint, poterit Roma„nus Pontifex pro tempore exiſtens pro „timorata ſua conſcientia illorum pau„pertatem eodem omnino modo ſub„levare, quo pauperum extraneorum „inopiæ ſubvenire fas eſt.„

§. 3. „Ne autem, quod directe „prohibetur, indirecte permittatur, „magnorum ſtipendiorum, ſeu hono„rario-

„rariorum nonnullis Sedis prædictæ „Officiis, seu muneribus, quæ Con- „sanguineis, vel Affinibus, seu adle- „ctis, vel adscitis præfatis concedi, „ut plurimum consueverunt, assigna- „torum ratione, stipendia, provisio- „nes, sive salaria, & honoraria, & „alias quomodolibet nuncupari solita „emolumenta quæcunque, quæ ante- „hac per cameram prædictam in civi- „tate Avenionensi, & comitatu Ve- „nayssino Nostris in Spiritualibus, & „temporalibus Vicario Generali, ac in „illis, & vicinis quinque Provinciis „ejusdem Sedis de latere Legato præ- „stari, & solvi plerumque solita, & „consueta fuerunt. Superintendentis „vero Generalis Negotiorum Sedis „Apostolicæ, necnon totius Militiæ, „tam Equestris, quam Pedestris status „Nostri Ecclesiastici Gubernatoris, & „Capitanei Generalis, itidemque Clas- „sis, & triremium Pontificiarum Præ- „fecti, illiusque, & illarum Commis- „sarii, & Locumtenentis Generalis, „arciumque, & turrium ad littora Ma- „ris tam Adriatici, quam Tyrreni exi- „stentium Superintendentis Generalis, „Præfecti quoque Generalis utriusque „Custodiæ Corporis Romani Pontificis, „ejusque locumtenentis Generalis, item „Castellani arcis sancti Angeli de urbe, „Gu-

Sæc. XVII. A.C. 1692.

Sæc. XVII. A. C. 1692.

„Gubernatoris, ut alias deputabatur,
„Civitatis Beneventanæ, cujus tamen
„Gubernium ad instar aliorum prædicti
„Nostri status, prout impræsentiarum
„servatur, remaneat, & arcis Bene-
„ventanæ Præfecti; item Gubernato-
„ris oppidi Nostri Civitatis vetulæ, ac
„demum Perusinæ, Anconitanæ, &
„Novæ Asculanæ respective arcium
„Præfecti, seu Castellani, officia, &
„munera ipsa cum omnibus, & sin-
„gulis illorum, & cujuslibet eorum ju-
„ribus, prærogativis, stipendiis, sa-
„lariis, & emolumentis quibuscunque
„perpetuo supprimimus, & abolemus,
„illaque deinceps quomodocunque, &
„quandocunque renovari prohibemus.
„nec cuiquam de cætero, assignari, &
„præstari, seu concedi, & conferri re-
„spective volumus, atque decernimus.
„Quodsi pro rerum qualitate, tempo-
„rumque contingentia, manifesta, ur-
„gensque necessitas munera, seu offi-
„cia Militaria hujusmodi, vel aliqua
„ex eis de novo institui exegerit, Vi-
„ros ad illa assumi volumus, & man-
„damus, strenuos, & fideles, eximia
„virtute præstantes, reique Militaris
„apprime peritos, & in illa, diuturno
„ac probato usu exercitatos, quibus
„Romanus Pontifex pro tempore exi-
„stens, secundum datam sibi a Do-
„mino

„mino Sapientiam pro ratione laboris, Sæc. XVII.
„induſtriæ, atque periculi competen- A.C. 1692.
„tia, & congruentia ſtipendia aſſi-
„gnabit.„

§. 4. „Porro ſi Noſtri, ſucceſſorum-
„que noſtrorum Romanorum Pontifi-
„cum pro tempore exiſtentium, fra-
„tres, Nepotes, & alii quicunque Con-
„ſanguinei, ſeu Affines, ſive veri, ſive,
„ut præfertur, adlecti, & adſciti vitam
„Eccleſiaſticam elegerint, ac Eccle-
„ſiarum, & Monaſteriorum, aliorum-
„que Beneficiorum, & officiorum Ec-
„cleſiaſticorum, ac annuarum penſio-
„num ſuper eorum fructibus conſecu-
„tionis capaces fuerint, eam in red-
„dituum, & proventuum Eccleſiaſti-
„corum diſtributione eis facienda ſer-
„vari volumus moderationem, ut non-
„niſi juxta eorum merita, & non ultra,
„congruam pro gradus, vel dignitatis,
„quem vel quam in Eccleſia obtinue-
„rint, nullo ad conſanguinitatem, af-
„finitatem, ſeu adlectionem erga Ro-
„manum Pontificem habito reſpectu,
„ſuſtentationem, ejusmodi redditus &
„proventus Eccleſiaſtici eis diſtribuan-
„tur. Quo cuſtodita in omnibus Eccle-
„ſiaſticæ diſciplinæ, atque juſtitiæ di-
„ſtributivæ regula, nemini relinquatur
„conquerendi, vel obloquendi occaſio,
„ſed Eccleſiaſtica ſtipendia miniſtran-

Sæc. XVII. A. C. 1692.

„tibus in Eccleſia Dei æqua lance pro „uniuscujusque merito aſſignentur.„

§. 5. „Quoad illos autem ex Fra„tribus, Nepotibus, aliisque conſan„guineis, ſeu affinibus Romanorum „Pontificum pro tempore exiſtentium „præfatorum; ſive veris, ſive, ut præ„fertur, adlectis, & adſcitis, quos „eximiis eorum ita exigentibus meritis, „ad ſublimem Cardinalatus dignitatem „aſſumi contigerit, eam quoque de „cætero ſervari volumus moderatio„nem, ut Eccleſiæ, Monaſteria, com„mendæ, aliave cujusvis generis be„neficia, & Officia Eccleſiaſtica, ac „penſiones annuæ ſuper illorum fructi„bus unicuique eorumdem reſpective „conferenda, commendanda, & con„cedenda, ac reſervandæ, & aſſig„nandæ, verum valorem annuum duo„decim millium ſcutorum Monetæ Ro„manæ, computatis in ſimul Benefi„ciorum, & officiorum quibuscunque „fructibus, & penſionum quantitatibus, „in totum non excedant: in ea tamen „taxatione non comprehendantur emo„lumenta Officiorum ejusdem Apoſto„licæ Sedis, & Romanæ Curiæ S. R. E. „Cardinalibus demandari, ſeu concedi „ſolitorum, aliorumque munerum, „quæ ipſis non ad vitam, vel in perpe„tuum, ſed ad tempus, ſeu benepla„citum

„citum Romani Pontificis pro tempore „exiſtentis demandata, ſeu conceſſa „fuerint. Declarantes, quod deinceps „præfati, qui vitam Eccleſiaſticam e- „legerint, ſeu ad ſublimem Cardina- „latus dignitatem fuerint aſſumpti, „quoscunque titulos fructuum reſerva- „tionibus gravatos, ſive præventivas, „vel eventitias penſiones ultra mode- „rationem, ut ſupra reſpective præ- „ſcriptam nullatenus aſſequi valeant.„ Sæc. XVII. A. C. 1692.

§. 6. „Quodſi forſan (quod abſit) „modus circa præmiſſa congruenter, „ſalubriterque præſcriptus in poſterum „excedatur, curæ erit Romanis Pon- „tificibus Succeſſoribus, donationes „gratuitas, ſeu lucrativas diſpoſitio- „nes, exceſſivas ſubventiones, mune- „rum, & officiorum, ſeu illorum ſti- „pendiorum, & emolumentorum con- „ceſſiones, ac reddituum, & proven- „tuum Eccleſiaſticorum diſtributiones, „reſervationes, & aſſignationes, alia- „que præmiſſa contra vel ultra modum, „ut præfertur, præſcriptum factas, ſeu „facta reſcindere, revocare, & in ni- „hilum redigere, ac, ut præfertur, „donata, elargita, conceſſa, collata, „commendata, reſervata, & aſſignata „a Conſanguineis, & affinibus, ſive „veris, ſive adlectis, & adſcitis præ- „fatis, eorumque hæredibus & ſucceſ-

Sæc. XVII. A. C. 1692.

„soribus respective, etiam manu Regia, „& de Apostolicæ potestatis plenitudi„ne vindicare, & auferre, ac Cameræ „Apostolicæ applicare & incorporare, „aliisque respective conferre, commen„dare, concedere, & assignare, ac a„lios desuper opportune providere, seu „disponere.„

§. 7. „Quia vero ægrotante Ro„mano Pontifice nonnunquam conti„git, ut signaturæ gratiarum, quæ „per concessum fieri dicuntur, modum „illum excederent, quem ipse Roma„nus Pontifex, dum bene valebat, „servare consueverat: statuimus, at„que decernimus, ut ii, quibus ejus„modi Signaturas per concessum a Ro„mano Pontifice ægrotante etiam per „Chirographum speciale manu ipsius „Romani Pontificis subscriptum, vel „alias quomodocunque committi con„tigerit, cujuscunque status, gradus, „Ordinis, & dignitatis fuerint, etiam„si „Cardinalatus honore præfulgeant, „nullas hujusmodi gratias signare, vel „expedire valeant, nisi fuerint ad illas „adhibiti duo ejusdem S. R. E. Cardi„nales, qui unacum Signatore præfato „coram ipsomet Romano Pontifice eas „concedente, ac expediri mandante, „earumdem gratiarum supplicationi„bus, sive minutis, aut Chirographis, „aliis-

„aliisque conceſſionum ſcripturis ſub- Sæc. XVII.
„ſcribant, alioquin quidquid ſecus A. C. 1692.
„actum, ſignatum, geſtumve fuerit,
„nullum, irritum, & invalidum, nul-
„liusque ſit roboris, vel momenti, &
„qui huic ſaluberrimæ ſanctioni con-
„travenerint, ab ipſo Romano Pontifice
„ſanitati reſtituto, vel ejus Succeſſori-
„bus condignis pœnis puniantur.„

§. 8. „Ut autem præmiſſa omnia,
„& ſingula perpetuo, & inviolabiliter
„obſerventur, volumus, & Apoſtolica
„auctoritate decernimus, ut ſicut ejus-
„dem S. R. E. Cardinales in Romana
„Curia præſentes hanc Conſtitutionem,
„quantum in eis erat, obſervare, illi-
„que non contravenire, nec ullis con-
„tra facientibus, etiam Romanis Pon-
„tificibus conſentire, nec abſolutionem
„a juramento præſtito petere, nec ob-
„latam, aut conceſſam acceptare pro-
„miſerunt, & jurarunt, idem quoque
„per abſentes ab eadem Curia dictæ
„S. R. E. Cardinales, quandocunque
„ad eam advenerint, ac per futuros
„Cardinales in aſſumptione Pilei pro-
„mitti, & jurari debeat, promiſſisque,
„& juramentum hujusmodi in formula
„juramenti per eosdem Cardinales
„præſtari ſoliti adjungatur, & adſcri-
„batur. Occurrente autem quando-
„cunque ejusdem Apoſtolicæ Sedis va-

Sæc. XVII. A. C. 1692.

„catione iidem Cardinales in Con„clavi, quando de obſervandis Fel. „Rec. Prædeceſſorum Noſtrorum Julii „Papæ II. ſuper electione Romani Pon„tificis, Pii Papæ V. ne civitates & „loca S. R. E. infeudentur, & Sixti „Papæ V. de pecuniis in arce S. An„geli poſitis inde non amovendis, aliis„que nonnullis conſtitutionibus Apo„ſtolicis juramentum præſtare ſolent, „etiam de præſenti conſtitutione per „quemlibet eorum, qui in Romanum „Pontificem electus fuerit, inviolabili„ter obſervanda, & poſtmodum ipſe „ad ſupremi Apoſtolatus officium aſ„ſumptus, poſt aſſumptionem hujus„modi hoc ipſum promittere, & ju„rare debeat, ſervatis etiam aliis om„nibus, & ſingulis illis, quæ circa „juramentum hujusmodi in præfata „Sixti Prædeceſſoris conſtitutione anno „Incarnationis Dominicæ milleſimo „quingenteſimo octuageſimo ſexto, un„decimo Kalendas Maij, Pontificatus „ſui anno primo edita præſcribuntur.„

§. 9. „Has quoque Noſtras literas „in libellum redigi, & poſt prædictas „Julii, Pii & Sixti, quæ in Conclavi „legi ſolent, aliorumque Prædeceſſo„rum Noſtrorum Conſtitutiones ad„jungi, & in quinterno Cancellariæ „Noſtræ Apoſtolicæ unacum aliis Con„ſtitu-

„ſtitutionibus Apoſtolicis adſcribi, & „ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, Ba- „ſilicæ Principis Apoſtolorum, dictæ- „que Cancellariæ, & in acie campi „Floræ de urbe publicari, ipſarumque „præſentium literarum transſumptis, „ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu „alicujus Notarii publici ſubſcriptis, „& Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica di- „gnitate conſtitutæ munitis, eandem „prorſus fidem, tam in judicio, quam „extra illud ubique haberi volumus, „quæ iisdem præſentibus haberetur, „ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.„ Sæc. XVII. A. C. 1692.

Huic Conſtitutioni ſub jurata fide non modo Pontifex, ſed etiam triginta quatuor Cardinales tum Romæ agentes ſuum chirographum appoſuere, eamque ab omnibus Purpuratis ſignari, juſſit Pontifex. Sub idem ferme tempus nuntiatum erat Innocentio, quod Clerici in Neapolis Regno periculoſos motus adverſus Gibertum Inquiſitorem concitarint, quapropter Cardinalium nonnulli ſuadebant, ut Pontifex nonniſi inquilinos Inquiſitionis officio, aliisque Eccleſiaſticis dignitatibus deinceps vacantibus præficeret. Felix ſane, & pacificum eſt Romanorum Pontificum regimen, ubi moderati, atque a partium ſtudio alieni Miniſtri in conſilium adhibentur. Novo autem tu-

Sæc. XVII. A. C. 1692.

multu contra Archiepiscopum & Cantelmum Cardinalem exorto Neapolitani duos Legatos Romam decrevere, qui Cardinalem e Regno avocari peterent.

§. XXV.

Christianæ Religionis libertas Sinensibus omnibus permissa.

Pufend. introd. a l'hist. l. 6. c. 2. Gottfrid. cont. Hist. Chron. l. 12. pag. 446.

Quamvis anno priori Bonziorum odio ac invidia Catholici in Sinarum Regno horrendis suppliciis ac tormentis excruciarentur, nilque propius esse videretur, quam integrum hujus Religionis exterminium, nihilominus tamen Cang-Hi Sinarum Imperator se se semper Catholicis, eorumque religioni propitium exhibebat; hanc animi dispositionem dextre in rem suam vertebant Missionarii Sinenses, præcipue ii, qui, ut memoravimus, post Constantini obitum e Siamensi Regno ejecti ad Sinense Imperium contenderunt. Hi ergo Imperatori instantissime supplicarunt, & pro sua in Senatum Sacrum authoritate edicta illa, quæ tempore pupillaris ætatis suæ contra Christianos lata fuissent, abrogari, proin Provinciarum Præsides, qui ejusmodi edictis nixi Catholicos dire vexabant, ab insequenda vera fide prohiberet

beret, plenamque ſuis ſubditis liberta- Sæc. XVII.
tem Catholicæ Religionis publico de- A. C. 1692.
creto ſanciret. Ad horum preces Impe-
rator hanc quæſtionem dilucidari pe-
tiit: *Utrum Catholicam religionem ad-
optandi libertas Sinenſibus eſſet concedenda?*
Id negabant Bonzii, cunctique infide-
les, qui cælum terramque movebant,
ut Evangelii propagationem præpedi-
rent: Thomas vero Pereira e Socie-
tate Miſſionarius ea, qua apud Impe-
ratorem gratia valebat, eundem adiit,
ſupplex, ut Imperator coram Regni
ſui Proceribus, quæ ipſus de religione
Catholica ſentiret, palam ediceret.
Annuit Imperator Miſſionarii precibus,
& congregatis hæc expoſuit: „Ipſus
„ego Religionis Chriſtianæ præcepta
„diſcuſſi, & nihil in iis periculoſum
„inveni: Chriſtiani Deum omnium re-
„rum Creatorem adorant, Superiori-
„bus obediendum, & Parentes hono-
„randos eſſe tradunt, proximo ſuo ma-
„lum inferre, aut ejus bona vel uxores
„concupiſcere vetant: in his autem
„nihil eſt, quod Sinenſi Imperio no-
„xium eſſe poſſet, iniquum ergo foret,
„ſi hæc Religio prohiberetur.„ Op-
poſuit quidem ex Senatoribus non ne-
mo, Sinenſibus probro fore, ſi relicta
veteri religione Europæorum fidem
amplecterentur: huic autem reſponſum,
quod

Sæc. XVII. A. C. 1602

quod juxta hanc ſententiam Sinenſes nequidem ab Europæis artem bellicam, calculos Aſtronomicos & inſtrumenta Mathematica addiſcere potuiſſent: regeſſit alius ex Bonziis, quod hanc religionem profitendi libertate populo conceſſa, totum Imperium exiguo tempore Catholicum ſit futurum: eo melius, replicabat Miſſionarius, tum enim nec rebellionibus, nec factionibus, nec latrociniis, nec aliis beſtialibus actibus nimis frequentibus ultra locus erit. Tenuit mutua hæc concertatio integrum ferme bimeſtre: tandem vero Miſſionarii, operam præſtante ipſo Imperatore, porrecto libello ſupplici efflagitarunt, ut in univerſo Imperio Religio Catholica per edictum publicum approbaretur: Ipſemet Imperator huic libello ultimam manum admovit, tamque concinne eliminavit, ut a Rituum Tribunali, ad quod pro more veteri remitti debuit, ratum haberi ſperaret: Die ergo ſecunda Februarii hic idem libellus præfati Tribunalis Judicibus exhibetur, hi tamen ſine ambage reſponderunt, ſtandum eſſe antiquis Imperii legibus, quibus Europæorum Religio interdicitur: Hoc reſponſo Miſſionarii velut fulmine tacti, coram Imperatore immenſum dolorem teſtati ſunt, iteratisque precibus tandem

dem obtinuerunt, ut alterum rursus libellum offerre permitterentur, quo ad Tribunal remisso Judices die vigesima secunda Martii sequens decretum edidere: Sæc. XVII. A. C. 1692.

„Supremus tribunalis Rituum Præ„ses Cupatay & cæteri mecum judices, „obedituri Majestatis tuæ mandato, „super negotio proposito nostram sen„tentiam proferimus.„

„Nos omnes rem sedulo discu„tientes ac examinantes inveni„mus, quod illi viri Europæi in„vitati fama virtutum Majestatis tuæ „plura dena stadiorum millia, ac im„mensum prope mare emensi sunt, ut „huc pervenirent. Hi vero Mathema„ticæ Præfecturam nunc obeunt, & „Astronomiam dirigunt: tempore bel„lorum conflandis machinis gnaviter „incubuerunt, missi ad Moschos egre„giam operam sinceramque navarunt, „efficientes, ut negotium de pace feli„citer concluderetur. Sane illorum „merita plurima, & magna sunt; ipsi „etiam Europæi, & alii eorum socii, „qui in singulis habitant Provinciis, „mali nihil omnino operantur, nullas „excitant perturbationes. Tartarorum „Sacerdotes, uti & Bonzii Sinenses „sua habent fana, & permittitur om„nibus, ut illa adeant, & ibi venera„tio-

Sæc. XVII. A.C. 1692.

„tionem exhibeant thura cremantes. „E contra vero religio Europæorum „(quibus nihil mali imputari potest) „prohibita jam fuit in hoc Imperio. „Quod quidem videtur a ratione alie„num. Par igitur est, ut in omnibus „Provinciis eorum templa, sicut antea „semper factum est, conserventur, & „omnibus secundum antiquam con„suetudinem permittatur religionem „Christianam profiteri, & templa adire, „prohibitione omnino sublata. Hanc „sententiam nostram subjicimus Maje„statis tuæ arbitrio, ac judicamus, si „ita annuat, eam in omnibus Provin„ciis promulgandam: Khambii anno „trigesimo primo, luna secunda die „tertia.„

Huic decreto Imperator duos characteres Sinicos apposuit, quorum sensus est, *Assentior Consulto:* obtento igitur Regis assensu biduo post solemne hoc decretum Peckini in urbe Regia ac per totum Imperium promulgatum & tanquam lex Imperii perpetua publice affixa est, non sine ingenti totius Europæ gaudio, & maxima Religionis Catholicæ in Imperio universi Orbis vastissimo stabiliendæ spe, quæ tamen exiguo prorsus tempore viguit; Hi enim Missionarii impetratæ gratiæ gloria elati, contradicentibus potissimis ceterorum

rum Ordinum Missionariis, Christianam religionem cum superstitiosis atque idololatricis ritibus combinare nitebantur, ex hac autem dissensione cum gravissima orirentur mala, & Sinenses majora inde oritura timerent, mortuo hoc Imperatore præfatum concessæ libertatis decretum abrogatum est, uti postea recensebimus. Sæc. XVII. A. C. 1692.

§. XXVI.

Varadinum majus a Cæsareis expugnatum.

Post Salankemenianam stragem Mustapha Sultanus tanta obruebatur consternatione, ut suadente Husseyo Angliæ Legato ad resumendum pacis negotium valde inclinaret: E contrario autem Franciæ Orator proposita totius Hungariæ subjugandæ facilitate ad restaurandum bellum novos eidem addidit animos. Novus igitur Vezirius nomine Halyus olim Mesopotamiæ Prætor, quotquot poterat, copias contrahit, Budam, aliasque Hungariæ arces negligentius custoditas recuperaturus: Haud segnior in accersendo stipendiario milite, erat Imperator, qui etiam a Monasterienſi Episcopo quatuor, a Dano Rege tria, & a Luneburgicis sex armatorum millia emer- *Theatr. Europ. p. 232. tom. 14.*

Sæc. XVII. A. C. 1692.

emercatus est, quibus bis mille Hiberni accessere, Pontifex quoque centies mille florenos ad reparanda Budæ atque Essecki munimenta submisit, ampliores pro exercitu suppetias pollicitus: novam insuper classem, Fleurio Archithalasso, Cæsar instruxit, quæ Turcis impervium Danubium redderet, atque annonæ, bellicique apparatus advehendi commoditatem Cæsareis copiis pararet: Rebus ita dispositis in belli Senatu Varadini, utpote Hungariæ clavis expugnatio decernitur: Toto jam hyeme Auerspergius Comes hanc urbem arcte cinxerat, auroque & astu sæpius deditionem extorquere tentaverat, imo trucidatis quingentis Turcis Giulam, quæ unica obsessis spes erat, post captam Palankam intercepisset, nisi rascianorum ad prædam præfestine advolantium avaritia victoribus palmam e manibus extorsisset. Elusis igitur cunctis hisce conatibus, Heislerus Cæsareus Bellidux die prima Maij justæ oppugnationis initium facere constituit, ac circumductis castellis, & suggestibus urbem situ & arte probe munitam continente verberatione infestat, atque ad fossæ marginem progressus, vetuli cujusdam molitoris opera aquas inde derivat. Tum vero expeditior erat ad mænia

acceſſus, & magis noxia machinarum exploſio: ignivoma inſuper pila in nitratos pulveres incidens, ingentem intus edidit ſtragem: jamque duorum latera propugnaculorum ampliſſimis ruinis perfoſſa hiabant: extrema etiam omnia famis atque offenſionis mala patiebantur obſeſſi: nondum tamen, licet ad deditionem provocati, ſtrenuæ defenſionis conatus depoſuere, quinimo tubicinem ab Heislero ablegatum telorum jactu ſignisque repulerunt: Poſtquam vero die quarta Junii cuniculus retro effuſus foſſam repleverat, atque obſidentibus irruptionem omni ex parte commodam reddiderat, tandem obſeſſi altera die emiſſis obſidibus deditionem fecere, ea lege, ut traditis Seluncka, & Varadino minore, relictoque bellico omnis generis apparatu Turcæ, eorum uxores & filii jamjam decimum ſextum ætatis annum egreſſi unacum ſuis bonis Giulam transferrentur, qui tamen in itinere detenti fuere, donec Tribuni, aliique milites Chriſtiani numero octingenti, qui ſe ad Orſovam dediderant, e vinculis contra datam fidem injectis viciſſim liberarentur: Capta hac urbe, tota hujus anni expeditio mutuis velitationibus, & opima Turcici ærarii caſtrenſis deprædatione abſoluta eſt.

Sæc. XVII. A.C. 1692.

Sæc. XVII. A.C. 1692. Minus prospere hoc anno Veneti dimicarunt; quamvis enim Delphinus in Dalmatia Turcas iterata clade attrivisset, a Barbaris tamen inclusus pacta vitæ incolumitate cedere coactus est: In Cretenſi quoque Insula, postquam Carabusa Urbs proditione Turcis tradita esset, Mocenigus unacum Trautmansdorffio Comite Cretam terra marique obsedit, Bassamque, qui ad liberandam urbem advolabat, aggredi constituit: ast fervente conflictu septingenti Galli ad Turcas transfugi in Christianos arma vertere, quorum perfidia Veneti ad internecionem deleti fuissent, nisi Melitenses Equites suppetias tulissent; vicem tamen in Morea rependit Vendraminus, qui Seraskierum a Neupactenſi obsidione non sine barbarorum clade ac ignominia generose repulit.

§. XXVII.

Varia Fœderatorum expeditio contra Gallos.

Postquam Lorgius Franciæ Marescallus Phorzheimium inter & Durlacum Cæsareos profligaverat, Heidelbergam & Moguntiam astu ac quorumdam proditione intercipere tentabat, detecta autem perfidia, totam rabiem in

in Manheimenſes effudit, atque in- Sæc. XVII.
cenſis ligneis eorum caſis nudos nullo A. C. 1692.
ætatis aut ſexus diſcrimine inhumane cruciari paſſus eſt: poſtea in Wirtenbergenſem Ducatum inopinate irrumpens, Adminiſtratorem, & Soyerum Ducem unacum ſexaginta gregariis Argentinam raptari juſſit. Sub idem ferme tempus trajecto Rheno Melacus vicina oppida ſpoliis atque incendiis fœde devaſtabat, Tallardus autem Rhenofelſam obſidebat, deſideratis tamen bis mille aufugere coactus eſt: Jam autem ipſemet Ludovicus Franciæ Rex Namurci in Belgio obſidionem ſuſceperat, quam etiam urbem unacum arce munitiſſima poſt unius menſis & aliquot dierum oppugnationem acerrimam deditione cepit, ac paulopoſt in campo Steinkirchiano cum fœderatis prælium iniit, eo ſucceſſu, ut ſi plures victorias tot cæſorum pretio redemiſſet, non modo devictus, ſed etiam per plures annos prælium tentando impar fuiſſet: nec magis proſper erat in freto Caletano Gallicæ claſſis conflictus cum Auriaci Principis & Batavorum claſſe: protracto enim ad biduum prælio quindecim Gallorum naves ab Anglis captæ, & quinquaginta ſex aut ſubmerſæ, aut flammis datæ ſunt, trucidatis claſſiorum

Sæc. XVII. A. C. 1692. sex millibus, & duobus millibus in censum captivorum reductis. Die etiam decima tertia Augusti Caprara cum Cæsareo & Sabaudo milite in vicinam Delphinatus Provinciam penetrans, post aliquot dierum obsidionem Ebrodunum, & postea Vapingum, aliaque oppida Gallis eripuit, ingruente autem pluviarum copia in Italiam reversus est. Siniſtris hisce Gallorum conatibus Jacobus Angliæ Rex spe sua penitus excidit: quippe ejus exercitus ad Agrim Hiberniæ oppidum ingenti strage dissipatus est, & quamvis postmodum nova octoginta bellicarum navium, & trecentarum onerariarum classis triginta armatorum millibus instructa in Normaniæ portu hæreret, qua præfatus Rex in Angliam deduceretur; nihilominus hæc classis ventorum vi per integrum semestre in altum prævolare præpediebatur, quocirca Auriaci Uxor adversam classem opponendi, atque exscensionem munitis undique littoribus prohibendi tempus nacta, Jacobum intentato facinore Parisios remeare compulit.

§. XXVIII.

Illustrium obitus.

Eodem anno, quo Maximilianus Emanuel Bavariæ Elector Belgii Catholici

lici regimen sibi a Carolo Hispaniarum Rege delatum tandem capesserat, Maria Antonia ejus Conjux, ac Leopoldi Imperatoris Filia die vigesima octava Septembris Filium enixa est, non sine incredibili utriusque Aulæ gaudio, quod tamen brevi in luctum vertebatur; paulopost enim die vigesima octava Novembris hic Filius, & die vigesima quarta Decembris ipsa Mater nonnisi annos viginti tres nata decessit. Hanc morte sequebatur Lipsiæ die decima Maij anno ætatis trigesimo tertio Albertus Augusti Saxoniæ Ducis Filius, postquam antea ad fidem Catholicam reversus esset. Denique vivis erepta est Margaretha Estensis Alphonsi Mutinensis Ducis Filia, ac Ferdinandi Gonzagæ III. Guastallæ Ducis Conjux. Sæc. XVII. A. C. 1692.

§. XXIX.

Quædam Innocentii XII. Pontificis Constitutiones.

Præter Bullam, qua Innocentius XII. Pontifex Maximus Aulam Romanam a Nepotismi labe expurgavit, insuper die decima quarta Martii ab excommunicatione latæ sententiæ absolvit Superiores Generales Ord. S. Augustini, qui contra Sixti V. Constitutiones ab Alexandro VIII. subreptitie *Bull. Magn. Innoc. Const. 14. & seqq.*

Sæc. XVII. A. C. 1692.

literas obtinuerunt, vi quarum ſua officia ultra præſcriptum tempus prorogare poſſent. Alia Conſtitutione die tertia Septembris Pontifex, quantum ſe extendat jurisdictio Majoris Pœnitentiarii, definivit. Prohibuit etiam die vigeſima tertia Octobris, ne deinceps quædam Curiæ Romanæ officia vendantur. Declaravit inſuper, quod quando ſæculares in Regularium Eccleſia ſepulturam ſibi eligunt, Parochi non plus Eleemoſynæ exigant, quam exegiſſent, ſi in Eccleſia Parochiali ſepulti fuiſſent, & ipſi quidem e domo Cadaver ad Regularium Eccleſiam comitentur, ibique ad januam funus benedicant, hoc autem facto non intrent Eccleſiam, ſed officia funeralia Regularibus relinquant: ab hæredibus tamen conſuetam exigere poſſint eleemoſynam, quam percepiſſent, ſi exequiæ in ipſorum Eccleſiis fuiſſent celebratæ, die autem decima Martii innovavit Conſtitutiones, quibus ſuperfluæ prohibentur expenſæ in veſtitione & velatione Monialium: Vetuit etiam Pontifex die vigeſima Auguſti, ne in Eccleſiis ſub Miſſa aliud quam introitus, Graduale & offertorium, atque in Veſperis antiphonæ cantentur.

§. XXX.

Sæc. XVII.
A. C. 1692.

§. XXX.

Variæ Sacrarum Congregationum deciſiones.

Plures etiam hoc anno Sacrarum Congregationum Conſtitutiones emanarunt, & quidem die duodecima Januarii ſacra Concilii Congregatio decidit, quod ad Epiſcopum ſpectet præſcribere materiam in Caſuum conferentia explicandam a Theologo, atque ad eam poſſit compellere omnes Sæculares Sacerdotes Confeſſarios, etiam Canonicos, cæteros autem Cathedralis Presbyteros hortari, ut ad hanc conferentiam accedant, die autem decima quarta ejusdem Menſis Sacra Rituum Congregatio ad Parochum Albegni Bergomenſis Diæceſis perſcripſit, quod reliquia certi ſancti in Martyrologio Romano deſcripti, licet non ſit inſignis, adhuc ſufficiat, ut poſſit obtineri licentia celebrandi in die ejus feſto Miſſam de communi ſub ritu duplici ſine *Credo* in Eccleſia, in qua hæc reliquia aſſervatur: Sacra etiam Inquiſitionis Congregatio literas encyclicas edidit, in quibus præter alia omnibus locorum Ordinariis injunxit, ut Vicarios Generales, & foraneos admoneant, ne Sacerdotibus Regularibus & Sæcula-

Deciſ. SS. Congr. Concil. Rit. Inqu.

Sæc. XVII A. C. 1692.

cularibus exteris licentiam concedant celebrandi Missam, nisi præsentent literas testimoniales proprii Ordinarii de Sacerdotio, eæque tales sint, ut nullam ostendant falsitatis suspicionem, eisdemque Vicariis negligentibus vel transgressoribus pœnas imponant etiam corporales. Præterea die vigesima sexta præsati Mensis Sacra Concilii Congregatio ad varia dubia in Hieracensi Visitatione proposita respondit, quod in die Festo Titulari, quoties modeste & sine abusu celebratur, non possit Monialibus prohiberi, ne illud solemnizent, Presbyteri tamen sæculares, qui advocantur pro celebratione Missarum in Ecclesiis Monialium, possint ab Episcopo prohiberi, ne accedant, quamvis Moniales exemptæ sint aut Regularibus subjectæ; pariter approbatio Confessariorum tam ordinariorum, quam extraordinariorum pertineat ad clausuram: Electio autem Capellani pro celebratione Missarum in Ecclesia Regularium, a testatore non nominati, spectet ad hæredem, & non ad Regulares. Declaravit etiam S. Rituum Congregatio die vigesima sexta Aprilis, quod si primæ Vesperæ de S. Martina impeditæ fuerint ab officio duplici concurrente, vel a Dominica, tunc Hymnus proprius

unia-

uniatur Hymno Matutini sub unica clausula: *A nobis abigas* &c. Regulares autem in Processionibus non deferant pileum, & Episcopus eos etiam per censuras cogat ad deponendum: die autem decima septima Maij decidit, quod a die 17. Decembris inclusive usque ad Vigiliam Nativitatis exclusive fieri possit quodcunque Officium duplex vel semiduplex occurrens, vel translatum, sed in utrisque Vesperis pro commemoratione Feriæ dicantur Antiphonæ majores tum occurrentes. Ad petitionem Mattheranensis Episcopi die decima quarta Junii S. Rituum Congregatio respondit, quod Episcopus deferens reliquiam Ligni SS. Crucis in supplicationibus possit incedere cum Mitra: die autem tertia Septembris declaravit, quod si Festum S. Josephi occurrerit in Feria quinta Majoris Hebdomadæ, ejus Officium transferendum sit ad aliam diem juxta Rubricas Breviarii Romani, & Decreta Sacræ Congregationis: Cæterum præceptum audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus non sit transferendum, sed servandum in prædicta Feria quinta Majoris Hebdomadæ; adeoque per Ordinarios locorum accurate providendum, ut eo die aliquæ quidem Missæ privatæ, ante celebra- Sæc. XVII. A. C. 1692.

Sæc. XVII. A. C. 1692.

tionem solitæ Missæ Conventualis celebrandæ pro præcepti adimplemento non desint: sed tamen propterea antiquus mos communionis Cleri in Missa solemni ejus diei, quo sancta Ecclesia Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti institutionem, & memoriam recolit, summa religione hactenus retentus, nullatenus omittatur.

§. XXXI.

Quorumdam Scriptorum religione Catholicorum opera & decessus.

Du Pin nouv. Bibl. des Auth. tom. 18. & Hist. Eccl. tom. 4. Niceron. t. 16. p. 16. Mem. des Hom. Illustr. t. 2. p. 135.

Percelebres quidam Scriptores Catholici hoc anno calamum cum vita posuere: ex his æterna memoria dignus est Emanuel Schelstratus patria Antverpiensis, Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, qui ad extollendam Pontificis auctoritatem quamplurima edidit. Exstat illius *antiquitas illustrata circa Concilia generalia & Provincialia, decreta & gesta Pontificum & præcipua totius historiæ Ecclesiasticæ capita:* Ecclesia Africana sub Primatu Carthaginense. Sacrum Antiochenum Concilium pro Arianorum Conciliabulo passim habitum &c. Acta Constantiensis Concilii ex Cod. MSS. illustrata, tractatus de disciplina arcani, de Basilica Vaticana, de sensu & auctoritate decretorum

torum Concilii Constantiensis Sessione quarta & quinta. Acta Ecclesiæ Orientalis contra Lutheranos & Calvinistas, Modus dignoscendi Scripturæ vetustatem, Dissertatio de auctoritate Patriarchali & metropolitica, & oratio in funere Innocentii XI. a quo Schelstratus Bibliothecæ Vaticanæ curam suscepit, & denique post ejus mortem typis editi sunt duo tomi sub titulo: *Antiquitas Ecclesiæ, dissertationibus, monumentis & notis illustrata.* Obiit celebris hic Author Romæ sexta Aprilis die nonnisi quadraginta tres annos natus. II. Adrianus Valois seu Valesius edidit gesta Francorum, dissertationem de Basilicis, notitiam Galliæ, tractatum de annis Regni Dagoberti, tractatum Historicum de veteribus Ecclesiis Parisiensibus, Petri Monmauri opera notis illustrata, præter plura alia. III. Joannes Bonnet Benedictinus ex Congregatione S. Mauri scripsit librum de proprietatibus & qualitatibus aquarum mineralium. IV. Cæsar Vichard Abbas de S. Real Sabaudus elucubravit vitam Christi Domini, tractatum de Critica, concertationes contra Arnaldum, & Amelotum de la Houssay, infidelitatem mulierum apud Romanos, usum Historiæ, Historiam de conjuratione Græcorum & Hispanorum contra

Sæc. XVII. A. C. 1692.

Sæc. XVII. A. C. 1692.

tra Venetos & nonnulla alia. V. Dominicus Maria Marchese Ord. FF. Præd. posteris reliquit Theologiam bipartitam, appendicem de potestate summi Pontificis præter plurium Venerabilium vitas.

§. XXXII.

Protestantium Scriptorum lucubrationes & obitus.

Rollii Bibl. nob.

Act. Erudit.

EX Heterodoxis Scriptoribus celebriores sunt. I. Vitus Ludovicus Seckendorff, qui posteris reliquit commentarium historicum, & Apologeticum de Lutheranismo, defensionem relationis de Ant. Burignonia, dissertationem Historicam pro doctrina Lutheri de Missa, & nonnulla alia. II. Joannes Busman edidit disputationes de fide salvifica, de Scheol Hebræorum, de antiquis Hebræorum literis ab Esdra mutatis, & de Apostasia Luciferi. III. Martinus Lippenius scripsit libros duos strenarum Ecclesiasticarum, Bibliothecam realem Theologicam præter tractatum de navigatione Salomonis Ophiritica. IV. Henricus Rixnerus publici juris fecit institutiones Theologiæ Moralis, Historiam Sacram

N. T.

N. T. librum de veterum Christianorum institutis & ritibus circa Eucharistiam, & varias disputationes. V. Joannes Lassenius, scripsit Synopsin Conciliorum omnium, Arcana Politico-Atheistica, inordinatam stateram in dogmate purgatorii, classicum belli Turcici, tractatum de statu Canonicorum reformatorum & Lutheranorum, disputationes, & alia quamplurima opuscula. VI. Paulus Colomesius edidit iconem Theologorum Presbyterianorum, Galliam orientalem, cimelia literaria, observationes Sacras, paralipomena ad Guil. Cave Carthophylacem, Romam Protestanticam, Bibliothecam selectam, Miscellanea Historica, vitam P. Sirmondi, præter alia nonnulla. Sæc. XVII. A. C. 1692.

§. XXXIII.

Actum de reconcilianda Sacra sede cum Franciæ Præsulibus.

Subsequens hic annus supra nonagesimum tertius Innocentio XII. summo Pontifici admodum glorioſus fluxerat, ob feliciter diremptam controversiam, quæ ultra decennium inter Innocentium XI. ejusque Successorem, & Franciæ Præsules fervebat: Jam a primis Pontificatus sui auspiciis Innocentius *Abrege chron. de l'Hist. t. 3.*

Sæc. XVII. A. C. 1693.

centius XII. omni contentione laborabat, ut Regaliæ extenſio, & Cleri Gallicani declaratio ſedi Apoſtolicæ tantopere injuria aut omnino tolleretur, aut ſaltem certis limitibus moderaretur: Diu multumque certatum, alii atque alii ſæpius tranſigendi modi fuere propoſiti, totiesque rejecti, adeo, ut pene nulla optati ſucceſſus ſpes reliqua videretur: Quantumcunque Pontifex ardenti deſiderio pacem exoptaverat, plurimum tamen ad Sedis Apoſtolicæ honorem intereſſe autumabat, ut præprimis injuria per Cleri Gallicani articulos Anno 1682. illata repararetur, quocirca Pontifex Epiſcopis, a Rege promotis, qui illis tum comitiis intererant, Apoſtolicas confirmationis literas concedere, conſtanter renuebat, niſi prius in Pariſino Conventu contra Pontificis auctoritatem decreta revocarent, ſponderentque, nihil ſe facturos, quo Regaliam recens liberis Eccleſiis impoſitam agnoſcere viderentur. Ipſemet Ludovicus Franciæ Rex a Galliæ Epiſcopis vehementer ſollicitatus, cum ſummo Pontifice conciliari feſtinavit, hujusque rei mandatum Eſtræo & Furbino Cardinalibus tum Romæ degentibus dedit.

§. XXXIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

§. XXXIV.

Transactionis articuli utrinque acceptati.

Ambo hi Cardinales Regis sui, Clerique Gallicani nomine Innocentium XII. Pontificem summis precibus fatigabant, ut tandem Franciæ Præsules, quos Rex nominasset, concesso confirmationis diplomate ad Ecclesiarum suarum tanto tempore suis Pastoribus viduatarum regimen admittere vellet: Exhibebant insuper hi Cardinales Pontifici literas, quibus Rex suum edictum, quo Cleri declarationem firmaverat, retractandi spem feciſſet, si pariter Episcopi suæ conscientiæ testimonio convicti, factam declarationis subscriptionem revocare parati essent: Re diu ac serio utrinque agitata, tandem in has conditiones mutuo conventum: „Galliæ Antistites, „qui a Rege nominati ad Ecclesias „fuerant, Conventus Parisiensis de„creta revocarent: Regaliam, donec „a Romana sede causſa finiretur, non „agnoscerent: Rex ipse datis ad Pon„tificem literis promitteret, se edictum, „quo Propositiones Parisiis editæ fir„mabantur, cassaturum. Pontifex ve„ro, abolita præteritorum memoria;

„Epi-

Sæc. XVII. A. C. 1693. „Episcopos Ecclesiis, quas a Rege ac„ceperant, potiri permitteret, solem„nique more Bullis, ac diplomatibus „necessariis instrueret.„

§. XXXV.

Franciæ Præsulum literæ ad Innocentium XII. Papam.

Hode vie de Louis XIV. l. 50. Gottfrid. cont. Hist. Chron. l. 12.

Acceptatis utrinque hisce conditionibus Pontifex crebras ad Franciæ Regem, atque Episcopos literas dedit, ut tandem gravissimo huic negotio ultima manus apponi posset: sæpius ad limam revocabantur utriusque partis literæ, ne in illis vel umbra appareret, qua vel Apostolicæ, vel Regiæ auctoritatis splendor quovis modo obfuscari videretur: Tandem vero Episcopi perdemissas hasce literas ad Papam dederunt:

Beatissime Pater.

„Cum in hac tandem exultantis Ec„clesiæ felicitate ingentes Christiani „omnes Paternæ Providentiæ Sancti„tatis Vestræ fructus percipiant, faci„lemque in sinum Clementiæ Vestræ „aditum experiantur; nihil accidere „molestius nobis potuit, quam quod „eo nunc loco res nostræ sint, ut adi„tus in gratiam Sanctitatis Vestræ nobis „hacte-

„hactenus intercluſus videatur. Cujus „quidem rei, cum eam fuiſſe rationem „perciperemus, quod nos Cleri Galli- „cani Comitiis Anno 1682. Pariſiis ha- „bitis interfuerimus; idcirco ad pedes „Beatitudinis Veſtræ provoluti profite- „mur, & declaramus, nos vehementer „quidem, & ſupra id, quod dici pot- „eſt, ex corde dolere de rebus geſtis „in Comitiis prædictis, quæ Sanctitati „Veſtræ, ejusque Prædeceſſoribus ſum- „mopere diſplicuerunt, ac proinde „quidquid in eisdem Comitiis circa „Eccleſiaſticam poteſtatem, & Ponti- „ficiam Auctoritatem decretum cen- „ſeri potuit, pro non decreto habe- „mus, & habendum eſſe declaramus, „& quidquid ibidem deliberatum in „præjudicium Jurium Eccleſiarum cen- „ſeri potuit, pro non deliberato habe- „mus, & habendum eſſe declaramus, „quin imo a mente noſtra alienum fuiſſe „teſtamur, quidquam decernere, & Ec- „cleſiis prædictis præjudicium inferre „potuit: prompti inſuper in profundiſ- „ſimi obſequii, quod Sanctitati Veſtræ „profitemur, & demiſſæ reverentiæ „pignus ita nos gerere, ut de debita „noſtra, quam ad extremum vitæ „ſpiritum Sanctitati Veſtræ impenſiſ- „ſime præſtabimus, obedientia, & de „noſtro pro tuendis Eccleſiæ juribus

Sæc XVII. A. C. 1693.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

„Zelo nihil unquam posſit desiderari. „His itaque perlectis nostris literis spe„ramus, & Sanctitatem Vestram hu„millime obtestamur, ut nos in gratiam, „benevolentiamque tandem receptos, „Ecclesiis, ad quas Rex noster Chri„stianissimus nos nominaverit, præsi„cere non dedignetur, quo maturius „animarum Saluti, & Christianæ Re„ligionis utilitati, ipsarum Ecclesiarum „Juribus, & dignitati, ut sincere San„ctitati Vestræ profitemur, studium „omne nostrum, & curam impenda„mus. Interim Beatitudini Vestræ „tanquam Beati Petri Apostolorum „Principis Successori Christi Domini „Vicario, totiusque militantis Ecclesiæ „capiti veram & sinceram obedientiam, „quam jam promisimus, iterum pro„mittimus, vovemus, & juramus, ac „multos & felices annos pro bono to„tius Ecclesiæ ex animo precamur.„

§. XXXVI.

Ludovici XIV. Galliarum Regis epistola ad eundem Pontificem.

Insuper etiam Ludovicus XIV. Rex edictum suum, necnon Cleri Gallicani declarationem nullius fore roboris testatus est, datis ad Innocentium XII. Papam hisce literis.

Beatiss.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

Beatiſſime Pater.

„Multa mihi ſemper, & egregia de „Sanctitatis Veſtræ ad Pontificiam hanc „dignitatem promotione pollicitus e„ram; cum nihil ambigerem, eam quam„plurimum ad Eccleſiæ totius, noſtræ„que ſanctæ Religionis incrementa ac „ſplendorem profecturam. Nec ea me „ſpes fefellit; cum non ſine ingenti „meo gaudio, quæ in utriusque com„mendationem, maximumque aug„mentum a Sanctitate Veſtra magni„fice, præclareque geſta ſunt, oculis „uſurpem, ſentiamque, eam quoque „ob cauſſam filialem meam in Beati„tudinem Veſtram reverentiam ſem„per intendi. Et quia animo ſtatui, „qua maxime ratione poſſum, idipſum „Sanctitati Veſtræ teſtatum facere, la„tere eam nolo; jam a me proviſum „eſſe, ut edictum, quo Pariſienſium „Comitiorum declaratio anno milleſi„mo ſexcenteſimo octuageſimo ſecundo „die ſecunda Martii, munita fuerat; „quodque eorum temporum conditio „expreſſerat, effectu deinceps careat, „ſuſpenſumque cenſeatur. Et vero, „uti maximæ mihi curæ, ac voto eſt, „ut non ſolum Sanctitas Veſtra animi „mei ſenſa, verum etiam mundus to„tus venerationem intelligat, qua exi-

Sæc. XVII. A. C. 1693.

„mias, ſanctasque ejus virtutes im„penſiſſime amplector; ita perſuaſum „quoque habeo, nihil paſſuram deſi„derari, quo ejus paternam in me „charitatem magis magisque experiar. „Precor interim Deum, ut Sanctita„tem Veſtram quamplurimis annis, & „feliciſſimam conſervet.„

§. XXXVII.

Oratio Pontificis hanc in rem ad Sacrum Purpuratorum Collegium.

Vid. t. 65. §. 2. p. 16.

Adimpletis hiſce conditionibus ſummus Pontifex gravibus oppido verbis Franciæ Præſules hortabatur, ut deinceps Eccleſiæ Canones, & Lugdunenſis Concilii decreta contra Regalia magis religioſo cultu venerari, nihilque in Sedis Apoſtolicæ præjudicium, ac jurium violationem decernere velint: ſua vero ex parte ſtatuit Pontifex, ut Epiſcopis, qui præfatæ declarationi non ſubſcripſerant, ac demum etiam illis, qui eam ſuo calculo approbarunt, ad Eccleſiarum regimen admittere velit: Hanc ergo ſuam mentem habita ad Sacrum Collegium oratione in publico Patrum Senatu die vigeſima ſexta Octobris his verbis declaravit.

Vene-

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

Venerabiles Fratres.

„Jam diu est, quod plurimas floren-
„tissimi Galliæ Regni Ecclesias Pasto-
„ribus viduatas, intimo cordis affectu
„misereamur: Ex quo vero divinæ Bo-
„nitati placuit ad præcelsum hoc Apo-
„stolici muneris culmen, & ad sollici-
„tudinem omnium Ecclesiarum humili-
„tatem Nostram vocare, deplorabili
„sane tot animarum periculo consulere
„dies, noctesque assidue cogitamus.
„Tandem cum pro gravissima rerum,
„ac temporum difficultate non alia
„æquior hactenus occurrerit ratio huic
„necessitati prospiciendi, de complu-
„rium Fraternitatum Vestrarum Con-
„silio in eam Sententiam ivimus, ut
„ex eorum numero, quos Nobis cha-
„rissimus in Christo Filius Noster Lu-
„dovicus Francorum Rex Christianissi-
„mus nominavit, illos duntaxat, qui
„satis notis Cleri Gallicani Comitiis
„Anno 1682. habitis non interfuere,
„nec inibi gestis merito ab hac sancta
„Sede reprobatis, ullatenus assensere,
„quosque non modo ab ea labe immu-
„nes, sed & alioquin idoneos legiti-
„mis documentis fore constiterit, ad
„Ecclesiarum regimen admitteremus.
„At vero, quoniam eorum aliqui iis
„Ecclesiis præficiendi erunt, quibus

Sæc. XVII. A. C. 1693. „ipſum Regaliæ onus non ita pridem „invectum fuit, ne ulla unquam ex „hac noſtra nominatorum admiſſione „ſuſpicio oriri poſſit probatæ a Nobis „ſeu diſſimulatæ ſaltem ejusdem Re„galiæ ſervitutis, iis omnibus, qui „præfatis Eccleſiis, quæ ejusmodi o„neri obnoxiæ vere non ſunt, præfi„cientur, pro commiſſi Nobis Paſtora„lis Officii debito, noſtræ non minus, „quam ipſorum Conſcientiæ conſulen„tes, ſero injungemus, ut memores „Sanctionis oecumenici Concilii Lug„dunenſis, pœnarumque ab eo inflicta„rum, ipſi Regaliæ nullatenus conſen„tiant, ſed ab iis omnibus abſtineant, „unde illius uſus admiſſus quoque modo „videri poſſet, donec plenius graviſſi„ma hac de re judicium ad Apoſtoli„cam ſedem ſuo jure pertinens, & le„gitime interpoſita nonnullorum appel„latione delatum, quod Nobis inte„grum reſervamus, ſuo tempore, ſi „opus fuerit, proferatur: Ceterum de „eximia ejusdem Chriſtianiſſimi Regis „pietate, filialique in hanc ſanctam ſe„dem obſervantia plene confidimus, „ipſum omnino facturum, ut, quemad„modum pluries ſperare Nos fecit, re„gium edictum, quo in præfatis Co„mitiis edita de poteſtate Eccleſiaſtica „declaratio firmabatur, viribus & effectu „va-

„vacuum reipsa ab omnibus habeatur, Sæc. XVII.
„Nostræque erga Majestatem suam A. C. 1693.
„paternæ Charitatis, quinimo & caus-
„sæ ipsius justitiæ daturum, ut nihil
„Nobis imposterum etiam quoad uni-
„versum Regaliæ negotium desideran-
„dum superſit, qua de reipsum hortari,
„admonere, atque etiam in Domino
„obsecrare non desistimus.„

„Quæ omnia Vobis inprimis Vene-
„rabiles fratres innotescere dignum du-
„ximus, qui tanto Religionis ardore
„ac pietatis merito humilitati nostræ
„in universalis Ecclesiæ regimine assi-
„stitis, ut vel inde agnoscatis, nihil
„Nos ab Ecclesiasticæ libertatis, atque
„hujus sanctæ Sedis auctoritatis tuen-
„dæ proposito deflectere, sed Roma-
„norum Pontificum Prædecessorum
„Nostrorum, ac præcipue felicis re-
„cordationis Innocentii undecimi, &
„Alexandri octavi super præmissis e-
„ditis literis constanter inhærere, at-
„que ad extremum usque vitæ Spiri-
„tum adjuvante Domino inhæsuros,
„ut creditam Nobis Pontificiæ pote-
„statis plenitudinem illibatam serve-
„mus, & immaculatam hæreditatem,
„uti a Domino accepimus, Successori-
„bus relinquamus.„

His prolatis de Franciæ Præsulibus loquens testabatur, *eos de gestis hujus-*

Sæc. XVII. A. C. 1693

hujusmodi vehementer quidem & supra omne id quod dici potest, ex corde dolere, ac declarasse, quod quæcunque in prædictis comitiis sive circa Ecclesiasticam potestatem & Pontificiam authoritatem decreta, sive in præjudicium jurium earumdem Ecclesiarum deliberata, pro non decretis nec deliberatis haberent & habenda esse velint, serio insuper spondentes, se ita in posterum gesturos, ut nihil penitus de vera eorum erga Sanctam sedem obedientia ac debito pro juribus ipsarum Ecclesiarum defendendis Zelo desiderandum superfit. Insuper in eodem Senatu testatus est Pontifex, quod a *Rege quoque Christianissimo Ludovico XIV, suis literis certior fuisset redditus, eum nuperrime regium suum edictum, quo in his comitiis Cleri Gallicani edita de potestate Ecclesiastica declaratio firmabatur, ita haberi jussisse, ut neminem ad illius observantiam teneri perspectum sit ac exploratum.*

Ita demum tam diuturnæ, & maxima utrinque contentione agitatæ liti finis impositus est, hacque palinodia læsa Pontificis auctoritas reparata fuit, salvo etiam Episcoporum decore, quibus nil magis glorioſum, quam veritati cedere; *in errorem enim incidisse, naturæ fuit, diluisse virtutis* (*) nihilominus ex Gallis nonnulli hanc sententiæ

(*) S. Greg. hom. 26. in Evang.

tiæ Gallicanæ revocationem flocci habent, eoquod non ab ipso Clero *in corpore*, sed duntaxat a quibusdam Episcopis separatim facta fuisset, & Parlamentum Parisinum semper immoto studio hisce quatuor articulis institisset, necnon illi tam in thesibus, quam libris aliisque occasionibus etiamvivente Ludovico XIV propugnati fuissent, imo idem Rex adeo non huic doctrinæ sua revocatione nuntium mittere intenderit, ut etiam Bossueto Meldensi Episcopo Cleri declarationem contra Ultramontanos defendere injunxerit: Ergone tam manifesta revocatione Rex, Clerusque summum Pontificem nonnisi ludificare intenderunt? hæc, an in Regis Clerique honorem cedant, viderint Galli: Ergone triginta septem Episcopi (*), qui suæ revocationi subscripti leguntur, minoris sunt auctoritatis, quam triginta quatuor illi Præsules, qui declarationem approbarunt, nec hucusque Ecclesia comitiis Cleri Gallicani attribuit Synodi auctoritatem, nec etiam ceteri Episcopi contra horum palinodiam tum reclamarunt. Sæc. XVII. A.C. 1693.

(*) In Gallia exstant octodecim Archiepiscopatus, & centum duodecim Episcopi, ex quibus tamen vix quarta pars ad comitia confluit.

Sæc. XVII. A. C. 1693

Esto, quod *postea* aliqui has sententias secuti sint, semper tamen verum est, eas a Rege & Clero fuisse revocatas, & ab omnibus saltem silentio, tacitoque consensu hanc revocationem approbatam fuisse, nec Parlamenti auctoritas in rebus Sacris Episcoporum sententiæ ac judicio prævalebit, nec quorumdam Præsulum propositiones Ecclesiæ auctoritatem sibi vendicabunt, utpote quæ ortum habuere in privato conventu, in quo Parlamenti imperium præsedit, terror suffragium tulit, adulatio decidit, & complacendi studium subscripsit.

§. XXXVIII.

Novæ contentiones in Sinis inter Missionarios.

Vid. supra l. 201. §. 66. *p.* 219. *t.* 61. *& tom.* 62. *l.*203 §.118. *pag.* 384.

Restituta in Galliis pace ac concordia, acrior inter Sinenses Missionarios recruduit contentio circa ritus, quos Innocentius X. Papa jam anno hujus sæculi quadragesimo quinto tanquam superstitiosos, & Idololatricos damnaverat: nunquam vero Jesuitæ hoc Papæ decretum executioni dederunt, sed per P. Martinium controversos ritus tam innoxie depinxere, ut Alexander VII. juxta exposita contrariam ederet decisionem, quin tamen Innocentii

centii decretum revocaret, etsi sub ea conditione emanatum fuisset, *donec aliter a summo Pontifice vel Sacra sede decisum fuisset:* Porro ceteri diversorum Ordinum Missionarii subreptionem suspicati, Neophytis horum rituum usum severe interdixere: Jesuitæ autem novo huic decreto innixi, has cæremonias velut mere politicas permiserunt, ut Legem Dei cum doctrina Literatorum & Confucii conciliarent, eoquod hanc ipsemet Sinarum Imperator, Nobiles, & hujus gentis Doctores exterius profiterentur: Inde vero, & quidem eo tempore, quo concessa Religionis Catholicæ libertas uberrimam pollicebatur messem, tam pernicioſa discordiarum Zizania succrevere, ut omnis ferme aditus in vastissimum hoc Imperium Evangelio ad hodiernam usque diem interciſus permaneat.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

§. XXXIX.

Caroli Maigroti Vicarii Apostolici edictum contra Rituum Sinensium Defensores.

Quoniam vero ob Sinensium verborum ambiguitatem, & dissonam illorum interpretationem ab aliis nonnulli ritus reprobarentur, ab aliis vero tanquam innoxii permitterentur, hinc Sacra

Acta Causæ Rit. Sin. pag. 2.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

Sacra Sedes præter variorum Ordinum Religioſos, etiam quosdam Presbyteros ſæculares a partium ſtudio alienos ſeligere, atque ad Sinenſe Imperium mittere conſtituit, eis injungens, ut ſingulari ſtudio tam in Sinenſe idioma, quam ritus, ac conſuetudines inveſtigarent: Peropportuna tunc erat in Sinas navigandi occaſio; Imperator enim non modo Gallis in Aulæ ambitu Sacellum, auctoque converſorum numero Templum pro re Sacra erigere indulſit, ſed etiam omnes Sinarum portus Europæis aperuit, cum tamen antea nonniſi per Macaoum eſſet acceſſus, & quem etiam Luſitani ægre aliis nationibus pervium fecerant. Igitur præter alios præcipue ea ex parte penetrabat Carolus Maigrot Sorbonæ Doctor, qui inter Sinenſes longe peritiſſimorum magiſterio ſe mancipans, per integros viginti annos impigro labore Sinicos libros evolvit, ac idiomatis vim aſſequi ſtuduit: Demum rurſus a ſummo Pontifice Sinas miſſus, atque in Vicarium Apoſtolicum Fokienſis Provinciæ nominatus, hoc anno die vigeſima ſexta Martii ſequens promulgavit edictum.

„Carolus Maigrot Sacerdos, Vica„rius Apoſtolicus Fokienſis, Sacræ Fa„cultatis Pariſienſis Doctor, Sociusque „Sor-

„Sorbonicus, omnibus Vicariatus no- Sæc. XVII.
„ſtri Conſacerdotibus Salutem in eo, A.C 1693.
„qui eſt omnium vera Salus. Ex quo
„in Sinarum Imperium, Deo favente,
„appulimus, Nobis ſemper hæc Vica-
„riorum Apoſtolicorum ſollicitudinis
„præcipua pars viſa eſt, ut diverſis
„quæſtionibus, de quibus inter Miſſio-
„narios jam diu controvertitur, finem,
„ſi fieri poſſet, afferrent, ſin minus,
„regulam Miſſionariis traderent, quæ,
„donec Apoſtolica Sedes controverſiam
„dijudicaret, æquali ab omnibus uſu,
„& ratione ſervaretur. Neque enim,
„quod ſæpius gementes conſpeximus,
„ſine magno Eccleſiarum iſtarum de-
„trimento accidit, ut Evangelii Miniſtri
„in rebus, quæ ad Dei cultum, & Ido-
„lolatriæ extirpationem attinet, inter
„ſe non conſentiant; ut quod alii ſine
„Idololatriæ labe fieri poſſe non putant,
„hoc alii Chriſtianos facere permittant,
„aut etiam ad faciendum adhortentur;
„utque illi ipſi, qui certos uſus ſuper-
„ſtitioſos eſſe arbitrantur, eosdem pro
„bono pacis interdum tolerent. E qua
„mali tolerantia malum radices agere,
„atque in dies & in dies incrementum
„accipere, diuturna experientia co-
„gnovimus. „

„Et quidem plerique Vicariatus no-
„ſtri Miſſionarii hanc, in quæſtionibus
tanti

Sæc. XVII. A. C. 1693.

„tanti momenti, non ſententiarum modo „diſcrepantiam, ſed praxis, & uſus „diſſimilitudinem tolli magnopere cu„pientes, noſtram pro eo, quo indigni „fungimur, Vicarii Apoſtolici munere „ſententias ſciſcitati ſunt, ac ne con„tinuis Conſcientiæ ſcrupulis, & an„goribus premerentur, *aliquid ſaltem* „per interim *a nobis decerni ſæpius inſti„terunt:* Rerum autem gravitas fecit, „ut non ita cito reſponderimus, atque „illi exoptabant. Etſi enim jam a „multo tempore bon. mem. Epiſcopi „Heliopolitani, olim Vicarii Apoſto„lici Fokienſis, & Sinarum Miſſionum „Generalis Adminiſtratoris juſſu, cum „ſuas Nobis vices demandaret, his „rebus incumberemus, nova tamen „& acrior diligentia, poſtquam ad Apo„ſtolicum Vicariatum a ſancta ſede electi „fuimus, adhibenda eſſe viſa eſt. Qua „in re id vere affirmare poſſumus, ni„hil a nobis ſponte prætermiſſum fuiſſe, „ut ſive ex Sinicis fontibus, ſive ex „Commentariis, hoc in genere, Eu„ropæo idiomate conſcriptis, quoscun„que habere potuerimus, ſive ex eru„ditorum virorum conſortio veritatem „indagaremus. Et quod omnium ma„xime neceſſarium eſt, Deum jugi Sa„crificio, & aſſiduis precibus obſecra„vimus, ut tenebras noſtras illumina„ret,

„ret, & ſemitas ſuas, quodque placi- Sæc. XVII.
„tum, & acceptum eſt in oculis ſuis, A.C. 1693.
„edoceret.„

„Cum itaque Decretis, & Conſti-
„tutionibus Apoſtolicis ſancitum ſit,
„ad Apoſtolicos Vicarios ſpectare, ut
„iis, quæ ad Cultum Divinum, & bonos
„mores pertinent, intra ſuorum Vica-
„riatuum fines provideant, ut hac in
„parte officio noſtro faciamus ſatis, om-
„nibus & ſingulis Vicariatus noſtri
„Miſſionariis obſervanda præcipimus,
„quæ ſequuntur, *donec aliter ab Apo-*
„ſtolica ſede decretum fuerit.„

Primo. „Excluſis nominibus Euro-
„pæis, quæ nonniſi barbaro quodam
„modo Sinicis literis & vocibus ex-
„primi poſſunt, Deum Opt. Max. longo
„uſu recepto nomine TIEN CHV, *Cæli*
„*Dominum* appellandum eſſe ſtatuimus,
„ita, ut duæ aliæ Sinicæ voces TIEN
„*Cælum*, & XANG TI *Supremus Im-*
„perator prorſus repellantur; Multo
„minus affirmetur, id, quo Sinæ præ-
„fatis nominibus TIEN & XANG TI
„intelligunt, Deum eſſe, quem Chri-
„ſtiani colimus.„

Secundo. „Diſtricte prohibemus,
„ne in ulla Eccleſia Tabella quædam,
„cui hæ duæ literæ COELUM CO-
„LITO, KING TIEN inſcriptæ ſunt,
„appendatur, & ubicunque appenſa
„fue-

Sæc. XVII. A. C. 1693.

„fuerit, intra duos menſes auferri „mandamus, cum aliis ejusdem ſen„ſus Tabellis & verſibus, in quibus „nomina TIEN & XANG TI Deo af„finguntur. Ac noſtro quidem judi„cio, cum omnes illæ Tabellæ, tum „ea inprimis, quæ literas KING TIEN „continet, ab Idololatria excuſari non „poſſint. Tametſi vero non ita certa „res eſſet, ac nobis videtur, vel ipſa „periculi ſuſpicio, ne ab Evangelii Mi„niſtris abominatio deſolationis in loco „Sacro collocetur, nos ab ejusmodi „Tabellis deterrere debet: Maxime „cum experientia nobis conſtet, eos „Vicariatus noſtri Miſſionarios, quo„rum in Eccleſiis illæ Tabellæ non „habentur, nihilo ad Evangelium præ„dicandum imparatiores eſſe, nec mi„norem, quam alii, laborum ſuorum „fructum percipere.„

Tertio. „Quæſita ſuper capitibus „ſummo Pontifici Alexandro VII. pro„poſita multis in rebus non eſſe veri„dica declaramus: ac proinde Miſſio„narios reſponſis ab Apoſtolica ſede, „recte quidem, & Sapienter, ac juxta „circumſtantias in dubiis expreſſas da„tis, inniti non poſſe, ad uſitatum a„pud Sinas Confucii, & Progenito„rum cultum permittendum.„

Quarto.

Quarto. „Missionarii nullatenus, „nullaque de caussa Christianis per- „mittant, solemnibus, quæ semel & „iterum singulis annis Confucio, & „Progenitoribus offerri solent, Sacri- „ficiis, seu oblationibus præesse, mi- „nistrare, aut interesse; quas oblatio- „nes superstitione imbutas esse de- „claramus.„ Sæc. XVII. A.C. 1693.

Quinto. „Missionarios, qui in locis, „ubi Evangelio operam navant, Ta- „bellarum in defunctorum honorem „privatis in domibus erectarum usum „abolere studuerunt, magnopere lau- „damus, atque, ut eo, quo cæperunt, „pede in posterum pergant, adhorta- „mur: Ubi vero hunc usum tollere „difficilius erit, ad hoc saltem res tem- „peramentum revocetur, ut sublatis „literis XIN CHV XIN GOEI LING „GOEI, solummodo defuncti nomen „Tabellæ inscribatur, aut ad summum „litera GOEI superaddatur: ac ne „hujusmodi Tabella, (quam in præ- „dicta forma, donec Apostolica Sedes „de re ipsa judicaverit, non omnino „reprobamus) superstitiose accipiatur, „in loco, ubi Tabellæ privatis in do- „mibus erigi solent, scripta majoribus „characteribus declaratio apponatur, „in qua, & quæ sit Christianorum de „defunctis fides, & qualis filiorum, „ac

Sæc. XVII. A. C. 1693.

„ac nepotum in Progenitores pietas „esse debeat, enuntietur; cujus de„clarationis formam ad hujus Mandati „calcem tradidimus, neque tamen pro„hibemus aliam ejusdem sensus ap„poni, si modo prius a nobis appro„bata fuerit.„

Sexto. „Cum nonnulla, seu verbo, „seu scripto evulgari animadvertimus, „quæ incautos in errorem inducunt, „& viam ad superstitionem patefa„ciunt, V. G. Philosophiam, quam „Sinæ profitentur, si bene intelliga„tur, nihil habere legi Christianæ „contrarium.„

„Nomine TAYKIE, Sapientissimos „Priscos, Deum caussam primam re„rum omnium definire voluisse.„

„Cultum, quem Confucius Spiri„tibus adhibuit, civilem potius, quam „Religiosum fuisse.„

„Librum, quem Sinæ IE KING „appellant, summam esse optimæ Do„ctrinæ physicæ & moralis.„

„Hæc & similia, uti falso, temere, „& scandalose dicta, scriptave, districte „inhibemus, ne in toto Vicariatu no„stro disseminentur.„

Septimo. „Caveant Missionarii, ne „qui Christiani Sinicos libros in Scho„lis legunt, Atheismum, & diversas „superstitiones, quibus illi libri, tam „in-

„in textu quam in commentariis, sca- Sæc. XVII.
„tent, in auditorum animos infundant, A. C. 1693.
„sed illos Missionarii admoneant, ut
„obvios errores refutent, & errorum
„occasione, quæ de Deo, de mundi
„creatione, & Gubernatione Christia-
„na Religio tradit, discipulos diligen-
„ter edoceant, atque eosdem Chri-
„stianos Missionarii frequenter com-
„monefaciant, ne (quod facile con-
„tingit) suis inscriptionibus aliquid e
„Scholæ literariæ principiis legi Chri-
„stianæ contrarium admisceant. Sunt
„& aliæ quæstiones, quas hac via non-
„dum attingimus: quia cum memora-
„tis capitibus, quæ præcipua sunt, &
„e quibus alia magna ex parte depen-
„dent, provisum fuerit, facilius erit,
„quid in cæteris tenendum sit, præ-
„scribere, & in usum inducere. „

„Si quis autem Missionarius, quod
„absit, nulla habita hujus declaratio-
„nis, & Mandati ratione, intra duos
„menses, memoratas Tabellas, & ver-
„sus ab Ecclesiis suis aut domibns non
„auferat, aut intra præfatum tempus
„manum operi non adhibeat, ut quas
„præscribimus, regulas in usum &
„morem inducat, concessas ei a nobis,
„& a quocunque alio Vicario, & Pro-
„vicario Apostolico facultates per præ-

Sæc. XVII. A. C. 1693

„ſentes revocamus, ac pro tempore „præfato revocatas eſſe declaramus.„

„Neque tamen hac præſenti decla„ratione, & Mandato eos culpare in„tendimus, qui aliter antea cenſue„runt, aliamque praxim ſecuti ſunt ab „ea, quam in poſterum ſequendam eſſe „ſtatuimus. Mirum enim videri non „debet, ſi in rebus hujusmodi Miſſio„narii omnes unius ejusdemque Sen„tentiæ non fuerint, & eam unus„quisque praxim amplexus ſit, quæ „ſibi in Domino magis veritati conſona „videbatur. Nunc vero in hoc omnes „ſtudia noſtra conferamus, ut idem „ſapiamus, ut unanimes uno ore ex„hibeamus iſtam Eccleſiam non ha„bentem maculam, aut rugam, ſed, „ut ſit ſancta, & immaculata; ac Deus „pacis, & dilectionis erit nobiſcum. „Datum in Oppido Changlò Provinciæ „Fokienſis die 26. Martii 1693.

CAROLUS Maigrot,
Presbyter Vicarius Apoſtolicus Fokienſis.

Quam graves autem tumultus contra hoc edictum fuerint ſuſcitati, poſtea recenſebimus.

§. XL.

Sæc. XVII. A.C. 1693.

§. XL.

Theſis de veriſimilitudine Religionis proſcripta.

Hoc item anno die trigeſima Martii P. Honoratus Jeſuita in Collegio Cadomenſi in Normania Theologiæ Profeſſor inter alias Theſes hanc quoque expoſuit, ac publice tradidit: *Non eſt evidens, quod in mundo detur vera Religio, quod Religio tamen Chriſtiana inter omnes ſit maxime veriſimilis:* Cùm ergo hic Auctor nonniſi veriſimilitudinem religioni Chriſtianæ adſtruendo evidentiam credibilitatis atque certam infallibilemque Religionis veritatem excludere viſus fuerit, hæc doctrina maximum inter Doctores rumorem, populique offenſionem excitavit (*): quapro-

Argentre Coll. Jud. t. 3. p. 373. Binn. App. part. 8. l. 3. c. 3. art. 24. Mem. Chron. & Dogm.

(*) P. Binner hunc Socium excuſaturus ait, quod hic Author de evidentia ſtricte tali, quæ libertatem credendi excludit, loqui videatur, proin nullam mereatur cenſuram, in hoc tamen culpandus, quod non ſatis inter hanc evidentiam, & evidentiam moralem diſtinxerit: Verum in Actis Pariſinæ Univerſitatis apud Argentreum hæc Honorati Theſis ita expoſita legitur: *Non eſt evidens evidentia phyſica & MORALI, religionem Chriſtianam eſſe veram.*

Sæc. XVII. A. C. 1693.

propter Societatis Superiores, ut novi ac pernicioſi dogmatis calumniam a ſe amolirentur, hanc Theſin quibusdam ſui Inſtituti Theologis examinandam tradiderunt: Hi vero poſt maturam deliberationem cenſuerunt, hanc Theſin eſſe *temerariam, ſcandaloſam, atque etiam impiam, ſi termini in rigore acripiantur:* Approbato horum judicio P. Honoratus juſſus eſt Theſin ſuam eo verborum tenore, quem eidem Pariſiis Superiores ſui præſcripſerant, publice retractare, ac quamprimum contrariam exponere defendendam: Nihilominus Pater Honoratus aut de ſuæ doctrinæ veritate perperam perſuaſus, aut errorem pertinaciter defendere aſſuetus, ita illam retractavit, ut potius ſuis Cenſoribus inſultare videretur; eis enim ſcriptum oppoſuit, cui titulus: *Pharmacum ſcandali accepti, non dati.* Verum Superiores hac inobedientia offenſi, Honoratum cathedra moverunt, ſucceſſori injungentes, ut revocata Honorati ſententia, ſaniorem doctrinam traderet. Inſuper etiam Sorbona hanc Honorati doctrinam acri cenſura inſectabatur, atque anno Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo Clerus Gallicanus in ſuis Comitiis Generalibus tacito tamen Authoris nomine hanc opinionem tanquam impiam & Blasphemam

phemam damnavit, eique censorium stigma inussit: Cum ergo P.Honoratus se ab exteris ubique damnatum, & a suis derelictum, oppressumque cerneret, ipsus hanc doctrinam ceteraque ei haud absimilia retractavit. Sæc. XVII. A. C. 1693.

§. XLI.

Nova Eliæ Dupini Bibliotheca apud Archiepiscopum Parisiensem denuntiata.

Jam anno hujus sæculi nonagesimo Elias Du Pin Sorbonæ Doctor ac Regius Professor novam suam Scriptorum Ecclesiasticorum Bibliothecam conscribere cæperat, atque hoc anno septimum volumen e prælo receperat: mox autem nonnulli, qui Sorbonæ Doctores toties tamque facile in censuras librorum præcipue a Jesuitis editorum prorupisse, molestе ferebant, Dupini libros velut pluribus, iisque enormibus mendis scatentes, apud Franciscum Harlæum Parisiensem Archiepiscopum denuntiarunt. Hic vero, ne hac in re præcipitis judicii calumniam sibi accerseret, quatuor Parisinæ Facultatis Doctores selegit, quorum singuli quodlibet Dupini volumen sedulo pervolverent, & diuturna æque ac matura inter se deliberatione habita *Binner l. c. pag. 730. Argentre l. c. p. 390.*

Sæc. XVII. A. C. 1693. bita desuper suum proferrent judicium: ipsemet etiam Archiepiscopus, omni possibili attentione hos libros ad trutinam vocavit.

§. XLII.

Dupini Declaratio circa objectos sibi errores.

Argentre l. c.

Postquam Deputati Doctores in pluribus Sessionibus auditi retulerant, in cunctis Dupini libris plurimas falsas juxta ac temerarias propositiones reperiri, Archiepiscopus hoc opus adeo non Ecclesiæ proficuum, ut potius illud, si promiscua illius lectio permitteretur, fidelibus oppido noxium fore, censuit: quocirca Dupinum præsentibus Deputatis Doctoribus tertio adesse jussit, omnique humanitatis genere exceptum rogavit, ut rationem redderet I. De dubiis a se motis circa libros Canonicos. II. De spreta Patrum traditione. III. De contemptu Conciliorum. IV. De negato sacræ Sedis Primatu. V. De hæresum & Hæreticorum favore. VI. De irrisione hominum devotorum. VII. De vilipensione SS. Patrum. VIII. De injuriis in Casuistas & Scholasticos effusis. IX. De neglecto Auctorum selectu. X. De dictis contra Symbolum Apostolo-

rum. XI. De contemptis miraculis, revelationibus &c. XII. De adulterato Authorum ſenſu: Cuncta hæc accuſationum capita Dupinus maxima ſubmiſſione hunc in modum diluere nitebatur: „Maturius Deputatorum ob„ſervationes perpendens fateor, quod „reipſa mihi exciderint expreſſiones „quædam nimium duræ, obſcuræ, & „ſcandalofæ, aliquæ etiam fors falſæ, „& præter mentem meam contrariæ „veritatibus, quas ſemper veneratus „ſum, & in Eccleſia tenendas credo: „quapropter obſcura dilucidare, nimis „aſperas expreſſiones emollire, & in „reprobum ſenſum interpretandas de„clarare, me obſtrictum ſentio, ut me „Orthodoxum eſſe, ac nonniſi ex in„advertentia peccaſſe, teſtatum red„dam: Primo igitur admitto, prout „ſemper admiſi tanquam libros Cano„nicos, cunctos in Concilii Tridentini „Canone Seſſ. 4. expreſſos, tanquam „inſpirante Numine ſcriptos, de quo„rum auctoritate nemini dubitare liceat, „& quamvis eorum aliqui in primis „ſæculis a quibusdam Eccleſiis privatis „non fuerint recepti, jam tum ab „Eccleſia tanquam S. Scripturæ li„bri agniti, & ut tales a pluribus Pa„tribus citati fuerint: quapropter hæ „propoſitiones mei libri Diſſ. prælim.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

„Fol. 126. *Circa libros veteris Testamenti Antiquitas Christiana secuta est Canonem Hebræorum*, & Tom. 1. p. 186. *Non alios V. T. libros Canonicos agnoverunt, quam in Hebræorum Canone contentos*, „non generaliter de omnibus Ecclesiis, „cunctisque primorum trium sæculo„rum Patribus intelligendæ sunt, & „quamvis mea verba expresse non „distinquant inter Proto - Canonicos, „& Deutero-Canonicos, de his tamen „intelligi volo. Præterea cum Sixto „Senensi de sex postremis Capitibus „libri Ester dubitari, ac cum illo pro„pugnari posse, existimabam, quod „huic libro addita, nec in Tridentini „Canone contenta fuerint: edoctus au„tem, quod Ecclesia admittat *libros in„tegros cum omnibus suis partibus, prout „in Ecclesia Catholica legi consueverant*, „mutata mea sententia eos tanquam „Canonicos admitto, quamvis mea ar„gumenta potissimum probare videan„tur, quod præfata capita sint ab alio „Authore, quam qui reliquum libri „Ester scripsisset.„

„Ad secundum circa traditionem „fateor, quod circa quædam fidei dog„mata a quibusdam Patribus recesse„rim, præcipue a SS. Justino & Irenæo „circa animæ immortalitatem, inferni „æternitatem, & quidem ob duos ter„tus

„tus sat difficiles, qui nonnisi ex multis „aliis, ubi hæc dogmata adstruuntur, „explicari possunt. Hanc tamen sen- „tentiam nec S. Hilario, nec S. Cy- „rillo attribui, quando enim dixi san- „ctum Hilarium statuisse, quod *impii* „*velut annihilati sint per ignem inferni* non „intendi dicere, quod *penitus* annihi- „lati sint, sed uti S. Hilarius dixit: „*Non nihilum dissoluti, sed in inane, ac* „*leve, aridumque protriti.* Fateor au- „tem, quod in textu S. Cyrilli per in- „advertentiam loco *Dei* nomen *Jesu* „*Christi* posuerim, hunc textum ita „interpretatus: *Anima est immortalis* „*per Jesum Christum, qui eam immorta-* „*lem reddidit.* „

Sæc. XVII. A. C. 1693.

„Peccatum originale tanquam Ec- „clesiæ dogma admitto, quando autem „dixi Tom. 1. p. 534. *quod S. Cyprianus* „*de eo primus sat clare locutus sit* & pag. „689. quod primorum *trium sæculorum* „*Patres non consentire videantur, quod* „*infantes in peccato nascantur, & dam-* „*natione digni sint*, nec negare intendi, „illud a S. Patribus non fuisse creditum, „sed duntaxat, eos non adeo clare, „sicut S. Cyprianus, locutos fuisse; „quoniam vero deprehendo, quod S. „Justinus, & Irenæus, necnon Tertul- „lianus & Origines clare de eo locuti „sint, hinc meam sententiam revoco, „fateor

Sæc. XVII. A. C. 1693.

„fateor etiam, quod S. Chryſoſtomus „peccatum originale crediderit, & poſt „eum S. Auguſtinus, & quod illud non „ſtatuerit in ſola inclinatione ad ma„lum, ſed & in culpa, quæ ejus eſt „principium: intendebam ergo dun„taxat, quod hi duo Patres inter ſe „diſſenſerint circa pœnam ſenſus in in„fantibus ſine Baptismo decedentibus.„

„Profiteor etiam, quod nomen *Ma„tris Dei* non modo ſit *innocens* expreſ„ſio, ſed ex traditione Apoſtolica pro„veniat, & quod ita B. V. non modo „poſſit, ſed & debeat appellari.„

„Profiteor quoque me admittere „Purgatorium, prout ab Eccleſia, Con„ciliis & SS. Patribus admittitur, im„merito ergo pag. 61. & 64. dixerim: „*quod nihil poſitivum in Patribus primo„rum trium ſæculorum reperiatur*, & quod „in *ſuis libris Purgatorii doctrinam, prout „hodie traditur, non docuerint*, locutus „duntaxat ſim de quibusdam Purga„torii circumſtantiis, quæ a Theologis „diverſimode explicantur.„

„Quod autem de novo S. Auguſtini „ſyſtemate circa gratiam & prædeſti„nationem dixi, non de neceſſitate gra„tiæ, ſed de modo agendi per gratiam „ex ſe efficacem, & de prædeſtinatio„ne gratuita, & de aliis quæſtionibus „adhuc inter Theologos controverſis „in-

„intelligenda sunt. Fateor quidem „me dixisse Tom. 1. p. 554. quod *S. Cy-* „*prianus fuerit primus, qui sat clare de* „*necessitate gratiæ locutus sit*, propterea „tamen non excluſi ceteros Patres, „sed ipsus allegavi S. Justinum, Ire- „næum, Clementem pluresque alios: „Referendo etiam Semipelagianorum „doctrinam, non bene eorum errores „segregavi a veritatibus Catholicis, „quas adhuc tenuerunt, v. g. quod „Christus mortuus sit pro salute om- „nium hominum, non tamen unum „cum altero confundere intendi: di- „versas quoque S. Augustini propositio- „nes referendo, usus sum quandoque „terminis, qui in rigore sumpti errorem „indicarent, v. g. *liberum & voluntа-* „*rium pro una eademque re, & solam ne-* „*cessitatem a coactione oppositam esse liber-* „*tati:* adhæreo autem definitioni Ec- „clesiæ & Pontificum Constitutionibus „ab ea receptis.„

Sæc. XVII. A. C. 1693.

„Me errasse fateor, dicendo: Men- „sam Sacram in primis tribus sæculis „non fuisse nominatam Altare, in quo „Eucharistia celebraretur. Credo e- „tiam circa Sacramentum Pœnitentiæ, „distinctionem peccatorum, confessio- „nem & absolutionem esse juris Divini, „hinc detestor omnia, quæ déduci „possent ex iis, quæ dixi de *pœnitentia* „*publi-*

Sæc. XVII. A. C. 1693.

„*publica, & quotidiana*, & ſi dixi, quod „*Confeſſio ſingulorum peccatorum ſit pia* „*praxis valde uſitata inter fideles ſexti ſa-* „*culi*, non intendi, quaſi non antea „jam pro peccatis venialibus in uſu „fuerit, ſed duntaxat, quod horum „peccatorum confeſſio poſtmodum fre- „quentior fuerit, quam antea.„

„Profiteor omnia in Canone VII. „Seſſ. 24. contenta, ſcilicet damnari „eos, qui credunt, Eccleſiam errare „circa indiſſolubilitatem matrimonii, „illud diſſolvi non poſſe propter adul- „terium, non obſtantibus iis, quæ „circa hoc notat Pallavicinus, proin „declaro, me negare noluiſſe, quod „hæc doctrina ſit Evangelica, ſed dun- „taxat dixiſſe, quod quidam contra- „rium ſecuti ſint.„

„Circa ea, quæ juxta Jobium Mo- „nachum de proceſſione Filii & Spiri- „tus Sancti dixi, non ea mente effa- „tus ſum, quaſi inter proceſſionem Spi- „ritus S. & inter generationem Verbi „non eſſet vera & realis differentia ſed „duntaxat, quod intellectus humanus „non poſſit aſſequi, in quo conſiſtant.„

„Immerito etiam laudavi Socratem, „dicentem, quod *controverſia de die*, in „*qua Paſcha celebretur, exigui momenti ſit.*

„Ad tertium caput de Conciliis pro- „fiteor, me toto corde amplecti Con- „cilia

„cilia Generalia, eorumque definitio- Sæc. XVII.
„nes circa dogmata tanquam fidei ar- A. C. 1693.
„ticulos, eaque utilia, & quandoque
„ad proscribendos errores, & stabi-
„liendam Doctrinam Catholicam &c.
„necessaria esse, quamvis ob hæreti-
„corum pertinaciam, hominum mali-
„tiam, & violentiam, quandoque
„sperata Ecclesiæ pax non sequa-
„tur, atque in hoc sensu dicta volo,
„quæ habentur pag. 435. scilicet, *ra-*
„*rum esse, quod Concilia Generalia in re-*
„*bus fidei celebrata, per suas definitiones*
„*pacem Ecclesiæ reddiderint.*

„Mea distinctio inter articulos *fun-*
„*damentales, & non fundamentales, Prin-*
„*cipales & non principales* est longe di-
„stincta ab illa hæreticorum: nam per
„fundamentales intelligo omnia, quæ
„expresse credere tenemur, & quæ
„contenta sunt in Symbolo: Hæretici
„autem volunt, dari articulos definitos
„in Ecclesia, quos negare licet.„

„Circa unionem hypostaticam dua-
„rum naturarum in Christo, eam om-
„nino juxta Concilium Ephesinum pro-
„fiteor, & anathematizo errorem, per-
„sonam, & assectas Nestorii; quando au-
„tem dixi: *Ægypti Monachos a S. Cyrillo*
„*admonitos fuisse, ne ejusmodi abstractas quæ-*
„*stiones inutiles moverent*, hæc verba non Ca-
„tholicæ doctrinæ defensoribus, sed Ne-
„storio

Sæc. XVII. A. C. 1693.

„storio applicanda sint: nec per ea verba „pag. 69. *S. Cyrillus suarum partium „Studiosos veritus* indicare volui, quasi „Cyrillus Antesignanus fuisset cujus„dam factionis, similis factioni Nesto„rianæ, igitur hoc nomen *partium* in „sano sensu intelligendum est. Oblitus „etiam fui admonere Lectorem, quod „criminationes contentæ in epistola „Imperatoris ad S. Cyrillum relatæ „pag. 701. non sint veræ, sed quod „hic Princeps ab hostibus S. Cyrilli cir„cumventus fuerit, quando autem „pag. 705. dixi, quod *Episcopi Conci„lium habuerint, nondum præsentibus Se„dis Apostolicæ Legatis, & reluctantibus „sexaginta octo Episcopis*, non intende„ram insinuare, quod Episcopi illegi„time Synodum habuerint, aut quod „hujus oppositionis ulla habenda fue„rit ratio.„ Plura adhuc alia circa hoc Concilium reprehensione digna excusabat Dupinus.

Circa Cælibatum Sacerdotum & Diaconorum se nil usui primorum trium Sæculorum adversum dicere voluisse, profitebatur.

Ad quartum autem caput de Primatu S. Sedis fassus est, quod hunc ejusque extensionem uberius ex Conciliis, Patribus, aliisque Auctoribus Ecclesiasticis probare debuisset, pariter quod

quod hæc verba: *coacti per Sacros Canones & epistolam Cælestini* perperam ita traduxerit, *coacti juxta epistolam Cælestini*, & hæc Concilii Calcedonensis verba: *restituit ei Episcopatum*, male ita reddiderit: *habuit eum pro Episcopo.* Sæc. XVII. A. C. 1693.

Hæc autem verba Tom. 5. pag. 5. *Missiones deservierunt ad extendendam Pontificis auctoritatem*, non de jure Primatus, sed de actuali extensione suæ jurisdictionis intelligi voluerit: quando autem dixit, quod S. Augustinus & Theodoretus *Urbanitatis* studio Ecclesiæ celsitudinem extulerint, de Urbanitatibus veritati innixis, se locutum professus est. Fatebatur, quod minus reverenter de quibusdam S. Patribus, præcipue de SS. Cornelio & Stephano, Zozimo S. Innocentio ac Leone Pontificibus Tom. 1. p. 460. & Tom. 3. p. 388. locutus fuerit.

Ad quartum Caput de favore hæreticorum declarabat, quod præter mentem suam, nimiam existimationem erga illos prodiderit, ac nunquam dixisse vellet, quod *sine temeritate Eusebio prærogativa sancti denegari non possit*, & quod nunquam terminum *Consubstantialis* approbaverit, etsi perfectam æqualitatem inter Patrem & Filium admiserit, insuper addidit Dupinus, quod per hoc verbum, *nugas*, Vigilantii er-

Sæc. XVII. A. C. 1693. rores contra invocationem Sanctorum & Reliquiarum excusare, vel omnes Genadii opiniones approbare non intenderit.

Circa sextum Caput de irrisionibus proborum hominum testabatur Dupinus, se optare, ut prima tria quarti & quinti Tomi folia delerentur, quamvis inde Protestantes nil inferre possint in præjudicium Ecclesiæ, quæ in fide immutabilis, disciplinam mutare possit: Profitetur denique quotidianam Missæ celebrationem esse praxin sanctam, sicut & frequentes peccatorum venialium confessiones.

Ad septimum Caput de SS. Patribus, fatetur, quod sæpius de illis minus reverenter locutus, omiserit annotare, quod Photii dicta de libris S. Irenæi non respiciant eos, quos nunc habemus: reprobat etiam, quæ in laudem Novatiani, & in vituperium SS. Cornelii, Gregorii Nazianzeni, Epiphanii, Hieronymi, Severi Sulpitii, S. Paulini, Cyrilli, & Chrysologi dixit, hæc autem præter intentionem suam sibi excidisse declarabat.

Ad octavum Caput de Scholasticis, profitetur, se non omnes carpsisse, sed duntaxat eos, qui nimium quæstionibus subtilibus, logicalibusque difficultatibus inhærent, neglecto S. Scripturæ

&

& Traditionum ſtudio; quando autem dixit, quod *S. Thomas obiter & ſine criſi S. Patres alleget*, intendiſſe declarat, quod hic Doctor juxta ævi ſui morem Auctores ſine exacta criſi citet. Sæc. XVII. A. C. 1693.

Ad nonum Caput *de excerptis ex Authoribus*, fatetur, quod promiſcue bona & mala ex illis deſcripſerit, nec eorum errores correxerit.

Circa decimum de quæſtionibus criticis declarabat, quod quamvis Symbolum Apoſtolorum ſit formula fidei quoad ſubſtantiam ab eis conceptâ, quidam termini tamen non in omnibus Eccleſiis iidem fuerint, & quod inſtitutio quadrageſimæ ſit Apoſtolica, nec ipſe contrarium probare intenderit.

Ad undecimum de miraculis, revelationibus, apparitionibus, & pietatis exercitiis reſpondet, quod dicendo: *Euſebium de inventione Crucis nullam feciſſe mentionem* non intenderit in dubium vocare ipſius inventionis hiſtoriam, & miracula tunc patrata: magis autem aſſertive loqui debuiſſet de iis, & de revelatione facta S. Cypriano & de miraculoſa ſanatione Leonis III. ab Anaſtaſio Bibliothecario relata: quando autem dixit, quod tempore S. Hieronymi in uſu non fuerit, cereos ad plenam diei lucem accendere in honorem Martyrum, non intende-

Sæc. XVII. A. C. 1693. tenderit modernum Eccleſiæ uſum carpere.

Ad poſtremum denique caput de adulterato Authorum ſenſu, ſe humana paſſum fuiſſe fatetur Dupinus, ſed tamen ex inadvertentia, paratum vero eſſe, cuncta emendare: fatetur quoque, quod perperam ſcripſerit, Philoſtorgium dixiſſe, quod ſecundus liber Machabæorum ſit minoris auctoritatis, quam primus, cum tamen hic duntaxat dixerit, eum eſſe ab alio Authore: male etiam Hipatium citaſſe, quaſi dixiſſet, *non attendendum eſſe, quid quilibet Apoſtolus ſcripſerit, aut circa legalium rituum obſervantiam fecerit*, cum tamen hic Author duntaxat dicat: *circa ea, quæ quilibet egit:* Declaravit etiam, quod textus Caſſiani in Tom. 3. part. 2. pag. 38. non ſit intelligendus *de lege & obligatione obſervandi jejunium*, ſed de ratione ſuæ inſtitutionis, & quod S. Hieronymus in Epiſt. 129. non dixerit, *quod Epiſtola ad Hebræos & Apocalypſis ab aliquibus Eccleſiis Græcis & latinis non recipiantur*, ſed quod quamvis quædam latinæ Eccleſiæ epiſtolam ad Hebræos, & quædam Græcæ Apocalypſin non recipiant, ea nihilominus a veterum teſtimonio auctoritatem habeant.

His

His ita declaratis Dupinus hæc addidit: „Hæc præcipua ſunt, quæ mihi „objecta fuere, ſi adhuc alia in meis „operibus offenſioni ſunt, ea diluci- „dare, mutare, corrigere & revocare „paratus ſum; non alio enim ex fine „calamum arripui, niſi ut veritatem „inveſtigem, & ædificem Eccleſiam. „Pro ingenti, quam Deus Auctoribus „confert, gratia cum D. Auguſtino ha- „beo, ſi eis ſuos libros per lectorum „ac cenſorum judicia magis eruditos, „magisque exactos reddendi occaſio- „nem præbet; *Ego autem cum per eos, qui meos labores legunt, non ſolum doctior, verum etiam emendatior fio, propitium mihi agnoſco Deum, & hoc per Eccleſiæ Doctores, maxime exſpecto, ſi & in ipſorum manus venit, dignanturque noſſe, quod ſcribo:* Maximo etiam mihi ho- „nori duco, quod Judicem nactus ſim „Præſulem toto Regno doctiſſimum, „cujus judicio me ſubmitto ſine ulla „reſtrictione aut limitatione. „ Sæc. XVII. A. C. 1693.

§. XLIII.

Hujus Auctoris Bibliotheca a Pariſienſi Archiepiſcopo proſcripta.

Hoc ſcriptum Dupinus Archiepiſcopo Pariſienſi velut libri ſui apologiam, atque orthodoxiæ teſtimonium tradiderat, *Hode vie de Louis XIV. l. 5. p. 107. Boſſuet op. poſth. vol. 2.*

Sæc. XVII. A. C. 1693

derat, quoniam vero plures adhuc propositiones gravi censura dignæ, quas Author silentio præterierat, in eo continebantur, hinc illimitata sua submissione nil aliud impetrare poterat, nisi ut Archiepiscopus ejus personæ parcens, libri doctrinam perstringeret die decima sexta Aprilis hanc pronuntians sententiam: „Utinam hoc „opus limitatæ correctionis capax esset, „& duntaxat Authori indicare ac præ„scribere possemus, quæ intactis cete„ris corrigenda essent, nec totum li„brum ex integro supprimere cogere„mur: malum vero per totum ferme „opus dispersum nos compellit, ut hunc „librum damnemus, ejusque lectio„nem omnibus nostræ curæ subjectis „prohibeamus, ne malum latius ser„pens Ecclesiæ noceat, & hæretici eo „contra Catholicos abutantur: pro„pterea implorato Spiritus sancti ad„jutorio librum, cui titulus: *Nova Bi„bliotheca* damnavimus & damnamus „ceu continentem plures propositiones „falsas, temerarias, scandalosas, pia„rum aurium offensivas, Traditioni de „libris Canonicis pluribusque aliis fi„dei articulis contrarias, Conciliis Oe„cumenicis, Sedi Apostolicæ, & Ec„clesiæ Patribus injurias, erroneas, „& ad hæresin inducentes. Igitur sub „pœnis

„pœnis in jure ſtatutis ſerio omnibus Sæc. XVII.
„noſtris utriusque ſexus Diæceſanis A.C. 1693.
„inhibemus, ne hunc librum legant,
„aut legi curent, nec illius lectionem
„ſuadeant, nec in ædibus ſuis, aut
„alibi retineant, ſed quantocius nobis
„tradant: Hujus noſtri mandati execu-
„tionem injungimus noſtris Eccleſia-
„ſticæ Curiæ Miniſtris, præcipientes,
„ut illud ad Eccleſiarum januas tam in
„urbe quam in ſuburbiis affigant, imo
„etiam, ſi opus fuerit, Magiſtratuum
„opem implorent &c.„ Pariter Inno-
centius XII. die prima Julii hoc anno
Dupini Bibliothecam proſcriptis libris
accenſeri juſſit, ſicut jam anno hujus
ſæculi octogeſimo octavo ejusdem Diſ-
ſertationes Hiſtoricas de antiqua Ec-
cleſiæ diſciplina Innocentius XI. die
vigeſima ſecunda Januarii proſcripſe-
rat: graviore adhuc cenſura Dupini
libros poſtmodum notavit Clemens XI.
ut ſuo loco referemus: Ceterum nil
intimius Proteſtantium præcordia cor-
rodit, quam palinodia, qua Scripto-
res Catholici hallucinationes ſuas vel
ex inadvertentia, vel novitatum pru-
rigine divulgatas publice retractant,
ac de emendatis ſuis operibus gratias
agunt: hinc quos antea velut potentes
ſuæ ſectæ Patronos immenſis elogiis
cumularunt, mox facta revocatione

Sæc. XVII. A. C. 1693.

tanquam imbelles, timidos, ſtupidosque exſibilant, aut ſi mitius adhuc dum cum eis agunt, eorum palinodiam nonniſi fictam, ſimulatamque fuiſſe divulgant: Ita etiam Dupinum in libri ſui damnationem nonniſi ſimulate conſenſiſſe jactitant, eodem ducti argumento, quo nuperam Præſulum Gallorum palinodiam ad artificioſam ſimulationem reponebant, ſcilicet quod *Dupinus pariter in ceteris ſuæ Bibliothecæ tomis, aliisque operibus priorem ſentiendi modum ac principia retinuerit*: „Ceterum Boſ„ſuetius de Dupini libris hoc tulit ju„dicium, timendum eſt, ne Catholici „inadvertenter exinde novitatis, ac te„merariæ criſis contra S. Patres vene„num hauriant, præcipue cum hæc peſtis „hodiedum inter Doctos Viros nimium „graſſetur, Dupini tamen labores Ec„cleſiæ erunt utiles, dummodo abſint „qui ei adulantur, & ipſemet minus „præcipiti calamo ſed potius ad ſe„cundas curas ſua opera revocet, „ſuamque Theologiam magis ſolidam, „& criſin ſuam magis exactam, ma„gisque conſideratam reddat.„

§. XLIV.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

§. XLIV.

Gallica ſancti Chryſoſtomi verſio apud eundem Archiepiſcopum Pariſienſem denuntiata.

Anno hujus ſæculi nonageſimo quidam nomine Fontana olim Arnaldo & Sacyo Portu Regienſi a ſecretis Homilias S. Joannis Chryſoſtomi in Epiſtolam D. Pauli Gallice reddidit, forte, ut otium fugeret, aut, quod verius, ut Moliniſtis, qui hujus Græci Patris auctoritate ad eludendas S. Auguſtini doctrinas paſſim abuſi ſunt, ob oculos poneret, hunc S. Doctorem eorum opinionibus non usquequaque propitium eſſe: Quamprimum hoc opus Pariſiis publicam lucem aſpexerat, mox ab Anonymo publicis typis prodiit ſcriptum quoddam, in quo hæc Fontanæ verſio apud Sorbonæ Doctores denuntiabatur, tanquam opus, in quo Author ejusque ſocii errores Neſtorii innovare intenti, in pluribus locis a fide Catholica deviarint. Hoc opus pariter ad examen vocarunt Jeſuitæ, illiusque Auctorem tanquam Neſtorianum ac Janſeniſtam apud Harlæum Pariſienſem Archiepiſcopum denuntiarunt.

Hodæ l. c. Argentre Coll. Jud. t. 3. p. 386.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

§. XLV.

Fontanæ Palinodia.

Argentre l.c. Recueil Hist. in Bibl. Sorb.

Quamprimum Fontana inaudierat, ſuam verſionem offenſioni eſſe, hancque cauſſam ad Pariſienſem Archiepiſcopum jamjam eſſe delatam, mox agnito errore palinodiam conſcripſit, eamque typis editam Archiepiſcopo exhibere conſtituit: Hanc in rem die quarta Septembris ad eundem literas ſuæ ſubjectionis ac pœnitentiæ teſtes dedit, quarum ſumma hæc eſt, „Fateor, me in mea verſione ex mera „ignorantia, atque incuria in errores „incidiſſe, quibus præter mentem „meam ſenſum ſancti Doctoris adulte„ratus, maxima fidei noſtræ myſteria „labefactavi, hinc conſcientiæ ſtimulis „urgeor, ut populi offenſionem repara„rem, meamque orthodoxiam ſolemni „palinodia vindicarem, hanc in rem „ſcriptum, in quo plenam ſubmiſſionem „erga Eccleſiam teſtatus, duos errores „a vero S. Chryſoſtomi ſenſu & a fide „Catholica devios pœnitens revocavi, „a me compoſitum Pariſios transmiſi, „publicis typis edendum, ac ultimo „tomo præfigendum: Prius autem me „obſtrictum ſentio, ut Archiepiſcopo „meo, quem ut competentem Doctrinæ

„Judi-

„Judicem veneror, de fide mea ratio- Sæc. XVII.
„nem reddam; eapropter eidem meam A. C. 1693.
„revocationem ſcriptam, eamque chi-
„rographo munitam transmitto, ſup-
„plex, ut ea, ſi bene viſum fuerit,
„ſtatim unacum correctionibus adjun-
„ctis prælo ſubjiciatur: ſi vero quid
„ultra a me petatur, prompta cæcaque
„obedientia Eccleſiæ ſatisfacere para-
„tus ſum.„

Huic epiſtolæ Fontana annexuit ſuam retractationem quinto præfigendam tomo, qui homilias in Epiſtolas ad Timotheum, Titum, Philemonem, & ad Hebræos complectebatur: Erat autem hujus tenoris.

„Accuſor, quod Neſtorii errores re-
„novare intenderim, ac reipſa eos ad-
„optarim; circa primum vero Deum
„teſtor, quod nunquam aliam fidem,
„quam Catholicam, Apoſtolico - Ro-
„manam profeſſus, nunquam in men-
„tem mihi venerit, quovis pacto ejus pu-
„ritatem offendere: non indignor, ſed
„potius me obſtrictum profiteor illis,
„qui verſionis meæ errores detexerunt,
„quia illos agnoſcendi, ac ſolemniter
„revocandi occaſionem nactus ſum,
„vellemque, ut datam offenſionem,
„meumque reatum proprio ſanguine
„eluere poſſem: Ad ſecundum vero ac-
„cuſationis caput, declaro, me, cum
„Theo-

Sæc. XVII. A.C. 1693. „Theologus non ſim, nec omne ſtu„dium, tempusque neceſſarium huic „verſioni impenderim, præter mentem „meam ex mera inadvertentia in plu„res incidiſſe errores, quos ſincere de„teſtor: fateor, quod ex inadvertentia, „meraque oſcitantia a fidei Catho„licæ veritatibus, veroque S. Doctoris „ſenſu in pag. 276. aberraverim hæc „verba eidem affingens: *Sanctus Paulus hic varios hæreticos impugnat, Judæos, quibus duas Perſonas in Chriſto, Deum & Hominem demonſtrat &c. . . . . Marcellum, aliosque, quibus oſtendit, quod duæ Perſonæ, quæ ſunt in Chriſto, per ſeipſas ſubſtent, & inter ſe diſtinctæ ſint.* „Erravi, neſciens difficultatem aſſe„quendi hoc in loco mentem ſancti Do„ctoris: ignorabam, quod circa pri„mum hunc locum & alterum, variæ „ſint editiones, & variæ Interpretatio„nes, & quod aliqui etiam hunc tex„tum in pluribus editionibus deprava„rint, cum aliqui hanc propoſitionem „juxta quamdam antiquam editionem „latinam, in qua hæc duntaxat verba „habentur: *Duas eſſe Perſonas, & unum „Deum*, intelligant de duabus primis „Perſonis Trinitatis, alii vero non mu„tato textu duas Perſonas ad Patrem „& Filium, & Deum & Hominem ad „Chriſtum referant, alii denique etiam „de

„de Christo has duas Personas expli- Sæc. XVII.
„cent, cum tamen S. Doctor in primo A. C. 1693.
„loco hoc verbum *Persona*, & in se-
„cundo nomen *Hypostasis* & Persona
„nonnisi in sensu proprio accipiat,
„ita ut hæc duo verba *naturam & sub-*
„*stantiam* significent, aliunde vero cer-
„tum sit, quod ante Nestorii tempora
„hæc duo verba: *Persona & Hypostasis*
„apud S. Patres non ubique adeo exacte
„inter se distincta, uti postmodum, re-
„periantur: quod autem S. Doctor op-
„pido alienus fuerit a Nestorii errore,
„patet, quia quoties hoc nomen *Per-*
„*sona* in sua *propria* significatione acci-
„pit, unam duntaxat Personam in
„Christo adstruat, & aperte neget, duas
„in eo dari, ob crassam hanc igitur
„meam ignorantiam, & temeritatem,
„qua opus ultra vires meas aggressus
„sum, utrumque S. Doctoris textum
„magis intelligibilem reddendi studio
„ad hæc verba: *in Christo*, addidi: *quæ*
sunt in Christo, quibus aperte dixi, quæ
tamen tali modo in S. Doctoris textu
non habentur, proin in margine ad
imitationem Frontonis Ducæi addere
debuissem notam ex Sixto Senensi in
hunc locum ad Hebræos: Ut ergo,
quantum possum hanc culpam eluerem,
utrumque textum corrigi, hæcque
verba: *quæ sunt in Christo* expungi no-

tam-

Sæc. XVII. A. C. 1693.

tamque in margine apponi, jussi: Alia etiam meæ versionis loca, in quibus circa hoc argumentum me non satis clare expressi, immutari præcepi: de cetero autem protestor, me nunquam studio aut dedita opera vel a S. Doctoris sensu, vel Ecclesiæ doctrina aberravesse rim, nec ex destinato quædam loca supprimere, vel eorum sensum corrumpere intenderim: sicut autem veritatis amor me ad errores meos condemnandos obstringit, ita etiam justitia & charitas mihi præcipit, ut declarem, hosce errores mihi soli esse proprios, nec ulli alteri imputandos, eoquod amicorum nulli meum opus communicarim, &c.

§. XLVI.

Altera ejusdem Auctoris epistola ad Parisiensem Archiepiscopum.

Quoniam vero inscio Fontana, paulopost nonnulli eum vindicare, aggrederentur, hancque in rem apologiam ederent, inde offensus Archipræsul a Fontana petiit, ut solemni declaratione testaretur, hoc scriptum ex ejus calamo nullatenus fluxisse: Igitur die duodecima Martii anni subsequentis datis ad eundem literis declarabat, quod hæc apologia sibi penitus incognita esset, cunctisque renuntiaret,

ret, quæ in sui defensionem ibidem continerentur, de cetero autem, factæ suæ revocationi, & dolori, quo suos errores detestatus fuisset, firmiter insisteret, palamque faceret, quod circa alias quæstiones, ubi de possibilitate præceptorum, resistentia gratiæ, libertate hujus status, Divina voluntate salvandi omnes homines, de morte Christi pro salute omnium, de peccato originali, prædestinatione & reprobatione, nunquam ejusmodi errores in sua versione adoptare intenderit: et si quid simile in sua versione repertum fuerit, id non data opera, sed ex incuria irrepserit, non autem aliter circa hos articulos sentiat, quam Ecclesia Catholica sentit: omiserit quidem aliqua S. Doctoris loca, sed ideo, quia literalem versionem edere non intenderit.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

§. XLVII.

Controversia inter Mechlinienſem Archiepiſcopum & Lovanienſes Doctores coram Pontifice agitata.

Jam ab anno hujus sæculi sexagesimo Facultas Theologica Lovanienſis, ne in Belgio Catholico Jansenii doctrina latius serperet, Alexandri VII. Pontificis formulam opposuit, cunctisque præcepit, ut interposita juramenti reli-

Sæc. XVII. A. C. 1693. religione profiterentur, *se ore & corde doctrinas quinque propositionum Jansenii per Innocentii X. & Alexandri VII. Pontificum Constitutiones proscriptas damnare, iisdemque Constitutionibus religiosam observantiam præstare:* Cum autem instigante Quesnello, Arnaldo, eorumque sociis nonnulli Belgæ Theologi usitata distinctione inter quæstionem juris & facti necnon obsequioso silentio hoc juramentum ac formulam eluderent, hinc ineunte anno hujus sæculi nonagesimo secundo Humbertus de Precipiano Mechlinienſis Archiepiscopus formulam Alexandri VII. integram præscripsit, seu ut omnes non modo jurarent, quod obsequiose reciperent Pontificum Constitutiones, sed etiam jurarent *veritatem* circa ea, quæ in illis continentur quoad quæstionem facti, id est damnarent *has quinque propositiones tanquam ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus*: Augustinus *extractas, & in sensu ab eodem Authore intento in ejusque libro expresso:* Insuper Belgii Præsules unanimi consensu decreverunt, ut ad integram hanc Alexandri VII. formulam omnium illorum probaretur fides, qui vel ad Ordines, vel ad Beneficia, vel ad sacratiora Confessariorum, & Concionatorum munia a se essent promovendi. Verum huic additioni ab Archiepiscopo

epiſcopo factæ nonnulli Lovanienſis Univerſitatis Doctores ſeſe acriter opposuere: unde jurgiis indies excreſcentibus tota hæc cauſſa, ex Hiſpani Regis mandato, & Ordinum Brabantinorum conſilio, necnon contendentium partium conſenſu Romam delata eſt, atque in Congregatione ſancti Officii agitata: Ibidem Mechlinenſis Archiepiſcopi partes tuebatur Pater Bernardus Deſirandt ex Ord. S. Auguſtini, Univerſitatis autem cauſſam in ſe ſuſceperat, Joannes Libertus Hennebel Theologiæ Doctor, quem quidam Univerſitatis Doctores die ſeptima Maij Romam decreverant. Hæc contentio integrum tenuit annum, & Archiepiſcopi Legatus totus in eo erat, ut formulæ explicationem, additionemque urgeret, ac demonſtraret, eam nil aliud continere, niſi quod in Alexandri VII. formula contineretur: E contrario autem Hennebelus porrecto libello ſupplici a Papa petiit, ut Academiis Lovanienſi & Duacenſi doctrinam de gratia per ſeipſam efficaci & de prædeſtinatione gratuita ante præviſa merita tradere liceat, ſimulque Pontifex novam Archiepiſcopi additionem rejicere vellet. Hanc in rem Lovanienſis Univerſitatis mentem fidemque pluribus ſcriptis teſtatam reddidit, ac præprimis a S. Congregationis Cardi-

Sæc. XVII. A. C. 1693.

Sæc. XVII. A. C. 1693

nalibus petiit, ut doctrinam in suo scripto contentam examinarent, ac postea Sacra Sedes suum desuper judicium ferret. Erat autem hujus scripti tenor sequens.

„Joannes Libertus Hennebel Academiæ Lovanienſis Doctor, ab eaque „designatus ad reddendam Sanctissimo „D. N. Innocentio PP. XII. sive huic „Sacræ Congregationi rationem fidei „ac Doctrinæ, tam suæ, quam aliorum plurimorum Theologorum, & „Ecclesiasticorum, Cleri Belgici, tum „sæcularis, tum regularis; ut suprema „S. Sedis authoritate sedentur dissidia, „& contentiones, quibus non solum „ipsa Universitas Lovanienſis, sed & „totum pene Belgium agitatur, se sistit „humillime Eminentiis Vestris, nihil „aliud optans, suppliciterque expostulans, quam, ut examinata, quæ hic „ab eo exponitur, Doctrina, dijudicet „S. Sedes, an contineat vel unum apicem fidei Orthodoxæ contrarium, „aut aliquid ab Ecclesia & Apostolica „sede explicite, vel implicite damnatum, rejecturus obedienter, si quid „ipsa rejecerit, & amplexurus humiliter, quodcunque ipsa statuerit.„

„Quoniam vero Eminentissimi Domini, potissimam accusationem adversarii generalibus, ut plurimum, „verbis

„verbis sub invidioso Jansenismi nomi- Sæc. XVII.
„ne instituunt, volentes hac arte, sine A. C. 1693.
„onere probandi, notam hæresis inu-
„rere Viris maxime Catholicis; pri-
„mum profitetur Orator, & protestatur
„coram Deo, tam suo, quam aliorum,
„ut supra nomine, se semper damnasse,
„& usque modo damnare, quinque pro-
„positiones Jansenianas sine restrictione,
„& Constitutionibus SS. PP. Innocen-
„tii X. & Alexandri VII. religiosam per
„omnia observantiam præstitisse, ac
„etiamnum præstare.„

„Declarat insuper speciatim Orator,
„suo & aliorum, de quibus supra no-
„mine, se circa prædictarum quinque
„propositionum materiam, subscribere
„expositioni quinque Articulorum jam
„ab Anno 1663. ad sedem Apostolicam
„transmissæ, iterumque paucis abhinc
„annis eidem S. Sedi oblatæ, idque
„eodem modo, quo celeberrimi quique
„Thomistæ eam expositionem proba-
„runt, ac etiamnum probant.„

„Quæ quidem doctrina quinque il-
„lis articulis explicata, nihil contra-
„rium continet, sed potius plane con-
„formis est doctrinæ, quam exhibent
„Censuræ duarum facultatum Lova-
„niensis & Duacensis præterito sæculo
„editæ, cum adjuncta eis justificatione.
„In his enim jam olim expressa est Ora-

Sæc. XVII. A. C. 1693

„toris, aliorumque, præsertim Lovanienſis Facultatis, Theologorum de „Auxiliis divinis, & gratia Salvatoris „ſententia, quam, utpote a majoribus „acceptam, usque in hunc diem, & „non aliam, retinent ac profitentur, „ob id maxime, quod ſemper ab iis „creditum ſit, atque etiamnum creda„tur, hanc eſſe genuinam S. Auguſtini, „aliorumque Sanctorum contra Pela„gianos, & Semi-Pelagianos gratiæ „defenſorum, itemque Divi Thomæ „doctrinam, ſæpius quidem, præſer„tim a recentioribus, reprehenſam & „impugnatam, ſed ſemper in Eccleſia „defenſam, & potiſſimum ab Apoſto„lica ſede in tuto collocatam.„

„Quamvis autem anno milleſimo „ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono Fa„cultas Theologica Lovanienſis hanc „ipſam prædictarum Cenſurarum & Ju„ſtificationis doctrinam per ſpeciales „deputatos ſedi Apoſtolicæ examinan„dam obtulerit, eamque hæc Sacra „Congregatio poſt maturum examen „cenſuerit errore vacuam, & ab omni „Cenſura immunem, uti iisdem depu„tatis ab eo, qui tunc in eadem ſacra „Congregatione Aſſeſſoris munere fun„gebatur, ſignificatum fuit: attamen „adverſarii paſſim pergunt eam ipſam „doctrinam atro Bajanismi, Janſenis„mi,

„mi, imo & Calvinismi calculo notare, Sæc. XVII.
„ejusque defensores palam, tum ver- A.C. 1693.
„bis, tum scriptis, tanquam hæreticos
„& novatores traducere, uti patet ex
„pluribus thesibus, variisque Libris,
„quorum nonnulli ad hoc Sacrum Tri-
„bunal delati sunt.„

„Quapropter, Eminentissimi Do-
„mini, Orator humiliter supplicat Emi-
„nentiis Vestris, ut de expositione quin-
„que Articulorum, toties jam Aposto-
„licæ sedi oblata, judicium suum pro-
„ferre dignentur. Jam vero, ut ali-
„quo publico testimonio significent,
„quid jam olim de prædictis duabus Cen-
„suris, & adjuncta eis justificatione
„Sacra Congregatio censuerit, quo ii
„compescantur, qui illas tanquam mi-
„nus orthodoxas, aut etiam hæreti-
„cas accusare non cessant. Sic enim
„futurum sperat, ut omnes intelligant,
„an revera doctrina, quam suo, alio-
„rumque nomine supra exposuit, sit
„dicenda hæretica, aut in Jansenio
„damnata; an illam tenentes & do-
„centes sint dicendi rebelles sedi Apo-
„stolicæ, & Pontificiarum Constitutio-
„num contemptores, an propter illam
„arcendi a Cathedris in Universitatibus,
„a præbendis & dignitatibus in Capi-
„tulis, an denique repellendi a Sacris
„ordinibus, muniisque Ecclesiasticis,

Sæc. XVII A. C. 1693.

„nec approbandi ad Confessiones audien-
„das, ut pars adversa contendit.„

„De hoc supplicat Orator, ut decer-
„nat Apostolica Sedes, paratus judi-
„cio ac Censuræ illius in omnibus se
„subjicere, si quid in proposita doctrina
„reprehendendum, aut corrigendum
„duxerit. Unum rogat humillime, ut
„nimirum, si eandem doctrinam sanam
„esse judicaverit, & incontaminatam,
„nulliusque erroris suspectam, hoc ipsum
„orbi Christiano notum facere digne-
„tur, impositio adversariis silentio, &
„addita sub gravibus pœnis prohibitio-
„ne, qua interdicatur, ne quis eam
„imposterum verbo aut scripto pro cin-
„dere, vel ejus Defensores invidiosis
„nominibus, seu calumniosis accusa-
„tionibns, aliisque vexationibus exagi-
„tare attentet. Hoc enim, Eminen-
„tissimi Domini, videtur efficacius, &
„forte unicum supereſſe remedium ad
„sedandas graves illas dissensiones, qui-
„bus Belgium jam diu miserandum in
„modum discinditur, & ad stabilien-
„dam inter Theologos pacem & Con-
„cordiam, quod tantopere Vestras Emi-
„nentias optare omnes norunt. Quas
„Deus in bonum Ecclesiæ servet inco-
„lumes.„

§. XLVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

§. XLVIII.

Alius Hennebeli libellus ad eandem Congregationem.

Paulopoſt idem Doctor rurſus ſacri Officii Congregationis Cardinales rogabat, ut ſibi ſuam ſuorumque mentem circa motam controverſiam declarare liceat, qua approbata aut ſuum judicium deſuper ferant, aut ſaltem interim juxta pacem a Clemente IX. Gallis datam cenſurandi licentiam inhibere velint: hanc in rem hunc eis obtulit libellum.

„Joannes Libertus Hennebel &c. „Eminentiis veſtris ea, qua par eſt, „reverentia exhibet annexam hic de„claracionem, qua ſe aliosque, quo„rum partes agit, Alexandri formulam „ſincere, & juxta Sedis Apoſtolicæ „mentem ſubſcribere paratos eſſe pro„fitetur, humiliter orans, ut ſi nihil in „ea, niſi ſanum, Orthodoxum, Sedis„que Apoſtolicæ menti conforme inve„niant, id publico & idoneo teſtimo„nio palam omnibus facere non de„dignenter.„

„Sin vero ob rationes Oratori non „cognitas, Eminentiis Veſtris ſuum de „hac declaratione judicium jam nunc „publicare non placeat; in hoc caſu

Sæc. XVII. A. C. 1693.

„ſupplicat Orator, ut ad impediendas „contentiones, & vitanda ſcandala to„tam hanc de ſenſu formularis Contro„verſiam ſibi reſervare velint, ſub gra„vibus pœnis inhibendo, ne quis im„poſterum ſuper hac controverſia pu„blice diſputare, aut aliquid in lucem „edere præſumat, ſed quilibet ſenſa „ſua, quæ ad hujusmodi cauſſæ de„ciſionem conferre poſſe exiſtimarit, „chartæ mandata Romam transmittat: „ac donec Apoſtolica Sedes ſuum ju„dicium protulerit, aut aliud quidpiam „ea de re decernendum judicaverit, „nemo quacunque dignitate, vel au„thoritate præditus attentet hac de „cauſſa Oratorem, aliosque omnes, „quorum nomine agit, tanquam hæ„reticos, aut de hæreſi ſuſpectos, vel „adverſus Conſtitutiones Pontificias „contumaces damnare, vexare, & a„muniis Eccleſiaſticis excludere, ut„pote, qui Romanæ Eccleſiæ omnium „Eccleſiarum Matri & Magiſtræ tanta „humilitate, & ſubmiſſione ſenſum „ſuum expoſuerint, nec aliud magis „optent, quam ab eadem ſancta ſede „doceri, num ſit aliquid in hac eorum „declaratione, vel fidei Catholicæ, vel „perfectæ erga Apoſtolicas Conſtitutio„nes Obedientiæ contrarium, quas „Deus &c.„.

Viciſſim

Sæc. XVII. A. C. 1693.

Viciſſim vero Pater Deſirandt quamplurimos Belgii Doctores, aliosque Romæ de Janſenismo accuſabat, ejusque fautores toti in eo erant, ut Hennebeli ſinceritatem ſuſpectam redderent, quo comperto ipſe die vigeſima ſexta Octobris novam mentis ſuæ declarationem Romæ Cardinalium Congregationi porrexit, hujus tenoris:

„Cum ſpargi audiam tum in Bel„gio, tum hic apud ſanctam Sedem, me „paratum quidem eſſe formulam Ale„xandri VII. Pont. Max. ſubſcribere, „ſed ſubdole & fallaciter, nec mihi a„liud in animo eſſe, quam hac ſub„ſcriptione Belgii Epiſcopis, ſedi Apo„ſtolicæ, totique Eccleſiæ illudere: „Ego infra ſcriptus calumniæ tam a„troci obviare, famæ meæ conſulere, „& graviſſima, quæ ex rumoribus ejus„modi merito timenda ſunt ſcandala „prævenire ſatagens, præſenti ſcripto „declaro, quod prædictam formulam „ſubſcribere paratus ſim, non ſubdole, „non fallaciter, ſed prorſus ſincere, „atque ad mentem Sedis Apoſtolicæ, „prout decet genuinum filium, & de„cretorum S. Sedis religioſiſſimum cul„torem.„

„Ut autem ſinceritas mea magis „pateat, mihique nemo deinceps op„ponat, quod aliud ore proferam, a-

Sæc. XVII. A.C. 1693

„liud mente reſtringam (quamquam „ſcripta, quæ hactenus in hoc negotio „obtuli, hanc calumniam ſatis revin„cant) coram Sanctiſſimo Domino no„ſtro Innocentio Papa XII. & Sacra „Congregatione ſancti Officii apertiſſi„me profiteor, me damnare absque „ulla exceptione, aut reſtrictione quin„que Propoſitiones a ſummis Pontifi„cibus Innocentio X. & Alexandro VII. „damnatas, omnesque ſenſus, in qui„bus damnatæ fuerunt, meque alienum „prorſus eſſe a defendendis prædictis „quinque Propoſitionibus, ſingulisque „erroribus, quas in eis Apoſtolica Se„des, totaque Eccleſia damnavit„

„Declaro inſuper certum prorſus „(ſub humili correctione) mihi videri, „quod Sedes Apoſtolica nunquam fide „tenendum definierit, nec proinde un„quam fidelibus neceſſitatem expoſue„rit credendi, ac jurandi, quinque il„las Propoſitiones ex Libro Cornelii „Janſenii Yprenſis Epiſcopi, cui titu„lus *Auguſtinus*, excerptas eſſe, iisque „contineri ſenſum in prædicto Janſenii „Libro expreſſum. Quamquam lubens „agnoſcam, hanc fuiſſe Sedis Apoſto„licæ mentem, ut vetaret, prohibe„retque, ne quis poſtea Librum Jan„ſenii adverſus latam a Pontificibus „cenſuram defendat, & dicto, ſcriptove „aſſe-

„asserere audeat, quod quinque propo- Sæc. XVII.
„sitiones ex prædicto Libro non sint A.C. 1693.
„excerptæ, vel quod non contineant
„sensum in eodem Libro expressum:
„quam Sedis Apostolicæ ordinationem
„me, per Dei gratiam, inviolabiliter
„observaturum, daturumque operam,
„ut pari reverentia ab aliis observetur,
„coram Apostolica sede sancte pro-
„fiteor.„

„Quem quidem formulæ Alexan-
„dri VII. ac Sedis Apostolicæ eam præ-
„scribentis, verum ac genuinum sensum
„esse, eo magis adducor, ut credam,
„quod alias discedendum omnino esset
„a receptissima Cardinalium Baronii,
„Bellarmini, Pallavicini, aliorumque
„celeberrimorum Theologorum, ac Se-
„dis Apostolicæ defensorum sententia.„

„Quid? quod & hunc ejusdem for-
„mulæ sensum probari videam omnibus
„pene Theologis, aliisque Viris doctis,
„quos mihi ab uno fere anno in urbe
„commoranti convenire, & ea de re
„sensum suum palam & aperte signifi-
„cantes audire sæpe licuit.„

„En claram, ac dilucidam de sub-
„scribenda, ac juranda Alexandri VII.
„formula sensus mei declarationem,
„quam facio non tantum nomine meo,
„sed etiam nomine omnium, quorum
„in hac causa partes ago, eam sanctis-

simi

Sæc. XVII. A. C. 1693.

„simi Domini nostri, & Apostolicæ Se„dis judicio humillime subjiciens, pa„ratus addere, demere, exponere, ex„pungere, quidquid S. Sedes adden„dum, demendum, exponendum, ex„pungendumve censuerit.„

Postea factis in Epistolam Patris Desirandt variis annotationibus Hennebelus denuo die decima quarta Novembris suæ mentis declarationem confirmavit his verbis: „Quod ad me at„tinet, aperte Declaro. I. Persuasum „mihi esse, quod sensus Formularii, „quem in Processibus suis verbalibus „exposuerunt quatuor Episcopi, quam„que ego secutus sum in declaratione „exhibita S. Congregationi sancti Officii „die 26. Octobris 1693. proxime elapsi, „sit sensus ejus verus, & legitimus, ac „Sedis Apostolicæ menti per omnia „conformis.„

„Declaro II. persuasum mihi esse, „quod quatuor illi Episcopi juxta sen„sum, illum subscribentes formulario „Alexandri VII. rite, legitime, & sin„cere subscripserint.„

„Declaro III. juxta sensum dictorum „Episcoporum subscripturos promptis„sime omnes, quos hactenus de Jan„senismo accusavit P. Desirandt.„

§. XLIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

§. XLIX.

Belgradum a Cæsareis incassum tentatum.

Turcis in superiore Hungaria præter Giulam & Jenæam nil reliquum erat; postremam ergo hanc urbem insuperhabitis difficultatibus vix superandis impiger Heisterus Cæsareus Bellidux oppugnare statuit; nec generoso ausui prosper defuit successus: Turcæ enim assidua verberatione territi, vitam, libertatem, sarcinasque pacti deditionem fecere, relictis duodequadraginta belli tormentis. Nihilominus Cæsar urgente Guilielmo dicto Angliæ Rege cum Turcis de pace agere constituit, ejus autem Legatis indigne habitis Imperator Eugenio Croyo, cui in Hungaria post Badensis discessum Cæsarei exercitus imperium fuit commissum, in mandatis dedit, ut Belgradum expugnare niteretur. Hic igitur impigre trajecto Savo Turcas ex Zingarorum insula dejecit, qua potitus obsidionales accessus ad urbem propius duxit. Erumpunt inopino furore obsessi, atque inexpertos fossores tanto terrore implent, ut indecore abjectis armis aufugerent: mox tamen Turcas Cæsarei non sine clade in urbem repellunt:

Wagner Hist. Leop. lib. 12. Briet. Annal. cont.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

pellunt: Aliquamdiu Croyus urbem & Turcas arte, omnique conatu fatigabat, cum autem naves, quibus annona, ac bellicæ munitiones adveherentur, tardius adventarent, tentata improſpere irruptione nocturna, & invaleſcente morborum vi de expugnatione conclamatum videbatur: Inſuper ad tot malorum cumulum acceſſit Strateghi Chriſtiani defectio, qui in urbem dilapſus, Barbaros conſiliis & machinis egregie juvabat, quocirca Croyus die decima Septembris obſidionem ſolvit: Ita demum tota hujus anni expeditio ob pecuniarum inopiam & infeſtas Ductorum cunctationes corrupta eſt.

§. L.

Variæ urbes a Gallis captæ & devaſtatæ.

Theatr. Europ. t. 14. Gottfrid. Hiſt. Chron. cont. l. 12. p. 449. Wagner l. c. Burnet t. 4. pag. 224.

Ineunte hoc anno Galli rei ſummam in celeritate ponentes, ex hibernis ſtativis mature proceſſerunt, ac relicta Rhinfeldenſi obſidione in Flandriæ interiora penetrare conati ſunt. Præprimis Bufflerius, ut hoſtem falleret, Huy muniti oppidi obſidionem ſimulat, mox tamen inflexo itinere Furnas die tertio Januarii contendit, hanc urbem expugnaturus, ſimulque Anglos, qui in Normaniæ oram exſcenſuri, ibidem ſubſti-

Sæc. XVII. A. C. 1693.

ſubſtiterant, intercepturus: Altero etiam obſidionis die Hornius Gubernator præcipiti nimis conſilio urbem Gallis ceſſit; quo comperto Diximudæ Præfectus ſub debilioris defenſionis obtentu hanc quoque civitatem deliquit; unde Galli utramque urbem muris nudarunt, atque incolis Dunkerkam raptatis, Anglos præſidiarios jure belli captos detinuerunt. Sub idem ferme tempus centum aliquot perditæ vitæ homines detegebantur, qui ad ſpargenda ubique incendia a Gallis emiſſi fuerant, eo fine, ut incolis ubique diſperſis, eo liberius per Wirtembergenſem Ducatum ad Danubii littus penetrare, ſparſoque in Hungariam rumore Turcas ad Auſtriæ invaſionem pellicere valerent: Interim Melacus celebris ille incendiorum opifex totum qua late patet agrum Heidelbergenſem & obvia quæque ſtrage, ſanguine, flamma & vaſtitate miſcebat: Lorgius vero Heiderſtorffium Gubernatorem ad ultroneam deditionem provocans, ultimum excidium minitabatur, ſi vel minimum reſiſtere auderet: Hiſce minis Gubernator oppido ignavus ceſſiſſet, niſi a Tribunis proditionis calumniam eidem ingerentibus abſterritus fuiſſet: væcors tamen hic homo nec imperia dare, nec periculis obviare, aut ſtationes

Sæc. XVII. A. C. 1693.

nes distribuere præ artuum trepidatione potuerat, quinimo ipsam Urbis portam hosti obviam obserrare vetuit, quo animadverso Galli in suburbia penetrant, atque obsessos incautius erumpentes repellunt, simulque mixti cum illis magno numero in urbem involant: Profugunt obsessi turmatim in arcem, & quibus ad fugam celeritas defuit, (nam in tumultu festinatio quoque tarda est) abjectis armis vitam nonnisi precario obtinent. Jam urbem victores Galli ubique implent, atque e civibus non paucos ferro, alios fustibus enecant, quosdam cunctis suis vestibus spoliant, in fæminas promiscue, & sine nobiliorum formarum delectu, impetum faciunt, omnique Christiani pudoris velo seposito miseras publice omni libidinis genere divexant, reliquos e suis ædibus raptatos, vel in plateis obvios, pueros & mulieres funibus inter se nexas in Templum S. Spiritus velut pecudes agunt, horrendumque in modum, ululantes non ante emittunt, quam suprema Ecclesiæ tecta circumquaque claris flammis concreparent, & campanæ liquatæ diffluerent, turrisque ruina proxima esset. Supererat arx, de cujus deditione Gubernator paciscí petens, rejectus est, rudi hoc responso, beneficii loco habendam esse vitæ veniam, &

& corporis captivitatem, sedato tamen primo furore convenit, ut praesidiarii solito honore, binisque cum tormentis die vigesima tertia Martii excederent. Tum ultimum Urbis excidium maturatum est: Cives, qui ad PP. Capuccinorum monasterium confugerant, concatenati trans Rhenum deportantur, obstruuntur murorum ruinis putei, Electoralis Palatii ac Templorum fornices dolabris confringuntur, & quod natura horret, ac reverentia etiam barbaris prohibet, militis avaritiâ nondum vivorum divitiis expleta, Principum mortuorum sepulcra diffringuntur, ruptisque sarcophagis a cadaveribus sepultæ gazæ abstrahuntur, ossibus in publicam plateam projectis: demum in reliquas domus, quas nondum incenderant, faces inferebantur; incolæ quidem efferati militis furorem, si qua intermoreretur ignis, effugere tentabant, sed qua flamma dederat locum, obstabat hostis gladius: Varia igitur cæde consumpti fuere ferme omnes, totaque adeo celebris Urbs cum suis suburbiis in flebile bustum resedit, a fundamentis revulsa, extremo cujus excidio demum Gallorum iræ ac vindictæ parentatum est: Parisiis decantato Hymno Ambrosiano in gratiarum actionem pro re tam prospere gesta pu-

Sæc. XVII. A. C. 1693.

Sæc. XVII. A. C. 1693. blica decreta est supplicatio, nummusque procusus cum hac epigraphe: *Rex dixit, & factum est:* Id vero, ut de Rege Christianissimo assererem, nunquam adducar, adducar tamen, ut suspicer, nec omnia de ejus vitiis vera, nec omnia falso referri, multaque in ejus Ministros rejici. Eversa hac urbe Lorgius velut ignea tempestas in Darmstadiensem & Wirtenbergensem Ducatus sese effudit, a Badensi tamen Marchione, qui non ita pridem fœderati exercitus imperium in se susceperat, trans Rhenum repulsus. Nec tamen Angliæ, Batavæque vires Gallico Marti pares erant, quippe eorum classis, dum in Ægæum mare procursura Herculeum Fretum pertransire tentat, die trigesima Junii a Torvillio Gallorum Archithalasso impetita, cruento prælio triduum tenente, dispersa est, multis navigiis, quorum ducenta erant, captis vel incensis, ac reliquis in Hispaniæ portus dissipatis.

Erant quoque Galli in Belgio victores; postquam enim Guilielmus, dictus Angliæ Rex Leodio aliisque vicinis urbibus servandis a suo exercitu copias submitteret, his debilitatis Lucemburgicus Dux Franciæ Marescallus post captum Caroloregium eundem die vigesima nona Julii prope Tirlemontium

tium Brabantiæ oppidum inopino impetu aggressus est: Res brevi ad pugnæ necessitatem devenit, & postquam diu vario Marte pugnatum erat, tandem Galli sibi victoriam vendicarunt, eoquod fœderatorum tormentis ac vexillis potiti, prælii aciem retinuissent: de cetero autem victores victis vix non æqua clade pares fuere, ac multo plures & longe magis conspicuos Duces e Gallis, luctuosa ancipitis gloriæ victima, cecidere. Pari ferme victoria Galli inclaruere in Sabaudia; quamvis enim fœderati vastata Perusina valle, S Birgittæ arcem expugnassent, incassum tamen tentato Pinarolio, Catinatus Franciæ Marescallus eos insecutus, die quarta Octobris ad Marsagliam sive Orbasanam prælium conseruit, in quo Eugenius Sabaudiæ Princeps, qui aciei medium duxerat, rara fortitudinis prodigia edidit, Gallis tamen palmam ita cedere coactus est, ut eis hæc victoria ferme septem extra aciem occisorum millibus constaret: Ex fœderatis præter amissa aliquot tormenta desiderati sunt quinquies mille quingenti, partim trucidati, partim saucii aut capti. Parta hac victoria Galli loca quædam Taurino vicina incenderunt, a Cunei tamen obsidione rursus tentata, re infecta ultra montes re-

Sæc. XVII. A. C. 1693.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

meare compulsi sunt. His victoriis Galli adeo debilitati fuere, ut summo Pontifice, & Suecorum Rege urgentibus, Ludovicus ad pacem fœderatis offerendam proniorem sese exhiberet, ac per suum Legatum Comitem de Avaux in Aula Holmiensi, & per Bonrepositum in Aula Danica novas pacis conditiones proponeret, quo minus tamen eæ acceptarentur, illarum iniquitas effecit: petiit enim Rex, ut armistitio in pacem perpetuam verso ipse restitutis Friburgo & Philipopoli Argentoratum retineret, & munimenta fortalitii Ludoviciani, Montis Regii, Trarbaci, & Henningæ destruerentur.

§. LI.

Flavii Chisii Cardinalis obitus.

Palat. fast. Card. t. 4. Cornar. relat. de la Cour de Rom. Eggs Purp. doct. p. 491. l. 6. Old. in add. ad Ciacon.

Ad hunc annum refertur obitus Flavii Chisii Cardinalis patria Senensis. Hic Alexandri VII. Pontificis ex Fratre Nepos a suis Parentibus disciplina optimæ suæ indoli congrua institutus, a Patruo suo Cardinale Chisio tum Nuntio Apostolico in Germaniam ablegato Coloniam venire jussus est, ut in conciliandis Christianorum Principum animis suam eidem opem jungeret. Hujus itineris opportunitate Flavius suum ingenium excolere haud oblitus, diversarum

Sæc. XVII. A. C. 1693.

sarum gentium linquas, mores & ritus cognoscere sedulo intentus erat, animumque suum ad magnas curas & ardua negotia adornare satagebat: Inde Senas reversus tam Philosophiæ, quam Jurisprudentiæ scientiis impigram navabat operam, suæ quondam Patriæ plurimum profuturus. Postquam vero ejusdem Patruus sub nomine Alexandri VII. Pontificia Thiara exornatus fuerat, Flavius ab eodem Romam accersitus, mutato connubii consilio sacræ militiæ nomen dedit: cumque morum comitate, ac consortio, sermonisque amœnitate cunctis percharus esset, ab eodem Pontifice Romanam emeruit Purpuram, quam tamen haud otiose gesserat; variis enim Ecclesiæ negotiis, efformandis literis Apostolicis, regendæ Firmanæ ac Tiburtinæ præfecturæ, & Legationi Avenionensi adhibebatur, in quibus omnibus officiis cum singulari ingenii, providentiæ, atque integritatis laude, raram fidem, industriamque conjunxit. Exorto autem ob Corsorum rixam dissidio Legatus a Latere in Franciam ablegatus, Ludovicum Regem summopere offensum mira dexteritate placabat; inde Romam redux, Præfecturam Justitiæ obtinuit, ac Basilicæ Lateranensis Archipresbyteratu decoratus, Bibliothecæ

Sæc. XVII. A.C. 1693.

thecæ Vaticanæ curam in se susceptit: unde manifestæ calumniæ arguuntur illi, qui hunc Cardinalem velut laboris impatientem, ac nonnisi voluptatibus, & sequioris sexus amoribus implicitum traducere ausi sunt, ac primum postremis moralitatis suæ annis præteritæ vitæ noxas seria pœnitentia eluisse, scripserunt.

§. LII.

Francisci Mariæ Laurentii Brancati de Lauria Cardinalis extrema.

Toppi Bibl. Neap. Palat. tom. 5. Card. Journal des Scavans pag. 23.

Hunc morte sequebatur Franciscus Laurentius Brancatus Lauria quodam Lucaniæ oppido die decima Aprilis, ex pauperibus, honestissimis tamen Parentibus natus. Hic cunctis virtutibus Christiano juvene dignis, ac omni politiori literatura imbutus, anno jam ætatis suæ decimo quinto Clericalem statum profiteri statuit, atque Ecclesiæ S. Jacobi adscriptus, & clericali tonsura insignitus, ibidem per biennium sacris functionibus cum summa laude functus est, omnibusque suis coæqualibus sapientia, humilitate ac exemplo præluxit: Postea apostemate lethali correptus, ac ope D. Francisci sanatus, Nojam contendit, Ordinem S. Francisci professurus, ad quem demum susceptus, mutato

mutato Baptismatis nomine, quod Joannis Franciſci erat, Laurentius dictus eſt. Romam a Superioribus ſtudiorum cauſſa miſſus, ac Laurea decoratus, variis in locis Theologiam Sacrasque literas ſummo cum applauſu tradidit, poſtea honorificis Ordinis ſui officiis auctus, ab ipſo Alexandro VII. S. Officii Conſultor, & Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos renuntiatus eſt: Verum tot negotiorum moles nondum expleverat ingenii vaſtitatem, ac laboris deſiderium, quo Laurentius flagrabat, quocirca ab eodem Pontifice datus eſt S. Inquiſitionis, Sacrorum Rituum, Epiſcoporum & de propaganda fide Congregationibus, in quibus Laurentii conſilia & ſententiæ veluti norma Juſtitiæ ceteris exſtitere: Tanti propterea ab Alexandro VII. habitus eſt, ut Flavio Cardinali Laurentium in Gallicæ Legationis Theologum expetenti reſponderet, *ſibimet ejus operam adeo eſſe neceſſariam, ut ea carere non poſſet:* Inde vero pro more invidia augebatur Aulicorum, qui cum inculpatos Laurentii mores carpere non valerent, ſaltem, incaſſum licet, allatrare nitebantur. Tantopere enim ab omni faſtu, ambitione, & lucri cupidine alienus erat, ut a Principum Miniſtris, qui eum ad ſuas partes pertrahere nitebantur, ob-

Sæc. XVII. A.C. 1693.

Sæc. XVII. A. C. 1693. latas dignitates, pensiones, & Episcopatus constanter rejiceret, asserens, *sibi potius esse, si fides sua constaret incorrupta.* Mortuo Alexandro VII. Clemens IX. ejusdem Successor Laurentium eo in pretio ac honore habuit, ut eum proxime Cardinalem designandum crederent omnes; eodem autem Pontifice non multo post morte sublato Laurentius in Clemente X. amicum intimum, planeque domesticum nactus est, ac diversis iterum muneribus auctus, meritorum quoque cumulum mirifice auxit: Convixit Monachus inter crebra virtutum exercitia ac literarios labores usque ad annum ætatis septuagesimum, nec etiam ab Innocentio XI. Purpuram indutus laborem exuit, sed potius ad Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem duplicavit, ac pluribus Patrum cætibus aggregatus, calamum suum in convincendis hæreticis ac Novatoribus egregie exercuit: Selegit eum quoque Innocentius XII. Pontifex in discutienda Mechlinienſis Archiepiscopi causſa, circa quam hoc suffragium tulisse fertur: *Pontifex non potest facta humana non revelata definire . . . . . hinc Archiepiscopus ex hoc tantum excusandus est, quod, ut ipse in sua formula asserit, putavit Alexandrum definiisse factum, eo quod nominarit Jansenium, excerptionem pro-*

propositionum ex libro Jansenii, & sensum ejus: quæ omnia facta humana sunt non revelata. Et ipse Archiepiscopus, sub hac opinione, facta ista magis explicite opposuit in sua formula, juranda.... eoquod existimavit Alexandrum in Definitione V. Propositionum comprehendisse etiam factum. Sæc. XVII. A.C. 1693.

Utut de hoc sit, id certum est, quod Innocentius XII. pro explicanda sua Constitutione Laurentii voto usus sit, quamvis Jansenii Fautores illud perperam in rem suam vertant. Tandem vero doctissimus hic Cardinalis die vigesima Novembris lethali morbo correptus, die prima Decembris anno ætatis suæ octogesimo secundo pie in Domino obiit. Scripsit quatuor tomos de Sacramentis, totidem in quartum librum sententiarum, Epitomen Canonum Sacrorum, Concordiam Evangeliorum, tomos tres pro Magistris Inquisitionis, octo volumina pro S. Officio, plura & varia pro examine Episcoporum, octo opuscula de oratione, tria de Deo & gratia, & diatribam de usu Chocolatis, ubi hunc potum non violare jejunium contendit. Habentur hujus Authoris opuscula plura alia nondum typis vulgata. Edidit quoque libros Nicolai de Lyra, S. Augustini, & duodecim tomos Baronii.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

§. LIII.

Principum atque Illuſtrium obitus.

Gottfrid. cont. Hiſt. Chron. t. 12. pag. 454.

Hoc item anno die tertia Octobris non ſine magno ſubditorum luctu vitæ ſuæ curriculo finem apoplexia tactus impoſuit Marquardus Sebaſtianus Schenk de Stauffenberg Bambergenſis Epiſcopus, cui hac in Eccleſia ſucceſſit die ſexta Novembris Lotharius Franciſcus de Schönborn. Deceſſit quoque anno ætatis ſexageſimo ſeptimo die quinta Aprilis Anna Maria Ludovica Joannis Baptiſtæ Aurelianenſis Ducis Filia, quæ multis quidem deſponſa, innupta tamen obiit. Hanc pari fato ſequebatur die vigeſima ſexta Julii Carolo-Monti Udalrica Eleonora Sueciæ Regina Caroli XI. Conjux: Hujus anni autem principium ſibi exitiale habuit Mahometes IV. Turcarum Imperator, qui anno hujus ſæculi octogeſimo ſeptimo ob iteratas clades Muſelmanis illatas ſolio dejectus, die quarta Januarii in carcere contabuit, periitque, cujus fatum eodem anno Muſtapha ejus Filius Conſtantinopoli ſubiit. Præterea obiere Philippus Guilielmus Auguſtus Electoris Palatini Filius, & Erneſtus Haſſiæ-Rheinfeldenſis Landgravius die ſecunda Maij anno ætatis ſeptuageſimo, qui

qui ejurata hæresi jam ante quadraginta & unum annos publice fidem Catholicam Coloniæ cum Conjuge sua amplexatus erat. Denique vitam finiere Anna Magdalena Hannoviæ Comitissa, Leopoldina Eleonora Josepha Princeps Palatina, & Odoardus Parmensis Ducis Filius primogenitus nonnisi viginti septem annos natus. Sæc. XVII. A. C. 1693.

§. LIV.

Diversæ Innocentii XII. Pontificis Constitutiones.

Quoniam Papa Romanæ Urbis Ecclesias &c. visitare, ratum fixumque habuerat, pluribus Constitutionibus Apostolicis facultates descripsit eorum, qui pro hac visitatione designandi erant: cum autem non raro contingeret, quod Cardinales Religiosorum Ordinum Protectores concessam potestatem contra Constitutiones Ordinum extenderent, Superiores & officiales suis officiis moverent, rebus disciplinam concernentibus sese ingererent, Religiosos loco amoverent &c. hinc Pontifex die decima sexta Februarii Protectorum potestatem restrinxit. Approbavit etiam die quarta Aprilis decretum de cultu immemorabili Beatæ Joannæ Alphonsi V. Lusitaniæ Regis Filiæ ex Ord. *Bull. magn. in Const. Innoc. XII. Const. 29, & seqq.*

Sæc. XVII. A. C. 1693.

Ord. S. Dominici. Die vero decima quinta Maij præcepit, ut Officium & Miſſa de Conceptione B. V. immaculata cum octava ubique & ab omnibus celebraretur, inde autem adhuc magis comprobatum erat, quod Anno 1678. non illud Officium, quod ab antiquiſſimo tempore in Eccleſia recitabatur, a S. Officio fuerit prohibitum, ſed illud, quod Indulgentiam apogrypham continebat, & a Paulo V. approbatum fuiſſe dicebatur. Exemit inſuper Pontifex die vigeſima ejusdem Menſis Fratres Ordinis S. Joannis de Deo a ſupplicationibus publicis, ut eo liberius, magisque aſſidue ægrotis operam navare poſſent. Cum autem Cremonenſis Prætor in urbe ſuoque diſtrictu Feſtum S. Dominici publico edicto ſolemniter agi præciperet, Pontifex indigne ferens, quod Laici poteſtatem ſuam ad Eccleſiaſtica, atque ad inſtituenda feſta extenderent, hinc die prima Septembris omnia irrita declaravit. Rurſus Papa, ſicut ipſemet largitionibus ad favorem Nepotum faciendis modum impoſuit; ita etiam in favorem conſanguineorum Cardinalibus indultam teſtandi facultatem die decima quinta Octobris moderatus eſt. Inhibuit quoque die quarta Decembris, ne Advocati &c. ſportulas accipiant. Ejusmodi

modi leges multi Pontifices antea tulerant, quin quorumdam avaritiam temperare potuerint, nec unquam poterunt, nisi ex ærario Pontificio ejusmodi famelicis abunde provideant. Fervente autem bello inter Christianos Principes die octava ejusdem Mensis Innocentius Jubilæum universale pro pace obtinenda indixit. Denique attulit causas, ob quas extra tempora Ordines conferri possent, has inter numeravit præcipue, si Candidatus arctetur beneficio, si sit penuria Sacerdotum, si quis sit Canonicus, Theologiæ aut Juris Canonici Doctor, si triennio Theologiæ studuerit, aut vigesimum sextum ætatis annum jam impleverit, & denique ob solatium jam quinquagenarii Patris vel Matris &c. Plurima etiam decreta edidit Innocentius Papa de ejectis, atque ejiciendis, necnon de Apostatis, & fugitivis.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

§. LV.

Plures Sacrarum Congregationum decisiones.

Ex decisionibus, quas Sacræ Romanæ Congregationes ad occurrentia dubia ediderunt, præcipuæ sunt sequentes: Annuente summo Pontifice S. Rituum Congregatio Venetis indulsit Officium

Decis. & Const. SS. Congr. Rit. Concit. Episc. &c.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

ficium sub ritu duplicis minoris & Missam de Desponsatione B. V. habere, commemorationem autem de S. Josepho addere primum Clemens XI. Anno 1713. 1. Julii concessit Fratribus Minoribus. Declaratum quoque, Festum de septem doloribus B. V. impeditum transferendum esse in Sabbatum sequens non impeditum. Die autem vigesima septima Februarii exorta controversia inter Monachos Camalduenses, & Vallumbrosanos Forolivienses decidit S. Episcoporum Congregatio, quod ubi viget consuetudo, quod Regulares in supplicationibus inter se præcedant ratione Originis & Institutionis Religionis, ea servanda sit: Legitur etiam decisum die decima quarta Aprilis a S. Congregatione Immunitatis, quod Confessarius nulliter absolvens censuratum ob violatam immunitatem Ecclesiasticam, suspendatur ab audiendis Confessionibus arbitrio Episcopi. Sacra vero Rituum Congregatio die undecima Julii FF. Capuccinis concessit pro die quarta Augusti Officium cum octava & Missam de S. Dominico: Proscripti etiam fuere a S. Indicis Congregatione die vigesima prima Aprilis & prima Julii duo hi Libri: I. *Liber de mente Concilii Tridentini circa contritionem, & attritionem in Sacramento pœni-*

pœnitentiæ authore Joanne de Launoy. II. *Diatriba Theologica de peccato Philoſophico cum expoſitione decreti Inquiſitionis Romanæ* &c. Die autem quarta Septembris a S. Congregatione Rituum deciſum eſt, quod Regularibus in proceſſione deferentibus reliquias (non autem ceteris) debeatur præcedentia ſuper Clerum ſæcularem. Sæc. XVII. A. C. 1693.

§. LVI.

Synodi Diœceſanæ Brugenſis & Cæſenatenſis Decreta.

Præter Monaſterienſem Synodum, in qua Fridericus Chriſtianus Epiſcopus Capellanos a Parochis ſine ejus vel Archidiaconorum præſcitu aſſumi vel dimitti vetuit, inſuper Guilielmus Baſſery Brugenſis Epiſcopus die decima ſexta Junii Diœceſanam Synodum celebravit, in qua præter alia ſtatutum, ne Parochiani Biblia in linqua vernacula ſine Epiſcopi vel ab eo Deputatorum licentia legant, aut retineant. Præcipit etiam Confraternitates inſtitui, & Reliquias procurari, ubi nullæ adſunt, vetuit quoque Parochis Synodus, ne ſponſalia, etiam de conſenſu partium dirimant, ſed cauſſam ad Epiſcopum referant. Sancitum inſuper, ut nullus ad primam Communionem admitta- *Concil. Germ. t. 10. pag. 188.*

Sæc. XVII. A. C. 1693.

mittatur, nisi ter quaterve prius confessus fuerit, & ita se ad Confessionem generalem disposuerit: Injunxit quoque Synodus Parochis, ut si Capellanos habent, diebus festis ante & sub eorum Missa, & vicissim sedeant pro confessionibus excipiendis, sicut & in festorum vigiliis, ut populus ad frequentanda Sacramenta alliciatur. Denique voluit, ut Custodes in Ecclesia servientes semper toga talari, & superpelliceo induti sint. Præterea Cæsenatensis Episcopus hoc anno Synodum habuit, in qua laxiores opiniones eliminaturus damnavit sententiam eorum, qui asserere ausi sunt, nemini, quamvis prava consuetudine irretito, denegandam esse Sacramentalem absolutionem.

§. LVII.

Quorumdam Scriptorum religiosi Catholicorum opera & obitus.

Du Pin nouvell. Bibl. tom. 18. Cerf Bibl. des Auth. de la Congr. Mem. des Homm. Illustr. t. 2. pag. 384.

Ex Scriptoribus Catholicis, qui hoc anno universale æternitatis iter ingressi sunt, suis lucubrationibus celebre sibi apud posteros nomen compararunt sequentes. 1. Joannes de la Mainferme ex Ordine Fontis Ebraldi, qui in defensionem Roberti de Arbrisselles hujus Ordinis Fundatoris tres tomos scri-

Sæc. XVII. A. C. 1693.

scripsit contra calumniatorem hæreticum Rosælinum. II. Ludovicus Bulteau Benedictinus ex Congregatione sancti Mauri scripsit Historiam Monachorum Orientis, versionem Dialogorum S. Gregorii Magni unacum erudita Præfatione, in qua tam ipsum opus suo Authori, quam miracula veritati vendicat: edidit insuper Historiam Monachorum Occidentis, seu Synopsin Historiæ Ordinis S. Benedicti, Curam Clericalem, Vindicias opinionis Lactantii de usura, falsum depositum, seu refutationem errorum popularium circa usuram; Gallice etiam reddidit Ludovici de Vives introductionem ad sapientiam. III. Christophorus Tachon ex eadem Congregatione posteris reliquit librum de Sanctitate & officiis Concionatoris Evangelici, artem bene Concionandi, & succinctam methodum Catechisandi. IV. Jacobus du Frische ejusdem Congregationis Monachus concinnavit novam editionem S. Ambrosii unacum notis, aliam editionem S. Gregorii Nazianzeni, quam morte præventus Francisco Louvarto complendam reliquit. V. Paulus Peliffon, qui ex Scripturæ S. & Patrum lectione Calvini errores, quos materno lacte suxerat, detegens, atque ad Ecclesiæ Sinum reversus, acri-

Journal des Scavans ad Anno 1665. pag. 75.

Sæc. XVII. A.C. 1693

ter Sectarios impugnaverat: Scripsit reflexiones in dissidia Religionis, atque earum vindicias contra Leibnitzium, Chimæras Juriei seu responsionem generalem ad ejus Epistolas Pastorales, tractatum de Eucharistia contra Aubertinum, Paraphrasin in Institutiones Justiniani præter poemata Christiana, & breves preces sub Missa. VI. Joannes Dominicus Nicoluccius Ord. FF. Præd. vulgavit tractatum Theologicum de Justificatione impii, Scrutinium Sacerdotale, tractatum de paupertate Religiosorum & novum thesaurum Sacerdotum. VII. Carolus Patin publici juris fecit Familias Romanas ex antiquis Numismatibus, introductionem ad Historiam ex scientia numismatum, in quo tamen opere Sabotum defloraſſe carpitur ab Authore Diarii Eruditorum, scripsit etiam Icones & vitas Professorum Patavii, commentaria in monumentum Marcellinæ, & Cenotaphium Astorii præter plura alia opuscula Medica, aliaque Numismaticam scientiam illustrantia.

§. LVIII.

Scriptores Acatholici hoc anno mortui, eorumque opera.

Pari-

Pariter mortis neceſſitati ceſſerunt hoc anno Scriptorum Acatholicorum nonnulli, quorum opera recenſere lubet, & quidem I. Gebhardus Meierus ſcripſit introductionem ad univerſum Theologiæ moralis ſtudium, Chiliasmum profligatum, Hiſtoricam relationem de Canonum Collectionibus, Hiſtoriam religionum ab Orbe condito, atque animadverſionem Peterſenii. II. Iſaac Avuhafin Judaismo natus, poſtea Baptizatus, ac demum ad vomitum reverſus edidit R. Abraham Cohen Iritæ Beth Elohim, Domum Dei, & Schaar Haſchamajim, præter portam cæli. III. Joannes Daniel Major ſcripſit de Chriſto Medico, & de jejunio Chriſti. IV. Nathanael Falckius poſteris reliquit tractatum de dæmonologia recentiorum falſa, ſeptennarium Sacrum Concionum, præter diſputationes. V. Joannes Schubart vulgavit exercitium Theologicum de Providentia Dei, & aſſertiones Theologicas de prædeſtinatione.

Sæc. XVII. A. C. 1693.

Witte biogr. Diar.

§. LIX.

Decretum Innocentii XII. Papæ in cauſſa Mechlinienſis Archiepiſcopi.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

Acta Concil. Hard. t. II. pag. 157. Recueil Hist. des Bull. &c. pag. 315.

Postquam Mechlinienſis Archiepiſcopi formula, necnon Patris Deſirantii & Doctoris Hennebeli ſcripta ultro citroque non ſine diuturno, maturoque examine diſcuſſa fuere, omnes S. Congregationis Patres (exceptis tribus Cardinalibus) cenſuerunt, nova Conſtitutione Apoſtolica cuncta hucusque contra Janſenium decreta eſſe confirmanda, ſimulque puræ ac ſimplicis formulæ uſum denuo præſcribendum eſſe: Igitur ex horum ſententia Innocentius Papa die vigeſima octava Januarii ſequens promulgari juſſit Decretum:

„Sanctiſſimus D. N. P. Innocentius „XII. auditis votis D. D. Cardinalium „ad præcavendas omnes diſſidiorum „cauſſas, quæ Chriſtianam pacem di„lacerant tam verbis, quam ſcriptis ſu„per interpretatione ſeu declaratione „Formularii Alexandri VII. in condem„natione quinque Propoſitionum ex Li„bro *Cornelii Janſenii*, cui titulus eſt: „*Auguſtinus* excerptarum, & damnata„rum quoscunque alios ſenſus Formu„larii prædicti, præter eum, *quem in „ſenſu obvio ipſius verba exhibent*, affern„uſurpari, aut de his diſputari inter„dixit, & prohibuit, ac ſuper ejusdem „Formularii interpretatione, ſicut & „prædictarum Propoſitionum in alios „ſenſus, præter eum, quem ipſa verba

„per

„per se exhibent, omnibus & singulis „cujusvis Religionis, Ordinis, Congre- „gationis, Instituti, & Societatis etiam „de necessitate exprimendæ, Regulari- „bus, & aliis quibuscunque tam Ec- „clesiasticis, quam sæcularibus perso- „nis cujuscunque status, conditionis, „gradus, Ordinis, & dignitatis tam „Ecclesiasticæ, quam sæcularis perpe- „tuum silentium imposuit. Omnes vero „Libros, Tractatus, Theses, compo- „sitiones, scripta ex professo, vel inci- „denter, sub quovis prætextu, & oc- „casione in lucem editos, vel edita su- „per hujusmodi materia prohibuit, & „pro prohibitis haberi voluit, & man- „davit: Iisdemque personis supra enu- „meratis districte injungit, ne imposte- „rum audeant imprimere, vel imprimi „facere: seu quoquo modo in lucem „edere Libros, Tractatus, Theses, „compositiones, & scripta de supradicta „materia tractantes, seu tractantia. Et, „ut hujusmodi Decretum inviolabiliter „super omnibus in eo contentis obser- „vetur, præcepit, & declaravit, Con- „travenientes, pœnas privationis di- „gnitatum, & Officiorum suorum, vo- „cis activæ, & passivæ, Facultatis con- „cionandi, publice legendi, docendi & „interpretandi ipso facto, absque alia „declaratione incurrere, & aliis etiam

Sæc. XVII. A. C. 1694.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„pœnis Sanctitatis ſuæ & Succeſſorum „ſuorum Romanorum Pontificum ar„bitrio ſubjacere, librosque omnes, „Tractatus, Theſes, Compoſitiones & „ſcripta, quos, ſeu quæ contra dicti „decreti tenorem edi contingeret, abs„que alia declaratione tanquam ex„preſſe prohibitos, vel prohibita haberi, „& impreſſores præter amiſſionem Li„brorum, pecuniis, aliisque Corpora„libus pœnis teneri, præcepit & man„davit.„

§. LX.

Epiſtola ejusdem Pontificis ad Belgii Epiſcopos circa idem decretum.

Argentre Coll. Jud. p. 3. fol. 390.

Ut vero hoc decretum executioni daretur, motæque controverſiæ circa juramenti formulam ſopirentur, Innocentius XII. Papa illud ad Belgii Epiſcopos transmiſit, quoniam vero nimis ſolemne erat illo ævo, ut omnes, qui Moliniſtarum opinionibus adverſabantur, tanquam Janſenii fautores traducerentur, atque invidioſo Janſeniſtarum nomine nuncuparentur, plerumque eo fine, ut tales ab officiis, Academiis, dignitatibus, Beneficiis, aliisque functionibus arcerent, & ſeſe loco ipſorum ejusmodi accuſatores intruderent, hinc Pontifex hanc calumniandi licentiam inhi-

inhibuit, die ſexta Februarii datis ſequentibus ad Belgii Epiſcopos literis: Sæc. XVII. A. C. 1694.

Venerabiles Fratres.

„Nuper ex literis Ftaternitatum Ve„ſtrarum primum accepimus, orta eſſe „inter Theologos Belgii diſſidia, dum „alii alios incuſant tanquam novarum „opinionum ſectatores, qui cum verbo, „tum ſcriptis, Conſtitutiones felicis re„cordationis Innocentii X. & Alexan„dri VII. prædeceſſorum noſtrorum, in „quibus V. Propoſitiones ex Libro *Cor„nelii Janſ.* cui titulus eſt: *Auguſtinus* „excerptæ, & damnatæ, una cum For„mulario juramenti in earumdem con„demnationem præſtandi continentur, „variis interpretationibus inutiles, & „inefficaces quodammodo reddere, non „ſine gravi animarum detrimento co„nantur. Cumque maximæ nobis curæ „eſſe debeat pro debito paſtoralis regi„minis nobis ex alto commiſſi, ut ſem„per firmæ prædeceſſorum noſtrorum „Conſtitutiones permaneant, in rebus, „quæ ad Orthodoxæ fidei integritatem „conducunt: ad diſſidia omnia, quæ „Eccleſiæ & Fidelium pacem pertur„bant, compeſcenda, inprimis præ„dictis Conſtitutionibus Innocentii X. „& Alexandri VII. exemplo prædeceſ„ſorum noſtrorum firmiter inhærentes,

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„easque in suo robore fuisse, & esse de-
„clarantes Fraternitatibus Vestris, de
„quarum zelo, & pietate plurimum in
„Domino confidimus, mandamus, ut
„contra omnes & quoscumque cujus-
„libet status, gradus, & Conditionis
„existant, qui ausu temerario prædictas
„quinque Propositiones sic damnatas
„in Constitutionibus Innocentii X. &
„Alexandri VII. publice, vel privatim,
„tam in scholis, quam in Concionibus,
„verbo, vel scriptis defendere præsum-
„pserint (servato tamen juris ordine)
„procedatis, eosque debitis pœnis in
„eisdem Constitutionibus contentis,
„puniri curetis: Cum ad comprimen-
„dum tam grave malum, quod jam
„diu Catholicam Ecclesiam vexat, effi-
„cacius remedium adhiberi non posse
„videatur.„

„Præterea Fraternitatibus Vestris
„injungendum duximus, prout per
„præsentes injungimus, ut pro vestra
„pietate & prudentia, facultate ista,
„qua per Constitutionem Apostolicam
„muniti estis, ita Formularii subscri-
„ptionem, seu juramentum, ad pra-
„xim reducatis; ut in exigendo jura-
„mento prædicto, Zelus & Charitas
„Vestra quam maxime eluceat, ne ali-
„cujus fama indebite lædatur, aut de-
„tractionibus, & murmurationibus lo-
„cus

„cus detur. Quare præcipimus, ut „quemadmodum ii, qui ad juramen- „tum adigendi sunt, illud præstare de- „beant, sincere, absque ulla distin- „ctione, restrictione, seu expositione „damnando eas Propositiones ex Libro „*Jansenii* excerptas *in sensu obvio, quem „ipsamet Propositionum verba præseferunt,* „prout sensum illum damnarunt SS. „Pontifices Prædecessores nostri, dam- „natumque haberi voluerunt a Christi „Fidelibus; ita per Fraternitates Ve- „stras ab iis, qui prædicto formulario „subscribent, ac juramentum præsta- „bunt, præter formulam ipsam tradi- „tam, verbaque in Constitutione Apo- „stolica præscripta, aliquid aliud vel „minimum declarationis, interpreta- „tionis, aut exsplicationis verbo vel „scripto, non exigatur, etiam sub præ- „textu, quod additiones ad nos trans- „missæ comprehendantur, seu conti- „neantur in Formulario Alexandri VII.„

Sæc. XVII. A.C. 1694.

„Cæterum ad præcavendas omnes „dissidiorum causas, quæ Christianam „pacem dilacerant; nos quoscunque „alios sensus Formularii, præter eum, „quem ipsius verba exhibent, afferri, „vel usurpari, aut de his disputari in- „terdiximus, & prohibuimus, ac super „ejusdem Formularii interpretatione, „sicut & prædictarum Propositionum,

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„in alios ſenſus præter eum, quem „ipſa verba per ſe exhibent, perpetuum „ſilentium impoſuimus, ut ex noſtris „decretis tam ſuper ipſo ſilentio, quam „ſuper prohibitione omnium librorum „editorum, & edendorum in hac ma„teria, plenius innoteſcat: cum ad „ſummum Pontificem duntaxat perti„neat ſenſum, quem in his Propoſitio„nibus damnaverit, & ut damnatum „a fidelibus credi cenſuerit, decla„rare.„

„Demum ad extinquenda Theolo„gorum jam pridem inter ſe diſſidia „Fraternitatibus Veſtris, quantum in „Domino poſſumus, præſentibus no„ſtris mandatis injungimus, ne ulla „ratione quemquam vaga iſta accuſa„tione, & invidioſo nomine *Janſenismi* „traduci, aut nuncupari ſinatis, niſi „prius ſuſpectum eſſe conſtiterit, ali„quam ex his Propoſitionibus docuiſſe, „aut tenuiſſe; nec quemquam ſub hoc „prætextu repelli ab Officiis, muniis, „beneficiis, gradibus & Concionibus „habendis, vel alia quacunque functio„ne Eccleſiaſtica permittatis: niſi ſer„vato juris Ordine, eam pœnam, quæ „viris alioquin Catholicis graviſſima eſt, „commeruiſſe probatum fuerit. „

„Hæc ad Fraternitates Veſtras re„ſcribenda decrevimus, non de Veſtra „vo-

„voluntate, & ſtudio erga Eccleſias „fidei veſtræ creditas diffidentes, ſed „animi noſtri affectum, & omnium Ec„cleſiarum ſollicitudinem teſtificantes: „ut tandem, qui Paſtor Paſtorum eſt, „vigilaſſe nos in gregis noſtri cuſto„diam Divino ſuo judicio comprobare „dignetur.„ Sæc. XVII. A. C. 1694.

Eadem die Pontifex literas dedit ad Facultatem Lovanienſem, quibus ſignificabat, haud opus eſſe nova deciſione doctrinæ de auxiliis gratiæ; ſufficere enim, ut credantur ea, quæ per ſacræ Sedis Conſtitutiones definita eſſent, poſtea hortabatur Facultatis Doctores, ut SS. Auguſtini & Thomæ doctrinam, cui ſe ſemper adhæſiſſe dicunt, ulterius teneant, & formulæ ſubſcribant.

§. LXI.

Declaratio Joannis Hennebel circa Pontificis decretum.

Hæc Pontificis declaratio, ejusque literæ ſummopere diſplicuerunt tam Hennebelo, quam ceteris Janſenii fautoribus tum Romæ exiſtentibus; nullus enim dubitandi locus ſupererat, tam Pontificis decreto quam ejusdem literis formulam Alexandri VII. in pleno ſuo vigore fuiſſe conſervatam, omnesque

Sæc. XVII. A.C. 1694.

nesque, qui eidem subscribunt, quinque propositiones velut ex Jansenii libro extractas in sensu connaturali & *obvio*, quem verba præseferunt, *sine omni distinctione, restrictione, aut explicatione* damnare teneantur: Eapropter Jansenistarum Deputati ad præcipuos suos fautores in Flandriam varias dederunt literas, quibus suum de adverso successu dolorem testabantur, in Romanam Curiam atque Inquisitionem acrius invehentes, eoquod Mechlinien-sis Archiepiscopi formula in Belgium invecta, fuisset approbata, dum eidem sine exceptione, atque explicatione *in sensu obvio* etiam in Belgio subscribi præcipitur: Verum in præcipuis hujus factionis membris nec animositas, nec omnes fingendi, simulandi, mentiendique fontes adhuc erant exhausti: Præprimis Quesnellus Pontificis decretum nullatenus quæstionem facti tangere interpretabatur, nam, inquiebat Belgiæ *Theologi bona fide ac mentis rectitudine agentes facile intellexerunt, quod sacra Sedes Bullas & formulam explicando, sufficienter declararit, se fidem circa Jansenii factum non exigere, sed juramentum & subscriptionem duntaxat super jus cadere:* Alii spargebant, rejectam esse Archiepi-

(*) Epist. die 6. Februarii Anno 1694.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

epiſcopi additionem; potiſſimi ex conclicto victoriam & triumphum, ut ignaros fallerent, canebant, jactitantes, Papam his verbis *in ſenſu obvio* non plus exigere, niſi ut ſubſcriptio & damnatio fieret propoſitionum in ſenſu obvio, ſine reſpectu ad ſenſum vel librum, ex quo eas fuiſſe extractas diceretur, ac inſuper Papam haud obſcure indicaſſe, quod Janſenio alius ſenſus a ſua mente alienus fuerit attributus: ſenſus autem obvius ſeu connaturalis non eſſet ſenſus Janſenii, ſed longe diverſus, qui aliis præferetur: audacter etiam ſuis adverſariis inſultabant, dicentes, quod Innocentius XII. ſuorum Prædeceſſorum Conſtitutiones revocaverit, & ſi quid in ejus decreto contra Janſenium dictum fuerit, id duntaxat *hiſtorice* ac *narrative* factum ſit. Quamvis Hennebelus eorum Deputatus ſuæ cauſſæ mortiferum vulnus fuiſſe inflictum ſat probe cognoſceret, cum lupis tamen ullulandum ratus, ad eorum mentem mox promulgato Innocentii XII. decreto Sacræ Congregationi ſancti Officii ſequentem obtulit libellum:

„Viſo decreto, quod die 28. Ja„nuarii 1694. conditum die 4. Februarii „ſequentis emanavit, magnas agit gra„tias Eminentiis Veſtris pro tantis la„boribus in Formularii negotio ſuſceptis,

„pror-

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„prorsusque confidit, summa Eminen„tiarum Vestrarum Sapientia ac Pru„dentia viam modo stratam esse termi„nandis dissidiis, quæ Christianam in „Belgio pacem tanto jam tempore la„cerarunt.„

„Exprimere nequit Orator, Emi„nentissimi Patres, quo animi sui sensu „ac gaudio acceperit, quod in præfato „Decreto statuerint Eminentiæ Vestræ, „ne quis quamvis alium quinque propositionum sensum afferat, præter eum, „quem ipsa quinque propositionum ver„ba per se exhibent, quia hoc principio „authoritate Sedis Apostolicæ jam sta„bilito, in fumum abeunt difficultates „omnes, quibus hactenus Belgium mi„sere agitatum fuit.„

„Non enim veretur Orator coram „Eminentiis Vestris, & Orbe universo „confidentissime affirmare, e Belgii „Theologis, qui de Jansenismo ab ad„versariis notantur, nullum prorsus esse, „qui quinque propositiones in eo sensu, „quem ipsa quinque propositionum ver„ba per se exhibent, damnare de„trectet.„

„Cum vero insuper tum ex Consti„tutionibus Apostolicis, tum ex ipso „Eminentiarum Vestrarum Decreto ma„nifestum sit, sedem Apostolicam sic Jan„senii verba accepisse, sic ejus librum,

„cui

„cui nomen *Auguſtinus*, intellexiſſe, Sæc. XVII.
„ut cenſuerit in eo contineri ſenſum, A.C. 1694.
„quem quinque propoſitionum verba
„per ſe exhibent, quisquis damnat
„quinque propoſitiones in ſenſu, quem
„eorum verba per ſe exhibent, neceſſe
„eſt, ut eas damnet in ſenſu ab auctore
„intento, prout illum Sedes Apoſtolica
„intellexit, prout in quinque propoſi-
„tionibus ſenſum, quem libro illi attri-
„buebat, expreſſit, atque damnavit.„

„Juxta hanc expoſitionem, quæ
„ſane peregrina non eſt, plurimisque
„exemplis confirmari poteſt, non hoc
„a fidelibus exigitur, ut generaliter
„damnent quemcunque ſenſum a Jan-
„ſenio intentum, etiam illum, quem
„neque in quinque propoſitionibus
„juxta ſenſum obvium intellectis Sedes
„Apoſtolica exprimit, nec fidelibus in
„libro prohibito ſcrutari licet, ſed hoc
„unum ab eis exigitur, ut eum dam-
„nent cum Clauſula, quam Formula
„ipſa ſatis exprimit, prout nempe Se-
„des Apoſtolica illum intelligit, atque
„damnat. Certiſſimum vero eſt, ſedem
„Apoſtolicam ſic intelligere, & dam-
„nare ſenſum illum, prout ipſa quinque
„propoſitionum verba per ſe illum ex-
„hibent.„

„Poſtquam Sedes Apoſtolica ſuum
„de privati Auctoris ſenſu judicium
„pro-

Sæc. XVII. A. C. 1694. „protulit, optime noſtis, Eminentiſſi„mi Patres, ex communibus, paſſim„que receptis Theologiæ principiis pe„tendum eſſe, quid illi deferendum ſit.„

„Quod ad Oratorem attinet, ſuum „ſuper eo ſenſum coram Eminentiis „Veſtris non ſemel expreſſit, nuper „iterum in ſuis ad Epiſtolam Patris „Deſirandt Annotationibus aperte pro„feſſus, eam Sedis Apoſtolicæ judicio „de ſenſu a privato quopiam auctore „intento obſervantiam, reverentiam„que deberi, quam in ſua ad Clementem „nonum Relatione declaravit Catalau„nenſis Epiſcopus, ſpopondiſſe qua„tuor illos alios celeberrimos Galliæ „Epiſcopos, quorum cauſſa ſub eodem „Pontifice ad Apoſtolicam ſedem de„lata fuit, quamque & non aliam de„beri, tam ipſe Catalaunenſis cum il„lis quatuor Epiſcopis, quam alii no„vemdecim, quorum in eadem Rela„tione fit mentio, unanimiter ſen„tiebant. „

„Sane ſi alias ſuſtinuit Orator con„fidenter, ſenſum illum Sedis Apoſto„licæ menti per omnia eſſe conformem, „hoc ipſum modo (ſub humillima cor„rectione) ſuſtinet multo confidentius, „relecto libro manuſcripto Cardinalis „Roſpiglioſi Eminentiis Veſtris notiſ„ſimo. „

„Si-

„Siquidem ex illo conſtat, actam Sæc. XVII.
„ſupra memoratam præſatis Oratoris A. C. 1694.
„Annotationibus de verbo ad verbum
„inſertam, a Catalaunenſi Epiſcopo &
„Doctore Arnaldo ſubſcriptam, non ſo-
„lum Clementi Papæ IX. miſſam fuiſſe,
„nec ſolum ab eo qualitercumque, &
„ſuo tantum ſilentio diſſimulatam, aut
„probatam, ſed inſuper ex illius libri
„Numero 163. conſtat, Clementem IX.
„viſa acta illa (cujus in ipſis literis de
„Pontificis mandato ſcriptis ſit expreſſa
„mentio) declaraſſe, & e Secretaria
„Status die 19. Junuarii 1669. Apoſto-
„lico Nuntio ſcribi juſſiſſe, quod qua-
„tuor Epiſcopi ſincere ſubſcripſiſſent,
„& Apoſtolicæ Sedi integre obediviſ-
„ſent, ac ſatisfeciſſent.„

„Ita manifeſtum eſt, cenſuiſſe Cle-
„mentem IX. quod ſenſus, quem For-
„mulario tribuebant quatuor illi Epi-
„ſcopi, Orthodoxus, legitimus, ſatis-
„que obvius foret, & talem revera eſſe,
„productis pluribus propoſitionibus vul-
„gatiſſimis, in quibus eædem voces eo-
„dem prorſus modo accipiuntur, ad
„primum Eminentiarum Veſtrarum nu-
„tum probare paratus eſt Orator, at-
„que ita certiores eas reddere, & a-
„perte declarare, non tantum qua ve-
„neratione earum Decretum, ample-
„ctatur, & exoſculetur, verum etiam

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„quo Zelo tueri illud, ac propugnare „velit.„

„Declarat insuper sensum Formu„larii supra expositum esse eum, juxta „quem Belgii Theologi jam pridem de „Jansenismo perperam accusati non „tantum Constitutionibus Innocentii X. „& Alexandri VII. sed etiam nuper „Eminentiarum Vestrarum Decreto ob„sequi volentes, Formulario subscribere „parati sunt.„

„Denique declarat, præfatos Theo„logos ex motivis supra relatis, & aliis, „cum opus fuerit afferendis, semper, „ac constanter credituros, eum esse „Formularii sensum verum, legitimum „& obvium, nec tantum celeberrimo„rum quorumcumque Theologorum „Doctrinæ, sed ipsius quoque Sedis „Apostolicæ menti per omnia confor„mem, nisi ab ipso Apostolicæ Sedis „oraculo didicerint, se in hac exposi„tione sua a veritate aberrare, aut „quidpiam in ea contineri, vel a mente „Sedis Apostolicæ, vel a reverentia ei „debita alienum.„

Verum falsam hanc *obvii sensus* interpretationem Innocentius XII. postea evertit, declarando, quod sensus obvius intelligendus sit in ordine ad formulam Alexandri VII. cui subscribentes expresse profitentur, se quinque pro-

propositiones damnare in sensu Jansenii, atque ab eo intento. Sæc. XVII. A. C. 1694.

Cum autem idem Hennebelus in sua epistola die vigesima septima Februarii ad Mechlinienſem Archiepiscopum falsa interpretatione S. Congregationis decretum die vigesima octava Januarii editum depravasset, hinc coram S. Congregatione die decima quarta Septembris sequentem declarationem facere jussus est: „Ego „Joannes Libertus Hennebel ex parte „Sacræ Congregationis S. Officii pa„terne admonitus, Epistolam quam 27. „Mensis Februarii proxime elapsi ad „Reverendiss. D. Archiepiscopum Mech„linienſem scripsi, eidem Sacræ Con„gregationi multum displicuisse, ut„pote quam Eminentissimi Patres De„creto Apostolico die sexta ejusdem „Mensis emanato contrariam esse judi„caverunt: declaro per præsentes, quod „huic Sacræ Congregationis de epistola „mea Judicio per omnia me submitto, „improbans, quidquid Eminentissimi „Patres in præfata epistola mea im„probandum censuerunt. Epistolam „vero ipsam scripsisse multum doleo; „neque me imposterum simile quid fa„cturum, sed Decretum Apostolicum, „præscriptumque in eo silentium invio„labiliter observaturum promitto, hoc

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„unum impræsentiarum Eminentiſſi-
„mos Dominos rogans humillime, ut
„mihi culpam ingenue agnoſcenti, ac
„emendare ſpondenti, pro ſua benigni-
„tate, ac paterna pietate ignoſcere,
„& veniam dare dignentur.„

§. LXII.

Innocentii XII. Pontificis literæ ad Archiepiſcopum, aliosque Belgii Epiſcopos.

Haſce Novatorum artes, dolosque, quibus Pontificis decreta, ac formulæ ſubſcriptionem eluſerant, ſenſumque novæ Conſtitutionis perverterant, ægerrime ferebant Belgii Epiſcopi; unde inter eos Antverpienſis, Brugenſis, Ruremundanus & Gandavenſis Epiſcopi hanc Mechlinienſis Archiepiſcopi formulam ſubſcribi, ab omnibus Eccleſiaſticis petebant: *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die* 31. *Maij* 1653. *& Conſtitutioni Alexandri VII. Datæ* 16. *Octobris* 1656. *ſummorum Pontificum, me ſubjicio, & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem Autore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones ſedem Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio, ac damno, & ita juro,*

juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia. Sæc. XVII. A. C. 1694.

Verum hanc formulam juramento firmare renuerunt non pauci, atque inter eos Franciſcus Boterdael palam declarabat, *ſe non eſſe paratum illimitate, ſed ſecundum Breve Innocentii XII. ſubſcribere:* alius etiam Oratorii Bruxellenſis Sacerdos juxta Alexandri VII. formulam ſubſcribere recuſabat, pro quo tamen Quesnellus totius Oratorii nomine ad ſummum Pontificem literas perſcripſit, quibus ſubditos hos induxerat, ut contra Archiepiſcopum ſuum querelas deferrent: paſſim etiam Janſenii fautores ſpargere haud ceſſabant, quod Innocentius XII. ſuorum Prædeceſſorum Conſtitutiones retractaverit, ac duntaxat propoſitiones in *ſenſu obvio* damnarit, non autem librum Janſenii aut ſenſum ab eo intentum damnari petierit. Tam ſiniſtra interpretatione ac petulanti agendi ratione offenſi Præſules ſupra nominati unacum Mechlinienſi Archiepiſcopo, die nona Julii ad Papam dederunt literas, quibus vehementius, quam par erat, querebantur, quod quidam Belgæ Theologi diſſidia circa Janſenii librum innovantes, Pontificum Conſtitutiones & formulam detortis explicationibus eluderent: clarius igitur Papa ſuam explicaret

Sæc. XVII. A.C. 1694

mentem: Acceptis hiſce literis Pontifex die vigeſima quarta Novembris anni ſequentis ad Mechlinienſem Archiepiſcopum, necnon ad Antverpienſem, Ruremundanum, Brugenſem & Gandavenſem Epiſcopos hæc perſcripſit: „Literas, quas decima nona Julii „ad nos dediſtis, libenti animo acce„pimus, cum in illis Veſtras ad hanc „Sedem preces intellexerimus, quibus „noſtrum judicium pro ſana doctrina ve„ſtris in diæceſibus regulanda poſtula„tis. Ex iisdem autem literis aperte „apprehendimus, mala, quæ quoad „Janſenismum exponitis, non proce„dere ex eo, quod Brevi a nobis 6. Fe„bruarii anni milleſimi ſexcenteſimi „nonageſimi quarti ad vos dato ſatis „ipſis non ſit conſultum, ſed potius, „quia idem Breve executioni fortaſſe, „uti par eſſet, non mandatur, cum il„lud nulla prorſus indigeat explicatione, „aptumque ſit, ut in ipſo præſcripta „adimpleantur, efficax, atque oppor„tunum afferre remedium. Quodſi „*prætenſi Janſeniſtæ* interne, & absque „eo, quod deveniant ad ullum actum „externum, dum jurant formularium, „non aliter damnent quinque Propoſi„tiones, quam in ſenſu obvio, non ha„bito reſpectu ad obvium ſenſu dicti For„mularii, ſuoque arbitrio effingant „ejus-

„ejusmodi ſenſum obvium, Eccleſia Sæc. XVII.
„non judicat de occultis, quæ ſoli Deo A.C. 1694.
„Cordium ſcrutatori innoteſcunt. Sin
„vero iidem prætenſi *Janſeniſtæ* voce,
„aut ſcriptis edant proprios ſenſus Apo-
„ſtolicarum Conſtitutionum, prædicti-
„que Brevis ſenſui diſſentaneos, de-
„bent Epiſcopi, prout de jure, contra
„eos procedere, non tantum authori-
„tate ordinaria, ſed etiam ſpeciali fa-
„cultate ipſis indulta a Conſtitutioni-
„bus prædeceſſorum noſtrorum felicis
„recordationis Innocentii X. & Ale-
„xandri VII. quas nos quoque confir-
„mavimus, ita ut ſervatis ſervandis
„congrue puniantur, cum ea omnia
„facile probari poſſint, quia agitur de
„actibus externis.„

„Non ſine admiratione intelleximus,
„nonnullos iſtis in diæceſibus reperiri,
„qui verbis & calamo auſi fuerint affir-
„mare ſupradicto noſtro Brevi altera-
„tam, ſeu reformatam eſſe Conſtitutio-
„nem Alexandri ſeptimi decima ſexta
„Octobris anni milleſimi ſexcenteſimi
„quinquageſimi ſexti editam, necnon
„formularium ab ipſomet pronuntia-
„tum, cum dicto Brevi utrumque ſpe-
„cifice confirmetur, & omnino inten-
„derimus, & intendamus iisdem ad-
„hærere, & nequaquam ſinere, ut ali-
„quid addatur, vel dematur a prædicto

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„Formulario, illud quovis modo alte„rando in aliqua ejus minima parte, „ſed quod in omnibus, & ſingulis ejus„dem partibus, uti mandavimus, man„damus etiam ad amuſſim obſervari. „Quod attinet ad Libros Sacræ Scri„pturæ idiomate vulgari traductos, & „alios prohibitos, patent Conſtitutio„nes Prædeceſſorum noſtrorum, & po„tiſſimum felicis recordationis Pii IV. „a quibus fatis ſuperque abuſibus pro„videtur, uti etiam confugia ad alia „Tribunalia a conſimilibus Conſtitutio„nibus inhibentur, quarum Epiſcopi „ſuis in Diæceſibus obſervantiſſimi exe„cutores eſſe debent.„

„Quod pertinet ad pendentes Con„troverſias circa adminiſtrationem Sa„cramentorum; donec aliquid ſpecia„lius decernatur, ab iisdem Epiſcopis „advigilandum eſt, ut juxta Sanctio„nes Canonicas, Statuta Conciliorum, „& praxim Eccleſiæ adminiſtrentur, „habita caſuum, atque eorum circum„ſtantiarum ratione. Etenim in præ„ſens magna ſollicitudine diſcuſſioni „Propoſitionum, quæ inter alias abunde „delatas ad hoc argumentum ſpectant, „adlaboratur a Conſultoribus, & Qua„lificatoribus ſupremæ hujuſce Inqui„ſitionis, qui omnes ſunt Prælati, ac „Doctrina præſtantes. De veſtra au„tem

„tem iu hanc ſedem obſervantia adeo Sæc. XVII.
„præclare ſentimus, ut plane confida- A. C. 1694.
„mus, non omiſſuros vos ejusdem man-
„data debita charitate & prudentia
„exequi; firmam in ſpem venientes,
„reſtituendam tandem iſti Provinciæ
„tranquillitatem, qua cæteræ omnes
„fruuntur, Fraternitatibus interim ve-
„ſtris Apoſtolicam Benedictionem per-
„amanter impertimur.„

Mirum, quam audacter Janſenii fautores tripudiabant ob hæc Pontificis verba: *prætenſi Janſeniſtæ*, perinde acſi ipſemet Pontifex cenſuiſſet, Janſenismum eſſe merum phantasma, atque exiſtimatam hæreſin: Aſt triumphum ante victoriam ceciniſſe, facile deprehendere potuiſſent, ſi bona fide animadvertere voluiſſent, quod idem Pontifex in eadem Bulla damnarit omnes formulæ ſubſcriptiones, ſi puræ, ſimplices, & ſine omni reſtrictione juxta ſenſum Alexandri VII. propoſitiones in Janſenio contineri, & in Janſenii ſenſu damnatas fuiſſe, declarantis, factæ non fuerint. Id enim erat principale, cui ſemper Belgæ Epiſcopi inſtiterunt, & cui ſeſe omnes Janſenii aſſeclæ pertinaciter oppoſuerunt, & in ſuæ contumaciæ defenſionem tot ſeditioſa & ſchismatica ſcripta in vulgus ſparſere.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

§. LXIII.

Hennebeli querelæ apud S. Congregationem contra Doctorem Franciſcum Martin.

Poſtquam Belgii Epiſcopi decretum & literas Innocentii Pontificis in ſuis quisque Diæceſibus promulgaverant, communis omnium, qui ejusmodi decretis obtemperarunt, erat opinio, quod antiqua formula, quam Lovanienſis Univerſitas adoptaverat, nova Innocentii explicatione ac decreto fuerit abrogata, proin de Janſenii erroribus quilibet ſit ſuſpectus, qui formulæ, in qua ad quæſtionem facti ſpectantia exprimuntur, ſubſcribere renuerit. Hanc doctrinam Franciſcus Martin Lovanienſis Doctor publice in Scholis tradebat, quo comperto mox Hennebelus Sacram Congregationem queſtum acceſſit, porrecto hoc libello ſupplici: „Humillime exponit Joannes Libertus „Hennebel Academiæ Lovanienſis De„putatus, nihil prorſus ex ſua parte „obſtare, quominus pax inter Belgii „Theologos ſuper Formularii negotio „firmiſſime ſanciatur, totumque iſtud „diſſidium juxta leges a Sanctitate ſua „Eminentiis Veſtris ſapientiſſime pru„dentiſſimeque præſcriptas feliciter ter„minetur.„ „Si-

„Siquidem Orator hanc ſupplici Li- Sæc. XVII.
„bello fidem facit, Doctorem Huygens, A.C. 1694.
„aliosque Theologos, ſeu Viros Eccle-
„ſiaſticos, quorum partes in Formu-
„larii negotio ſpecialiter agit, viſis
„ac mature expenſis Decreto & brevi-
„bus Apoſtolicis ad Epiſcopos Belgii
„miſſis, prompto, ac libenti animo
„præſcriptum Sanctitatis ſuæ decretum
„admittere, & exoſculari, ejusque in-
„violabilem obſervantiam ſpondere; ac
„proinde paratos eſſe Formulario ſub-
„ſcribere, juxta ſenſum, modum &
„formam, quæ in præſcriptis decreto,
„& Brevibus exprimuntur, ubi de hoc
„legitime requiſiti fuerint.„

„Qua quidem filiali eorum obedien-
„tia, & ſubmiſſione, Eminentiſſimi Pa-
„tres, mota nuper de Formulario diſ-
„ſidia facile conquieſcerent, & pax tan-
„topere deſiderata coaleſceret, niſi ali-
„qui diſcordiæ potius, quam pacis a-
„mantes, pergant ſuſtinere, nullum
„alium dari ſenſum obvium Formularii,
„præter eum, quem Archiepiſcopus
„Mechlinenſis in Additionibus ſuis ex-
„poſuit, ac proinde Formulario non
„recte ſubſcribere, imo falſitatis, ac
„perjurii reos eſſe, quotquot juxta ſen-
„ſum coram Apoſtolica ſede toties ab
„Oratore ſine cujuspiam reprehenſione,
„expoſitum ſubſcripſerint: id quod nu-

„per

Sæc. XVII. A. C. 1694. „per poſt acceptum decretum, & publi„cata jam Brevia, non eſt veritus tra„dere Lovanii in publicis ſcholis Fran„ciſcus Martin ſacræ Theologiæ Doctor, „ prout patet ex teſtimonio hic adjuncto.

„Quo etiam, licet tectius, colli„mant nonnulli alii Doctores, qui eo „tantum conſilio ſubſcriptionem For„mularii in Academiam Lovanienſem „introduci flagitant, ut imperitis fu„cum faciant, ac proclamare valeant „antiquam Facultatis Theologicæ for„mulam, quæ ab Alexandro VII. ap„probata fuit, cuique hactenus omnes „ad gradus Academicos aſſumendi ſub„ſcripſerunt, Sedis Apoſtolicæ Autho„ritate ideo eſſe abrogatam, quod in „iis, quæ ad quæſtionem facti ſpectant, „obvium Formularii ſenſum minus ex„primat, hoc eſt, ut ipſi contendunt: „quod non exprimat illum ipſum ſen„ſum, quem Archiepiſcopus Mechli„nenſis in ſuis additionibus expreſſit.„

„Hæc autem Eminentiſſimi ac Re„verendiſſimi Domini, cum decreti ac „Brevium præfatorum Sententiæ, ipſi„que Sedis Apoſtolicæ menti contraria „eſſe dignoſcantur, atque eo unice „tendant, ut diſſenſiones & Turbæ Sa„pientia ac prudentia Eminentiarum „Veſtrarum ſedatæ, iterum exci„tentur.„

„Humil-

„Humillime ſupplicat Orator, ut „per Apoſtolicum in Flandria Mini„ſtrum, vel per Rectorem Academi„cum, comprobatis iis, quæ in ad„juncto hic inſtrumento continentur, „corripiatur ſuper his Doctor Martin, „& ipſi, cæterisque omnibus inhibea„tur, ne talia circa Formularii ſenſum, „contra expreſſam decreti prohibitio„nem, publice, vel privatim tradere „audeant.„ Sæc. XVII. A. C. 1694.

„Deinde vero, ut circa Formula„rium in Academiam Lovanienſem in„troducendum nihil a quoquam inno„vetur ſine expreſſo Sedis Apoſtolicæ „mandato. Sin vero poſtea eidem S. „Sedi viſum fuerit ſubſcriptionem For„mularii in præfatam Academiam in„troducendam eſſe, ſupplicat Orator „Eminentiis Veſtris, ut dignentur ve„tare, ne quis ex illa Formularii intro„ductione inferre, ac tradere audeat, „ab Apoſtolica ſede rejectam, vel dam„natam eſſe antiquam Facultatis Theo„logicæ Formulam, & approbatam ſal„tem indirecte interpretationem For„mularii, quam Archiepiſcopus Mech„linenſis in ſuis additionibus propoſuit.„

§. LXIV.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

§. LXIV.

Libri Molinoſii erroribus ſcatentes proſcripti.

Argentre l. c. p. 393. Vid. ſupra l. 210. §. 30. pag. 478. tom. 65.

Jam anno hujus ſæculi octogeſimo octavo Sacra Indicis Congregatio decreto die nona Septembris emanato proſcripſit Patris Franciſci la Combe Barnabitæ *Analyſin orationis mentalis*, necnon præfati Authoris, *judicium de variis ejusdem ſpeciebus:* cum autem inſuperhabito hoc decreto nihilominus hic liber Pariſiis paſſim omnium manibus terreretur, etiam Franciſcus Harlæus Pariſienſis Archiepiſcopus hoc opus die decima ſexta Octobris damnavit, æque ac aliud Gallico ſermone ſcriptum, cui titulus, *brevis & facillima methodus vacandi orationi*, eoquod doctrinam in Viennenſi & Tridentina Synodo jam damnatam, pernicioſam, præcipuis in fidei veritatibus adverſam contineret, in contemplatione libertatem extinqueret, inactivitatem, & indifferentiam circa media ad ſalutem, a præceptis & pietatis exercitiis diſpenſationem, atque imaginariam Dei jam poſſeſſi certitudinem inſtillent. Hic liber unacum alio, qui inſcribitur, *Cantica Canticorum Salomonis in ſenſu myſtico intellecta* fanaticæ mulieri Guyoniæ

niæ adscribitur, utrumque vero Godetus Carnutensis Episcopus reprobavit unacum aliis ejusdem fœminæ Codicibus manu exaratis, quæ aliis clanculum distribuebantur, uti jam supra meminimus. *Sæc. XVII. A.C. 1694.*

§. LXV.

Dubia a Theologis circa D. Maigroti Vicarii decretum proposita.

Cum Carolus Maigrotus Fokiensis in Regno Sinarum Vicarius Apostolicus suum edictum contra Sinenses ritus anno priori editum, uti retulimus, a quibusdam Missionariis minime observatum iri probe prospiceret, hinc, ut ex Apostolico mandato plena accederet auctoritas, præfatum edictum a summo Pontifice confirmandum Romam misit: Innocentius itaque totum hoc negotium ad Sacram Congregationem sancti Officii remisit, & præter Cardinales adhuc quatuor alios Theologos tum doctrinæ excellentia ceteris omnibus Romæ longe celebratissimos selegit, ut hi omnium verborum apices ad rigidissimam limam probarent, ac desuper referrent: ut vero tanti momenti negotium omni prorsus diligentia discuteretur, voluit Pontifex, ut præfati hi Doctores prius dubia seu quæstiones circa singulos Maigrotiani edicti

Acta causæ Rit. Sin. pag. 14. Charmot Hist. cult. Sin de rit. Sin.

Sæc. XVII. A. C. 1694. edicti articulos proponerent, atque dubitandi rationes afferrent, ut eo certius dignosci posset, an ritus a Maigroto interdicti reipsa superstitiosi & idololatrici, vel mere politici essent? Deputati autem quatuor Theologi erant sequentes: Joannes Maria Gabriellius Abbas Generalis Reformatorum sancti Bernardi, postea S. R. E. Cardinalis, Nicolaus Serranus Prior Generalis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Philippus a S. Nicolao Ex - Generalis Carmelitarum Discalceatorum, ac supremæ Inquisitionis Qualificator, & Carolus Franciscus Varesius olim Commissarius Generalis Ordinis FF. Minorum de Observantia Reformatorum. Ut vero quæstiones ad rem oppido conducentes proponerentur, & de facti circumstantiis probe constaret, Innocentius Papa etiam adesse voluit Patrem Joannem Franciscum de Leoniſſa ex Ordine FF. Minorum Episcopum Beritensem, & *Hù Quanng* Vicarium Apostolicum, Virum Sanctitate ac rei Sinicæ peritia longe præstantissimum; hic enim, postquam per plurimos annos in Imperio Sinico moratus fuisset, inde Romam opportune advenerat, linquæ ac rerum, quæ in hisce Regionibus peraguntur, oculatæ fidei testis, Sinarumque rituum peritia apprime instructus: Nec tamen

ex

ex adverso feriabantur illi, qui rituum quorumdam usum hucusque indultum ab idololatriæ noxa vindicaturi, libellum supplicem Pontifici & Sacræ Congregationi unacum observationibus in præfatum Maigroti edictum factis exhibuerunt. Nihilominus solerti admodum cura, cunctisque serio atque exacte perpensis, & audita facti & circumstantiarum plena relatione Cardinales atque Theologi Deputati supra septem edicti Maigrotiani articulos sequentia proposuere dubia seu Quæstiones, & quidem *super primo articulo* quæsitum: „An excludi „debeant nomina Europæa, ad significandum Deum optimum Maximum? „Nomen enim Deus, aliaque vocabula Europæa, quibus supremum Ens „significatur, Sinicis characteribus exprimi vix posse, nullamque rei significatæ ideam apud Sinas excitare videntur.„ Sæc. XVII. A. C 1694.

Secundo. „An ad significandum Deum „optimum Maximum, repellendæ sint „voces TIEN, Cælum, vel XANG TI, „Supremus Imperator?

„Ratio dubitandi erat, quia licet aliqui Missionarii Europæi existimaverint, & existiment, antiquos Sinas „præfatis nominibus TIEN, & XANG „TI, indigitasse Deum vivum, & verum; nihilominus Missionarii fere om-

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„nes asserunt, quod Sinenses literati „(quæ est præcipua in Sinæ Imperio „secta) quatenus ejusdem sectæ doctri„nam exponunt, & sequuntur, saltem „a quingentis annis, cum in Atheis„mum deciderint, vel omnes, vel ut „aliquibus videtur, fere omnes, no„minibus TIEN, & XANG TI, nil a„liud, nisi Cælum materiale, & visi„bile, vel ad summum quamdam Cæli „virtutem eidem Cælo insitam, quam „rerum omnium principium, seu po„tius Conprincipium esse putant, de„signant. Unde Cælo sic sumpto, „quemadmodum & Terræ, Planetis, „Montibus, & Fluviis respective sacri„ficant: Et in Regiis urbibus Pecking, „& Nanching templa visuntur, in qui„bus statis anni temporibus, præser„tim in templo Pechinensi, ipsemet Im„perator Cælo solemne Sacrificium „offert.„

Tertio. „An Deus optimus Maximus „sit appellandus nomine TIEN CHU', „Cæli Dominus?„

„Ratio erat, quia ab omnibus Mis„sionariis Sinensibus vocabulum TIEN „CHU', ad significandum Deum Opti„mum Maximum longo usu receptum „est. Et in hoc Patres, dissentire non „videantur.„

Quarto.

Quarto. „An attentis prædictis liceat „affirmare, Sinas præfatis Nominibus „TIE'N & XANG TI, intelligere „Deum, quem Chriſtiani colunt? Sæc. XVII. A. C. 1694.

Super ſecundo Articulo.

Quæſitum Primo. „An permitti poſſit „appendi in Eccleſiis Chriſtianorum Ta„bellam inſcriptam KING TIEN: *Cælum „colito.*„

„Ratio dubitandi erat, quia præ„dicta vox TIEN nunc temporis a Si„nenſibus literatis accipitur pro Cælo „materiali, ut ſupra dictum eſt in ra„tione dubitandi ad tertium quæſitum „ſuper primo Articulo.„

Et quatenus negative.„

Secundo. „An ſaltem permitti poſſit „cum declaratione, & qua?„

Super tertio Articulo.

Proponetur quæſitum infra, quia pendet a decidendis in ſequentibus.„

Super quarto Articulo.

Primo. „An ſuperſtitione imbuta ſint „ſolemnia, quæ ſemel & iterum ſingu„lis annis Confucio, & Progenitoribus „offerri ſolent Sacrificia, ſeu oblatio„nes: ita ut iis præeſſe, miniſtrare, „aut intereſſe Chriſtianis nullatenus, „nullaque de cauſſa permitti poſſit?„

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„Ratio dubitandi erat, respectu Confucii, quia secta Literaria, quæ primas obtinet in illo Imperio, Confucium non solum uti Magistrum, verum etiam uti Sanctum colere videtur.„

„Præterea in quadam oblatione facienda Confucio, quæ describitur in „Libro, seu Rituali Sinico, TA MING „HOE Y TIEN, nonnullæ Orationes, „seu offertoria præscripta sunt, in quibus Confucii virtus Cælo terræque „æquiparatur, Doctrina antiquis modernisque præfertur: Imo ex quo homines esse cæperunt, nemo illum æquasse dicitur, & quod ejus Spiritus „præteritos XING, seu Sanctos excellit. Quod autem hic dicto XING „Sanctitatem potius, quam Sapientiam, vel Sapientiam simul & Sanctitatem significet, infertur ex hoc, quod „inter illos, qui Confucium præcesserunt, & XING superius appellabantur, comprehenduntur saltem nonnulli, de quibus expressis verbis, in „classicis Sinarum libris dicitur, quod „post mortem in Cælum evolarint, & „in Cælis potestatem habeant favendi „hominibus; eosque etiam Sinenses „antiquitus, ut Sanctos venerati sunt, „& hactenus celebrant ut tales. Insuper alibi in Libris Sinicis hæc habentur: XING JIN CHY CHY YE JU „IAO

„IAO, XUN, VEN VANG, CHEV Sæc. XVII.
„KUNG, KUNG CHU. Id est, San- A.C. 1694.
„ctorum virorum summitas: uti verbi
„gratia, Antiquissimi Imperatores IAO,
„& XUN, Rex VEN VANG, Prin-
„ceps CHEV KVNG, & KVNG CHU,
„seu Confucius. Quod vero hoc e-
„tiam in loco dicto XING, Sanctita-
„tem potius, quam Sapientiam signifi-
„cet, inferri videtur ex eo, quod om-
„nes ante Confucium hic nominati,
„apud Sinas in suprema Sanctorum se-
„rie ab antiquis temporibus referan-
„tur, & ut tales ab iisdem Sinensibus
„semper habiti fuerint, ut constat ex
„Libris eorum classicis; licet apud Si-
„nenses Atheos præfata dictio XING
„in allatis textibus perfectissimum, &
„Sapientissimum Virum, vel summum
„perfectionis gradum, ad quem homi-
„nes, Cælo seu natura favente, per-
„tingere possunt, significare videatur.„

„Ipse Confucius in singulis Civita-
„tibus ædes habet ei dedicatas, quæ
„Gymnasia non sunt, nec Aulæ tan-
„tum esse videntur, sed potius Capel-
„læ; eoquod Sinice vocentur MIAO,
„quo vocabulo Idolorum Templa de-
„signantur, & a nonnullis Auctoribus
„ædes prædictæ templa, seu fana di-
„cantur.„

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„In quibus ædibus extat effigies „Confucii, vel saltem Tabella cum hac „inscriptione: *Sedes Spiritus Sanctissimi, „vel Sapientissimi Protomagistri Confucii:* „quæ verbis Sinicis est hujusmodi: „CHI' XING SIENSU KUNG CHU' „XIN GOEY, ut testatur Pater a Leo- „nissa, qui asserit dictionem Sinicam „XING non significare tantummodo „Sanctum, sed aliquando etiam sapien- „tem. Alii præfatam inscriptionem, sic „latine vertunt: *Sanctissimi, & Super- „Excellentissimi.*„

„Mandarini, seu Gubernatores, ac „Magistratus urbium, una cum Lite- „ratorum Præfectis, necnon graduatis, „seu Doctoribus literatis bis in anno, „nempe circa æquinoctium Veris, & „Autumni ibidem solemnem oblatio- „nem, seu Sacrificium peragunt, in „quo a Ministro & assistentibus cum „variis genuflexionibus, & inclinatio- „nibus dirigente cæremoniarum Ma- „gistro, ante Tabellam Confucii, su- „pra mensam, seu Altare expositam, „candelis accensis, cum odorum suffitu, „immolati, seu immolandi Animalis „sanguis, ac pili offeruntur, ac deinde „terræ infodiuntur, itemque panni se- „rici, qui postea extra templum, seu „ædem in proximo Atrio, accenso igne „comburuntur. Item vinum libatur, „occi-

„occiſorum Animalium, Suis videlicet, „Capræ, ſeu Cervi, & ſimilium carnes „immolantur; quæ inter Aſſiſtentes, „& alios peracta oblatione, ſeu Sacri„ficio diſtribuuntur, & ab omnibus „magni fiunt, & comeduntur. Ante „omnia autem jam a principio, Con„fucii Spiritus invitatur, ut adſit, im„molatisque fruatur, veniensque ad „oblationem certis cæremoniis reci„piatur, eique, quidquid in Sacrificio „geritur, tanquam præſenti, in Tabella „ſignificatur. Miniſtris nonnullorum „ante Sacrificium dierum jejunia, & „a thoro conjugali abſtinentia publico „ritu præſcripta ſunt: Hoſtias immo„landas, fuſo in earum auriculis, pro„bandi cauſſa, liquore quodam, ſeu „vino calido, ſeligunt. Oblatio inci„pit poſt primum, aut ſecundum Galli „cantum, & ſummo mane terminatur: „Spiritum Confucii, finita oblatione, „abeuntem grato animo, ac certis ver„borum formulis proſequuntur; & ad„ſtantibus omnibus, antequam dimit„tantur, ob Sacrificium bene peractum, „felicitates plurimæ promittuntur, „prout in Rituali TA MING HOEI „TIEN, Tomo ſeu tractatu 91. in de„ſcriptione oblationis faciendæ Confu„cio, apud Patrem a Leoniſſa videri „poſſunt.„

Sæc XVII. A. C. 1694.

„Præter prædictas binas ſolemnes „oblationes, aliæ minus ſolemnes eo„dem in loco, ſeu quidam alii Ritus, „& cæremoniæ in ejusdem Confucii ho„norem, Statutis temporibus peragun„tur, tum a Magiſtratibus, ſeu Guber„natoribus urbium, tum a reliquis li„teratis; de quibus, etſi ſpeciatim a „Vicario Apoſtolico D. Maigrot mentio „facta non fuerit, nihilominus, quia „in quæſitis Patris Martini Societatis „Jeſu, aliqua ſaltem expoſita fuerunt, „hic aliud quæſitum, ad rem clarius „elucidandam, inſtituitur.„

Secundo igitur quæritur. „An Cære„moniæ, Ritus, & oblationes minus „ſolemnes, quæ fiunt in honorem ejus„dem Confucii, a Chriſtianis licite „exerceri, & peragi poſſint in loco „præfato?„

„Ratio dubitandi præter prædicta „in præcedenti ratione ad primum eſt, „quia bis ſingulis menſibus, in novi„lunio ſcilicet, & plenilunio cujuscun„que Urbis Mandarinus, ſeu prima„rius Magiſtratus, aliique Officiales & „literati ſummo mane ædem, ſeu Tem„plum Confucii magna cum pompa „adeunt, & ante ejus effigiem, ſeu „Tabellam, accenſis cereis, cum Thu„ris, atque odorum ſuffitu, repetitis „vicibus genuflectunt, toto corpore „pro-

„proſtrati, ac terram fronte percutien- Sæc. XVII.
„tes. Item quandoque, præſertim in A.C. 1694.
„novilunio, ab aliquibus vinum, &
„olera quædam, ac fructus offerri ſo-
„lent. Mandarini, ſeu Gubernatores
„urbium, ac Magiſtratus, antequam
„dignitatem adeant, ſeu ſtatim poſt
„aditam dignitatem, ſeu dignitatis poſ-
;ſeſſionem, ad Templum, ſeu ædem
„Confucii pergunt, ibique ante ejus
„effigiem, ſeu Tabellam, eadem per-
„agunt, quæ fieri ab eis in novilunio,
„ac plenilunio modo dictum eſt; non
„tamen vinum, olera, nec fructus of-
„ferunt. „

„Præterea literati, poſtquam in
„ampliſſimo Gymnaſio, ſeu Palatio,
„ubi per aliquos dies probantur, gra-
„dus Literarios adepti ſunt, ſtatim ad
„ædem, ſeu Templum Confucii ſe con-
„ferunt, ibique coram prædicta Ta-
„bella cereis accenſis, cum Thuris,
„atque odorum ſuffitu, iteratis vicibus
„genuflectunt, toto corpore ad terram
, proſtrati, prout in aliis proxime rela-
„tis ritibus, ſeu oblationibus minus
„ſolemnibus. Hæ vero in honorem
„Confucii oblationes tum ſolemniores,
„tum minus ſolemnes, ſeu ritus præ-
„fati, ita Sinenſium Imperatorum Le-
„gibus, publicoque Regni uſu ſtabiliti
„ſunt, ut non liceat eos omittere, ſal-

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„tem absque gravi periculo, respective „amissionis Mandarinatus, graduum, „aut dignitatum.„

„Respectu vero progenitorum, ra„tio dubitandi circa solemnes oblatio„nes, quæ in primo quæsito propo„nuntur, est, quia Sinæ defunctos Pa„rentes, seu Progenitores, saltem us„que ad quartum gradum, publico, „ac singulari cultu prosequuntur; ædes „eis dedicant, quæ potius Capellæ, & „Templa, quam simplices Aulæ vi„dentur esse, tum ex his, quæ in eis „geruntur, tum ex nomine MIAO, „quo Imperialium, aliorumque Imperii „Procerum, progenitorum defuncto„rum ædes, ex antiquissima institutio„ne vocantur: quo pariter nomine e„tiam Idolorum templa communiter „designantur, ut supradictum est; & „Animalium quoque sanguine ex an„tiquissimo ritu in Rituali LI KI' præ„scripto, uti etiam oblationum, seu „Sacrificiorum vasa, quæ nulli usui „extra templa prædicta applicari licet, „dedicari solent: Vestes vero, quibus „Proceres, ac præsertim Imperatores „uti solent, in præfatis oblationibus „speciali ritu in eodem LI KI præscri„pto, fieri debent; ac consumptæ, ob„soletæque cremari, ne profanis usibus „inserviant.„

„Cæte-

„Cæterorum autem progenitorum „defunctorum ædes, licet non MIAO, „sed CHU TANG appellentur, in re „idipsum significare, & ad eosdem cul- „tus erga defunctorum præfatorum Spi- „ritus exhibendos destinari videntur, „quia tam in ædibus CHUNG MIAO „dictis, quam in CHU TANG nuncu- „patis, imagines, seu Statuæ Prima- „riorum Progenitorum reperiuntur, aut „saltem, & communiter ubique Ta- „bellæ Progenitorum asservantur supra „mensam, vel Altare cum hac subscri- „ptione: *Sedes Spiritus N. Defuncti Pro- „genitoris.*„ Sæc. XVII. A.C. 1694.

„Quæ quidem Tabellæ, saltem his „temporibus, ideo fieri videntur, ut „non tantummodo loco Spirituum, seu „defunctorum adhibeantur; sed etiam, „ut iidem Spiritus, seu defunctorum „Animæ quodammodo in eis resideant: „quia eo tempore, quo defuncti Pro- „genitores sepeliuntur, quo etiam ea- „rumdem Tabellarum incipit usus, in „ipsomet Sepulturæ loco, ut ex Ri- „tuali Sinico KIA LY nuncupato con- „stat, ad dictas Tabellas, flexis geni- „bus, & expressis verbis, Spiritus, „seu Animæ præfatæ invitantur, ut in „illis resideant, & domum revertantur: „quo facto eædem Tabellæ solemniter „domum deferuntur, ac statuto tem-

„pore

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„pore in ædibus præfatis, etiam so-
„lemniter collocantur. Dicitur etiam
„in dicto Rituali, quod, quando in
„præfatis Tabellis aliquæ literæ mu-
„tandæ, vel addendæ sunt (quod qui-
„dem fit, quando in ædes præfatas
„novæ Tabellæ introducuntur, & an-
„tiquæ, seu priores ad gradum supe-
„riorem transeunt, juxta ordinem Con-
„sanguinitatis, vel quando ab Impe-
„ratore nova Dignitas, seu Dignitatis
„titulus aliquibus Progenitoribus de-
„functis, juxta Regni morem confer-
„tur, qui Tabellis inscribendus est)
„aqua madefiant, ut abradi possint, &
„abrasis lotisque, lotionis aqua in æ-
„dis, seu Templi parietem projiciatur:
„quæ cæremonia summam Sinensium
„reverentiam erga easdem Tabellas in-
„dicare videtur. Item in eodem Ri-
„tuali dicitur, quod transacto quarto
„Consanguinitatis gradu, quando sci-
„licet in ædibus, seu Templis præfatis
„dictas Tabellas asservari amplius non
„licet, hujusmodi Tabellæ terræ infodi
„debeant respective, vel in propriis Se-
„pulturis eorumdem Progenitorum, vel
„in parte anteriori ædis, seu prope ja-
„nuam: antiquitus autem ab ædibus
„CHUNG MIAO nuncupatis, ad alias
„ædes transferri solebant, ibique asser-
„vari, & recondi, & in Rituali KIA LY
„di-

„dicitur, quod Imperator, & Imperii Sæc. XVII.
„Proceres id faciant. Ad easdem Ta- A.C. 1694.
„bellas, vel ad loca, & ſedilia, ſeu
„menſas, in quibus dictæ Tabellæ e
„ſuis Tabernaculis cum ſpeciali reve-
„rentia extractæ, expoſitæ jam ſunt,
„ſi adhiberi debeant, eorumdem Pro-
„genitorum Spiritus, ſeu Animæ, præ-
„ſertim ſolemnium oblationum tempore,
„invitantur, ut deſcendant, & in eis
„maneant: quod quidem fit, vel ex-
„preſſis verbis, ut conſtat ex Formula
„deſcripta in Rituali KIA LY, ubi de
„oblationibus faciendis, primis fami-
„liarum Progenitoribus XY CHU, &
„SIEN CHU nuncupatis, qui jam
„quartum gradum aſcendentiæ præceſ-
„ſerunt, fit ſermo, quæ formula in me-
„dio ædis, ſeu Templi ante vas ibidem
„cum carbonibus accenſis poſitum,
„flexis genibus, a Primario oblationis
„Miniſtro recitari debet; eaque recitata
„ſuper eisdem Carbonibus cum ſpeciali
„cæremonia, Animalis, ſeu victimæ
„pinguedo ponitur, ſeu effunditur, ut
„vapor aſcendat; vel ſaltem, & ſem-
„per cum Cæremonia effundendi vi-
„num ſuper palearum manipulum,
„quæ KIANG XIN, id eſt, deſcenſus
„Spirituum in eodem Rituali appella-
„tur, quæque pariter cum ſolemnitate,
„& reverentia magna ordinarie fieri
„de-

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„debet, in medio Templi, seu ædis „ante mensam, seu Altare, ubi odores „cremantur, quæ HIANG CHO, id „est odorum mensa vocatur: ibique „postea fit alia similis Cæremonia ef„fundendi vinum, quæ vocatur CHY, „id est oblatio, quæ loco Spirituum „fit (fierique dicitur antiquis vini In„stitutoribus, seu Inventoribus) item„que Progenitores, seu Progenitorum „Spiritus invitantur, ut oblatis fruan„tur, seu frui velint, ut in eodem Ri„tuali præscribitur, de eodem descen„su, seu adventu Spirituum, etiam „Progenitorum defunctorum, & de „fruitione, seu acceptatione oblatorum „pluries fit mentio in libris antiquis, & „aliis ritualibus Sinicis. Unde multi „Sinenses eosdem Progenitorum Spi„ritus cæremoniis supradictis invitatos „venire, & frui putant, aut credunt. „Non pauci tamen ad imaginariam, „vel dubiam potius, quam realem Spi„rituum præsentiam, adventum, & „fruitionem hæc omnia (ut etiam ex „Libris, & Ritualibus Sinicis colligi„tur) reducere videntur, Confucius „vero in libro LUN YU ait: CHI JU „CHAY: CHI XIN JU XIN CHAY, „id est, offerendum, seu sacrificandum „est, veluti adessent: scilicet illis, qui„bus offertur, offerendum, seu sacrifi„can-

„candum est Spiritibus, veluti Spiri- Sæc. XVII.
„tus adessent, seu existerent. Statu- A. C. 1694.
„tis autem anni temporibus in iisdem
„locis, seu Templis præfatorum Pro-
„genitorum defunctorum spiritibus so-
„lemnes oblationes, seu Sacrificia of-
„feruntur, ad quæ tantummodo cu-
„jusque familiæ Viri, ac Mulieres re-
„spective conveniunt, ac earumdem
„familiarum Primogeniti ex lege de-
„bent primaria officia in dictis oblatio-
„nibus exercere; qui etiam propriis
„manibus Animalia offerenda occidunt,
„in locis, ac cæremoniis in Ritualibus
„pro personarum qualitate respective
„præscriptis: omniaque peraguntur
„eodem fere ritu, mutatis mutandis,
„qui supra in oblationibus solemnibus,
„Confucio exhibitis, descriptus est. In
„Templis, seu ædibus CHU TANG
„nuncupatis, juxta Rituale KIA LY,
„serica non offeruntur, nec in eodem
„fit mentio illius Papyraceæ monetæ,
„quæ nunc temporis in omnibus obla-
„tionibus, quæ Progenitoribus defun-
„ctis a gentilibus fieri solent, creman-
„tur: eoquod hæc Cæremonia non sit
„propriæ sectæ Literariæ: neque in
„fine oblationis illa verborum formula
„præscribitur, qua in superioribus ob-
„lationibus abeuntes Spiritus prose-
„quuntur; sed tantum ad id quædam
„in-

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„inclinationes, & proſtrationes facien-
„dæ referuntur, quibus peractis, Ta-
„bellæ, ſi adhibitæ, & expoſitæ fue-
„rint, in locum ſuum reportantur, &
„in Tabernaculis reponuntur; necnon
„Progenitorum nomine, ſeu de man-
„dato eorumdem, ut in Rituali KIA
„LY dicitur, a Magiſtro Cæremonia-
„rum, Miniſtris primariis, & implicite
„adſtantibus omnibus plurimæ felici-
„tates promittuntur: & antequam
„fiant, nonnullæ ex prædictis ſolemni-
„bus oblationibus, ſortibus cum ſpe-
„ciali Cæremonia, ante januam ædis,
„ſeu Templi CHU TANG, eligitur
„dies; & de felici electione monentur
„pariter ſpeciali ritu in eadem æde,
„ſeu Templo Progenitores defuncti,
„ſeu eorumdem Spiritus, ut videre eſt
„in dicto Rituali: in quo etiam dici-
„tur, quod omnes oblationes CHI con-
„ſiſtant tantummodo, ſeu principaliter
„in totali ſoliditate, & perfectione a-
„moris, & reverentiæ. Et ideo pau-
„peres juxta paupertatem ſuam, in-
„firmi juxta vires ſuas, in illis facien-
„dis ſe gerunt: qui vero divitiis, &
„viribus abundant, juxta præſcriptos
„ritus eas peragunt.„

„Preces vero, licet ex antiquiſſimo
„Ritu in Libro, ſeu Rituali LY KY,
„tantummodo certis temporibus, ſeu
„pro

„pro publicis Imperii neceſſitatibus, Sæc. XVII.
„in Templis Progenitorum defuncto- A. C. 1694.
„rum CHUNG MIAO nuncupatis,
„peragendæ præſcribantur, & non pro
„privatis neceſſitatibus, ſeu indigen-
„tiis, vel ad privatas felicitates poſtu-
„landas: cum e contra hoc ipſum ex
„eodem antiquiſſimo Ritu, in oblatio-
„nibus etiam ſolemnibus ordinarie offe-
„rendis, interdictum videatur: nihilo-
„minus etiam ad privatas felicitates ab
„eisdem Progenitoribus defunctis pe-
„tendas, deprecationes, præſertim nunc
„temporis, a Sinenſibus quandoque
„fieri referuntur, & probantur, ex a-
„lio Rituali Sinico in quatuor Tomos
„diviſo, & KIA LY pariter dicto, quo
„gentiles paſſim utuntur in Sinis: licet
„hujusmodi deprecationes non fuerint
„auctoritate publica, ſed potius tacita
„permiſſione, in eodem Rituali, & alibi
„a privatis doctoribus inſertæ, com-
„muniter autem eo magis felices, ac
„fortunatos ſe fore putant, aut ſpe-
„rant, quo majori pietate, ac Diligen-
„tia ſolitis officiis erga præfatos defun-
„ctos functi fuerint. Ex claſſico Rituali
„etiam habetur, quod in alendis Ani-
„malibus, ad uſum Sacrificiorum, tum
„XANG TI, tum Spiritibus omnibus,
„etiam Progenitorum, in Templis &
„locis eisdem reſpective dicatis, offe-

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„rendorum deſtinatis, Imperii urbium „Præfectis de mandato Regio injun„ctum ſit, ut omnem curam adhibeant, „Populisque idipſum ſuadeant; eoquod „ad felicitates pro eisdem Populis pe„tendas in dictis oblationibus offerri „debeant. Item ex claſſicis Ritualibus „plura referuntur, unde deduci vide„tur, Sinenſes non tantum a XANG „TI, aliisque Spiritibus, Montium ſci„licet, Fluminum &c. verum etiam a „Spiritibus defunctorum felicitates plu„rimas concedi, ob præfatas oblatio„nes bene peractas, docuiſſe, & cre„didiſſe ab antiquo tempore, aut ſal„tem finxiſſe.„

„Qui vero Atheiſticam Doctrinam „profitentur, & ſequuntur, licet eo„rumdem Spirituum exiſtentiam ne„gent, tamen quadam motione Sym„pathica, per diſpoſitionem Miniſtris „ad ſacrificandum, vel offerendum „præſcriptam cæli aerem tenuiſſimum, „in quem defunctorum Spiritus reſolvi „aſſerunt, conciliari, ac moveri, & „quodammodo attrahi ad oblationem „inſinuant; unde beneficos influxus, „erga offerentes, adſtantesque proma„nare docent. Quod infertur etiam „ex iis, quæ habentur in extractis ex „libro, cui titulus: *Confucius Sinarum „Philoſophus, & per Patres Societatis „ite-*

„*iterum impreſſus, ac in parvo libello Sacr.* Sæc. XVII.
„*Congregationi oblatus.* Tandem præ- A. C. 1694.
„fati Athei, prout antiqui omnes, ſub
„nomine QUEI XIN, Spiritus omnes,
„etiam defunctorum, dum generice
„eos deſignare, vel nominare volunt,
„comprehendunt, & de præfatis QUEI
„Xin generice multa præclara refe-
„runt; ſicque Populis erga illos timo-
„rem pariter, & honorem ſuadent.„

„Præter prædictas ſolemnes obla-
„tiones, quæ fiunt in honorem Pro-
„genitorum, aliæ etiam minus ſolem-
„nes oblationes, necnon alii Ritus,
„ac Cæremoniæ, eisdem in ædibus,
„ſeu Templis, diverſis anni tempori-
„bus, præſertim prima die anni Sinici,
„in Solſtitiis, ac ſingulis menſibus, in
„novilunio ſcilicet, & plenilunio, in
„honorem eorundem defunctorum
„fieri ſolent, de quibus, licet Vicarius
„Apoſtolicus D. Maigrot ſpecificam
„mentionem non fecerit, expedire vi-
„detur, ob rationem ſupra allatam,
„ubi de oblationibus minus ſolemnibus
„Confucio fieri ſolitis agitur, ut etiam
„ſpeciale quæſitum hic inſtituatur,
„unde.„

Tertio. „An Chriſtianis liceat in
„præfatis ædibus, ſeu Templis ſupra-
„dictas oblationes minus ſolemnes of-
„ferre, in eis miniſtrare, ſeu quomo-

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„dolibet inſervire, necnon alios Ritus, „& Cæremonias peragere?

„Ratio dubitandi, præter ea, quæ „dicta ſunt in ſuperiori ratione, ad „quæſitum reſpectu præfatorum defun„ctorum, eſt, quia ſupradictis tempo„ribus uniuscujusque familiæ perſonæ „utriusque ſexus, ad quas juxta præ„ſcriptum in Ritualibus Sinicis, ac „præcipue in Rituali KIA LY, ex offi„cio ſpectat, ſummo mane debitis, ac „ſpecioſis veſtibus indutæ, ædes Pro„genitoribus dicatas, ac pridie pro „more ornatas, reſpective adeunt; in „eis coram Tabellis eorundem Proge„nitorum, poſt ablutionem manuum, „cum variis inclinationibus, & genu„flexionibus, e Tabernaculis per Mi„niſtros deſignatos extractis, & ſuper „menſam, ſeu Altare collocatis, cereis „accenſis, odores & thura cremantur, „vinum libatur, & ſuper palearum „manipulum effunditur (quæ cære„monia indicat deſcenſum Spirituum) „fructus varii, ac potio CHA dicta of„fertur, ſeu apponitur coram qualibet „ex eisdem Tabellis; ac tandem cum „aliis genuflexionibus, & inclinationi„bus, Spiritibus abeuntibus quodam„modo vale dicitur.„

„In plenilunio vero juxta ea, quæ „habentur in Rituali KIA LY, Cære„monia

„monia extrahendi Tabellas e Taber- Sæc. XVII.
„naculis non fit, vinum non apponitur, A.C. 1694.
„ſed fructus, & potio CHA: cætera,
„ut in novilunio, peraguntur.„

„Inſuper diebus quaſi ſingulis, &
„in certis caſibus, coram Tabellis præ-
„fatis, ab his, ad quos ſpectat, incli-
„nationes, & proſtrationes variæ fiunt,
„odoresque quandoque cremantur, ce-
„reis accenſis.„

„Tandem, qui ſunt tenuioris for-
„tunæ, ut non habeant ædes, ſeu
„Templa Progenitoribus defunctis di-
„cata, in domibus privatis coram Ta-
„bellis eorumdem, in ſupradictis anni
„temporibus reſpective, accenſis can-
„delis, cum Thuris, ſeu odorum ſuf-
„fitu offerunt, ſeu apponunt carnes,
„vinum, potionem CHA, fructus, &
„alia hujusmodi: genuflexionibus, ſeu
„inclinationibus etiam adhibitis, mi-
„nori tamen cum ſolemnitate, Sinæ
„enim domi communiter habent locum
„aliquem tanquam lalarium, ubi dictas
„Tabellas cum ſolita inſcriptione aſſer-
„vant, easque ſingulis diebus ſæpe ſa-
„lutant, ac certis temporibus, uti di-
„ctum eſt, coram eisdem Ritus, ac
„cæremonias præfatas peragunt.„

„Item Sinenſes fere omnes Sepulc-
„ra eorumdem Progenitorum, quæ in
„Montibus, ſeu locis prælatis extra

Sæc. XVII. A. C. 1694. „mænia sunt, semel in anno adeunt, „ibi oblationem faciunt, apponendo „scilicet Carnes, vinum, fructus, po„tionem CHA, & alia hujusmodi cum „solitis genuflexionibus, & inclinatio„nibus, aliquando autem solemnius „hæc omnia peragunt, juxta Ritus ac „vires; adhibita etiam cæremonia ef„fundendi vinum, quæ, ut supra „KIANG XIN vocatur: herbas etiam, „& gramina circa Sepulturas nata e„radicant, purgant, plorant, mox fi„nitis lacrymis, oblatis vescuntur.„

„Alias insuper oblationes, tum so„lemnes, tum minus solemnes, Sinen„ses facere solent mortuis Progenitori„bus, præsertim a die obitus, usque„quo Sepulturæ tradantur: quæ, ex„cepta circumstantia Templi, seu ædis, „necnon vestium speciosarum (quia „lugubribus vestimentis eo tempore „utuntur) in cæteris cum supradictis „respective concordant. Et ideo.

Quarto. An Christianis liceat, præ„fatas oblationes, Ritus, ac cæremo„nias coram supradictis Progenitorum „Tabellis, in privatis domibus, vel e„tiam in eorumdem Progenitorum Se„pulchris, aut antequam defuncti præ„dicti Sepulturæ tradantur, in eorum „honorem fieri consuetas, unacum gen„tili„

„tilibus, vel seorsim peragere, eisque „miniſtrare, aut intereſſe? Sæc. XVII. A.C. 1694.

Quinto. An Chriſtianis liceat, præ„fatas omnes oblationes, tum ſolem„niores, tum minus ſolemnes, necnon „alios Ritus, ac cæremonias, tam in „ædibus, ſeu Templis defunctorum, „quam domi, & in Sepulchris, prout „ſupra relatæ ſunt, peragere, aut eis „ſimul cum gentilibus intereſſe, vel in „eis miniſtrare, ſaltem præmiſſa pu„blica, vel ſecreta proteſtatione, eos „non religioſo, ſed civili tantum, ac „publico cultu, erga defunctos Proge„nitores, hæc omnia præſtare, nec ab „eis quidquam petere, aut ſperare.„

Sexto. An liceat, ſeu permitti poſ„ſit Chriſtianis, easdem omnes obla„tiones reſpective in locis ſupradictis, „vel ſaltem domi, ac in defunctorum „Sepulchris, ſeorſim, vel etiam cum „gentilibus offerre; aliosque Ritus, „ac cæremonias peragere, ſublatis „omnino ſuperſtitioſis, vel ſuperſtitio„nis ſpeciem præſeferentibus; hoc eſt, „ea tantummodo offerendo, quæ juxta „Regni morem vivis offerri ſolent; & „cum Cæremoniis, ac Ritibus erga „vivos fieri, vel adhiberi ſolitis? & „an hoc ſaltem liceat, præmiſſa, ſeu „adhibita ſupradicta proteſtatione?

Sæc. XVII. A. C. 1694

„Ratio est, quia nisi hæc saltem „Sinensibus Christianis permittantur, „valde timendum est, ne, qui Chri„stiani jam sunt, Christianam religio„nem penitus abjiciant; & qui nondum „illam susceperε, imposterum nullate„nus amplectantur; imo in Christianos, „tanquam in Patriorum Rituum, erga „defunctos Progenitores, desertores ac „destructores insurgant; eosque, ac „Missionarios omnes, minis ac perse„cutionibus exagitent, & a Regno pe„nitus excludant.„

„Ita, quod ad factum pertinet, „testatur Pater Joannes Franciscus de „Nicolais a Leoniſſa, Vicarius Apo„stolicus *Hu' Quanng*, Episcopus Beri„tensis; apud quem sunt Ritualia, aut „textus allegati, eaque exhibuit, & „interpretatus est.„

Super quinto Articulo.

Quæsitum primo. „An Christianis per„mitti possit, dictas Tabellas Progeni„torum in privatis domibus retinere, „cum inscriptione: XIN CHU' 'XIN „GOEI, LING GOEI, id est: *Thronus „seu Sedes Spiritus, seu Animæ N. de„functi.*„

„Et quatenus negative.

Secundo. „An saltem abrasa ea in„scriptione solummodo defuncti nomine „in-

„inſcripto, aut ad ſummum ſuperad- Sæc. XVII.
„dita litera GOEI, Sedes ſeu Thronus. A.C. 1694.
„Et quatenus negative.

Tertio. An ſaltem cum declaratione, „qua declaretur, quæ ſit Chriſtiano„rum de defunctis fides, & qualis filio„rum, ac nepotum in Progenitores „pietas eſſe debeat?„

„Hic quæritur, quid decernendum „ſit circa tertium Articulum ſupra omiſ„ſum, tenoris ſequentis?„

„Quæſita ſuper capitibus inter hu„juſce Miſſionis Operarios controverſis, „ſummo Pontifici Alexandro VII. pro„poſita, multis in rebus non eſſe veri„dica declaramus: ac proinde Miſſio„narios, reſponſis ab Apoſtolica ſede, „recte quidem, & ſapienter, ac juxta „circumſtantias in dubiis expreſſas da„tis, inniti non poſſe, ad uſitatum a„pud Sinas Confucii, & Progenitorum „cultum permittendum.

Super ſexto Articulo.

Quæſitum, quid decernendum ſit ſu„per ſexto Articulo præfati Edicti D. „Maigrot, tenoris ſequentis?„

Cum nonnulla, ſeu verbo, ſeu ſcripto vulgari animadverterimus, quæ incautos in errorem inducunt, & viam ad ſuperſtitionem patefaciunt, verbi gratia: Philoſophiam, quam Sinæ profitentur, ſi bene

Sæc. XVII. A. C. 1694.

intelligatur, nihil habere legi Christianæ contrarium:

Nomine TAI KIE, *Sapientissimos Priscos Deum causſam primam rerum omnium definire voluisſe:*

Cultum, quem Confucius Spiritibus adhibuit, civilem potius, quam Religiosum fuisſe:

Librum, quem Sinæ IE KING *appellant, ſummam esſe optimæ Doctrinæ Physicæ, & moralis.*

Hæc, & similia, uti falso, temere, & scandaloſe dicta, ſcriptave districte inhibemus, ne in toto Vicariatu noſtro diſſeminentur.

Super ſeptimo Articulo.

„An ſit approbandum, quod D. Maig„rot diſponit in ſeptimo Articulo, te„noris ſequentis?

Caveant Miſſionarii, ne qui Christiani Sinicos Libros in Scholis legunt, Atheismum, & diverſas ſuperſtitiones, quibus illi Libri tam in textu, quam in Commentariis ſcatent, in Auditorum animos infundant; ſed illos Miſſionarii admoneant, ut obvios errores refutent; & errorum occaſione, quæ de Deo, de Mundi creatione, & gubernatione Christiana Religio tradit, diſcipulos diligenter edoceant; atque eosdem Christianos Miſſionarii frequenter commoneſaciant, ne (quod facile contingit) ſuis inſcri-

ſcriptionibus aliquid a Scholæ Literariæ principiis legi Chriſtianæ contrarium admiſceant. Sæc. XVII. A. C. 1694.

Equidem horum quæſitorum examen jam ſub Innocentio XII. inchoatum eſt, ſed præmiſſa diuturna, matura, ac diligentiſſima diſcuſſione, habitisque pluribus Congregationibus primum ſub Clemente XI. Papa Theologorum reſponſa fuerunt audita, ac demum deſuper ejusdem Pontificis decretum Anno 1704. die vigeſima Novembris promulgatum.

§. LXVI.

Catholica fides in Perſarum Regno plurimum aucta.

Inter tot turbarum adverſitatumque procellas, quibus Innocentii XII. Pontificis animus identidem jactabatur, amœnior lætitiæ aura adſpirabat, dum eidem nuntiatum eſſet, quod Inſulæ Bazani Rex in Africa unacum tota ſua familia Catholicam religionem amplexatus, a Luſitano Rege Viros Apoſtolicos petierit, qui pariter populum hunc Chriſtianorum Sacris inſtituerent: Augebatur Pontificis gaudium, dum acceptis undique literis inaudierat, quod in Perſarum Regno, ſtrenue adlaboranribus Carmelitis Diſcalcea-

Theatr. Europ. t. 4. Bull. Carm. t. 3. p 620. Enchyrid. Chron. Carmel. p. 416.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

calceatis, fides Catholica insigniter augeretur: ipse enim Scah-Abbas II. Persarum Rex jam dudum Armenis, Græcis, Nestorianis, aliisque sectis tolerantiæ boneficium indulserat, ac neminem ob Religionis diversitatem molestari permiserat, asserens, solum Deum esse conscientiarum Dominum, sibi vero nonnisi Regni sui administrationem esse commissam, seque omnibus cujuscunque Religionis subditis suis, qui æqualiter Regni membra essent, jus suum tribuere, obstrictum esse: Præprimis vero singulari patrocinio, atque affectu prosequebatur Catholicos, cunctosque hujus Religionis Viros Apostolicos: Postquam vero hic Rex anno hujus sæculi sexagesimo sexto die vigesimo quinto Septembris mortalitatem exuerat, ejus Filius Sephi-Mirza seu Schah-Solimanus Patris sui vestigia premens, Catholicis plenam suæ Religionis libertatem indulsit, eo autem hoc anno die nona Augusti satis functo Ussainus ejus Filius Regni coronam, quam ipsemet manibus præripuit, præter hujus gentis morem capiti suo imposuit, protestatus, nullum se huic officio præstando parem, magisque dignum inveniri: Hic idem Sophus seu Imperator libertatem Catholicis a suis Majoribus indultam confirmans, haud parum contulit,

tulit, ut religio Catholica indies nova caperet incrementa, ringentibus licet Armenis ſchismaticis, juratis Catholicorum hoſtibus, qui tam uberes fidei progreſſus indignati, virulenta contra Miſſionarios conſilia agitarunt, atque Regis Miniſtros magno pretio impulerunt, ut ab Imperatore extorquerent decretum, vi cujus Patres Carmelitæ Diſcalceati ex Giulfæ ſuburbio, ac demum toto Imperio ejicerentur, ſicque percuſſis Paſtoribus eo facilius cunctæ diſpergerentur oves: Attamen Imperatoris patrocinio, ac Epiſcopi conatu factum, ut tum ſchismatici operam & pecunias perderent: inde erecti Catholici ſummis precibus a Pontifice petebant Epiſcopum, quem haberent in rebus fidei Magiſtrum, atque in adverſis Protectorem: præ ceteris autem Armeni Catholici tum Romæ agentes, Eliam a S. Alberto Carmelitam Diſcalceatum, qui jam per quatuordecim annos Orientali Miſſioni præerat, poſtularunt. Horum petitio arriſit Innocentio ſummo Pontifici, qui hunc Patrem Eliam in Epiſcopum Haſpahamenſem nominavit. Aucto autem ſchismaticorum odio Stephanus eorum Pſeudo-Archiepiſcopus Regi libellum calumniis in Epiſcopum eique ſubditos effuſis ſcatentem porrexit, auroque undi-

Sæc. XVII. A. C. 1694.

Sæc. XVII. A. C. 1694. undique corraſo per Miniſtros mandatum extorſit, vi cujus omnes Miſſionarii a ſuburbio ejicerentur: Quamprimum Pſeudo-Archiepiſcopus ejusmodi edictum impetraverat, mox furore plusquam Ethnico Catholicorum Eccleſiam vaſtabat, atque ipſius Epiſcopi Catholici exilium a toto Perſarum Dominio obtinere nitebatur: In tantis rerum anguſtiis Miſſionarii nil magis expeditum cenſebant, niſi ut ad ſummi Pontificis opem recurrerent. Nec eis defuit Innocentius, qui anno ſequenti die vigeſima octava Januarii ad Perſarum Regem has dedit literas:

Illuſtris ac Potentiſſime Rex ſalutem, & lumen Divinæ gratiæ.

„Inter eximias, magnoque Rege „dignas dotes, quibus inſignitur Celſi„tudo tua, principem ſibi vendicare „locum, clementiam, qua Catholicæ „fidei cultores reſpicis, ſatis ſuperque „notum, exploratumque habemus.„

„Quia vero ejusdem fidei propaga„tio Noſtrorum ſumma votorum eſt, „ab ipſamet Clementia tua enixe peti„mus, ut Patribus Carmelitis Diſcal„ceatis, ac præſertim Venerabili Fratri „Eliæ Aspahan celeberrimæ Regiæ tuæ „Epiſcopo, quem ſummopere tibi com-

„men-

„mendamus, liberam facultatem tri- Sæc. XVII.
„buas redeundi ad urbem, uti vo- A.C. 1694.
„cant, Jusam, a qua instante Archie-
„piscopo Armeno schismatico, disce-
„dere coactos fuisse intelleximus, in-
„dicta illis gravi pœna, si reverte-
„reutur.„

„Firmam autem in spem venientes
„assensurum te petitioni Nostræ Celsitu-
„dini tuæ cum ad perfectam veræ fidei
„agnitionem, tum ad omnem rerum
„secundarum prosperitatem Dominum
„Dominantium, qui in Cælis habitat, &
„a quo bona cuncta procedunt, propi-
„tium, faventemque impense preca-
„mur.„

Ceterum nonnisi biennio post Episcopi, ceterorumque expulsorum revocatio ad pristinam sedem, sub Salomone novo Rege cum honore publico, ac majori, qua posset, celebritate facta est.

§. LXVII.

Contentio inter Jesuitas circa probabilitatem.

Jam dudum Thyrsus Gonzalez Hispanus Jesuita ægerrime ferebat, quod falsa ac pernicioſa opinio de licito cujuscunque probabilitatis usu toti Societati tanquam propria imputaretur: ad

Dupin Bibl. nouv. t. 18. pag. 300. Hist Cont. Chronol. l. 12. pag. 471.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

ad eluendam igitur hanc maculam nil aptius fore censebat, quam si eandem hanc doctrinam edito libro impugnaret: Huic labori, dum a Missionum exercitio vacaverat, manum admovit anno hujus sæculi septuagesimo primo, ac quinquennio post in Salmanticensis Academiæ Professorem renuntiatus, librum sub titulo: *tractatus Theologicus de recto usu opinionum probabilium* conscripsit, quem postea plurimum auxit: Prospexerat sociorum invidiam inde in caput suum conflari; quapropter Pauli Olivæ tum supremi Societatis Moderatoris patrocinium, quo tutus esset, quærere, eidemque suum librum nuncupare sategit: Ast motis difficultatibus pene innumeris librum suum, perinde acsi adulterinus esset partus, in publicam lucem edendi facultatem obtinere nunquam poterat: domestico igitur patrocinio frustratus, ex Hispania Romam ad Innocentium XI. Papam missis literis convolabat, spe fretus, hunc Pontificem utpote laxioris doctrinæ hostem, absdubio patrocinaturum libro, quo acriter impugnarentur errores, quos ipsemet anno vix elapso Apostolica sua Constitutione damnasset (*). Nec sua eum spes fefellit;

(*) Anno 1679. Innocentius XI. sexaginta quinque proscripserat propositiones, ex quibus primæ de probabilitate agebant.

fellit; quippe Pontifex Thyrſi literas benignis oppido oculis perluſtratus, Societatis Præpoſito injunxit, ut illorum Zelo, qui probabilitatis monſtrum inſectarentur, nullatenus ſeſe opponeret: Prævaluit tum Præpoſiti auctoritas; poſtquam vero, Paulo Oliva fatis functo, Thyrſus in totius Societatis Rectorem anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum octogeſimo ſeptimo electus fuerat, mox librum ſuum Romæ publici juris fecit: inde vero tota Societate in Generalem ſuum commota, mox Provinciarum Agentes ceterorum nomine præter ordinem generalia comitia haberi poſtularunt, in quibus absdubio Thyrſus libertatis, dignitatisque ſuæ jacturam feciſſet, niſi Innocentii XII. Pontificis auctoritas animique conſtantia obſtitiſſet: Hic enim edito decreto (*) corruptelas hucusque Societatis decori infeſtas tolli juſſit, ac Thyrſo præcepit, ut ſuis interdiceret, ne pro opinione minus probabili calamos ſuos exercerent, nec oppoſitam impugnarent ſententiam: Hoc decreto

Sæc. XVII. A. C. 1694.

(*) Hoc decretum eſſe apocryphum, ac *forte* in armario, in quod decreta apocrypha rejiciuntur, reputata fuiſſe, facilitate nimia ſcribit Joſephus Gravina Jeſuita.

Sæc. XVII. A. C. 1694. decreto tutus Generalis, sequens decretum edi jussit: *Cum relatum esset ad Congregationem, aliquos ea persuasione esse, quod Societas communibus quasi Studiis tuendam sibi sumpsisset eorum Doctorum sententiam, qui docent, in agendo licitum esse sequi opinionem minus probabilem faventem libertati relicta probabiliore stante pro præcepto, declarandum censuit Congregatio, Societatem nec prohibuisse, nec prohibere, quominus contrariam sententiam tueri possent, quibus ea magis probaretur*, postea his severe inhibuit, ne deinceps negotiationibus vacarent, moribundos ad testamenta in Societatis favorem condenda nec pellicerent, in Principum aulis & cubiculis nec vescantur, nec pernoctent, aut morentur: Adversus hoc præceptum insurgebant socii, tradito libello supplici, cujus tenorem Papa in Sacra Congregatione discuti jussit, unanimem tamen decisionem, Cardinalium animis in diversa abeuntibus, obtinere haud poterat, nihilominus tamen comitia mox dissolvi præcepit, hancque controversiam in Generalis favorem compositam esse Principum Legatis significari jussit. Inde Thyrsus ingenti perfusus lætitia, summo Pontifici obortis lacrimis grates egit, protestatus, se nunc primum per Apostolicam hanc deci-

decisionem in Societatis Generalem fuisse electum, postea summis precibus efflagitabat, ut ulterius potenti suo auxilio Societati adesse dignaretur, utpote quæ extremo suo excidio nimis vicina esset, cum Socii duntaxat in Europa Principum favoribus, & in Oriente divitiis inhiarent, neglecta propriæ & alienæ salutis cura. Ceterum notatu digna est cautela, qua Thyrsus jam in Generalem assumptus, ne Sociorum ulcus tangeret, usus erat; quippe in sua introductione ad lectorem hæc habet: *Hunc tractatum non edo, tanquam Præpositus Generalis Societatis, sed tanquam unus e Societate Theologus, nullum a subditis meis ad ita docendum adstringere intendens, sed omnibus plenam libertatem relinquens, ut in hac gravissima controversia eam partem defendant, quam post accuratum studium ex sincero desiderio inveniendi veritatem susceptum, solidioribus nixam fundamentis deprehenderint . . . . Abest, ut velim subditos meos ad meam sententiam defendendam obligare.*

Sæc. XVII. A. C. 1694.

§. LXVIII.

Controversia circa electionem novi Episcopi Leodiensis.

Postquam Joannes Ludovicus L. B. de Eltern Leodiensem thiaram unacum

Theatr. Europ. t. 14. Hist. Cont. Chron. l. 12. pag. 466.

Sæc. XVII. A. C. 1694. cum vita die prima Februarii repentina morte obrutus, depoſuerat, hujus Eccleſiæ Canonici die vigeſima Aprilis ad novam electionem proceſſerunt. Ea autem tum erat temporum iniquitas, ut hinc Gallis quasdam Leodienſis Principatus urbes ſuo milite firmantibus, illinc fœderatis Leodii Metropolin & arcem poſſidentibus non tam ſuffragiorum libertas, utilitasque Eccleſiæ, quam Principum ſeſe ingerentium potentia, indeque impendens aut periculum aut commodum attenderetur. Nulli labori, nullique arti parcebant Galli, ut vel Fürſtenbergium, vel Bullionium Cardinales, vel ſi hunc utpote natione Gallum, vel illum velut declaratum Imperii hoſtem rejicere vellent Canonici, ſaltem alium Gallicis partibus addictum eligerent: Jamjam Bullionius Huyum profectus, tanquam Capituli Leodienſis Præpoſitus, ut Leodium pergere, atque electioni intereſſe poſſet, publicas ſecuritatis literas ſibi dari petiit, ſimulque Franciæ Regis literas die quinta Martii datas transmiſit, quibus hic Canonicis *neutralitatis*, ut vocant, beneficium, necnon eo venturis ac inde recedentibus omnem ſecuritatem usque ad primam Maij diem ea lege pollicitus eſt, dummodo fœderati ex urbe & arce usque ad peractam

actam Episcopi electionem milites suos abducturi essent: Attamen Canonici Bullionio Cardinali, quem utpote vi statutorum electionis incapacem jam die vigesima septima Februarii excluserant, responderunt, superfluum esse, ut Leodium veniret, cum suffragii jure destitutus esset: de cetero fœderatorum præsentiam nullatenus quidem electionis libertati obesse, se tamen effecturos, ut hi milites suos abducerent, prius tamen Galli Bullioniam, Huyum & Dinantium, utpote urbes Leodiensi Ecclesiæ proprias desererent. Hoc responso offensus Cardinalis, factæ exclusionis caussam sibi aperiri petiit, secus se jus suum omni, qua posset, via vindicaturum: cum autem Canonici repulsam darent, Bullionius die decima Aprilis ad Sacram Sedem provocans, cuncta futuræ electionis acta tanquam nulla atque irrita declaravit, suæque oppositionis literas ad Papam & Apostolicum Nuntium Colonienſem transmisit; Insuperhabita hac appellatione Canonicorum quidam Josephum Clementem Colonienſem Archiepiscopum postularunt, alii Ludovicum Antonium Palatini Comitem & supremum Ordinis Teutonici Magistrum necnon Archiepiscopi Moguntini Coadjutorem elegerunt, hujus electionis valorem

Sæc. XVII. A. C. 1694.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

summi Pontificis judicio ac decisioni relinquentes: Dum vero Romæ res agitabatur, nuntiatum est, Ordinis Magistrum die quarta Maij maligna febre Leodii extinctum, & Canonicos eidem faventes, Josepho Clementi, qui a Papa Eligibilitatis, ut vocant, decretum jam antea receperat, accessisse: Hic igitur postquam die decima octava Septembris Roma confirmationis diploma acceperat, die vigesima quarta Octobris inter festivas omnium acclamationes in Leodiensem Episcopum proclamatus est, Frisingensem tamen Episcopatum mox dimisit.

§. LXIX.

Bellicæ hujus anni expeditiones.

Currens hic annus adeo præliis ac victoriis erat vacuus, ut vel tacita armorum cessatio crederetur decreta, aut si bellum ageretur, id potius in hostium terras, quam hostes gestum dici posset: quippe Vezirius in Hungaria magno quidem apparatu prope Petrovaradinum Cæsarea castra arcis instar oppugnabat, sed re infecta, ac lacero cum exercitu Savum versus viam relegit. Caprara vero Cæsareus Bellidux auspicatiore successu Giulam urbem Turcis deditione facta eripuit,

Polo

Poloni etiam Turcas ad oram fluvii Ty- Sæc. XVII.
ris inito prælio fuderunt, Veneti quo- A. C. 1694.
que Scio arcem & insulam sexto obsi-
dionis die expugnarunt, ast a Turcis
gemino prælio devicti suo cruore parta
non sine dedecore amisere: in Flandria
Delphinus & Lucemburgicus mira mi-
litum alacritate ad Scaldim contende-
runt, res tamen tota in vastis hæsit
consiliis, Lorgius vero trans Rhenum
cum suis progressus, vigesimo post die
flumen remensus est, non alio tanti
conatus successu, quam quod frumen-
tatione, pecuniarum exactionibus, &
pabulatione vicinas terras amissis suo-
crum non paucis exhausisset. Angli
tamen Barclaio Architalasso interce-
ptis plusquam centum navibus Gallicis
varios Franciæ portus infestarunt, at-
que assidua glandium ignivomarum e-
vibratione Dieppam, portumque Gra-
tiæ misere devastarunt. Soli Hispani
in Catalonia Gallici Martis victima
fuere; quippe a Noalio ad Thicim flu-
vium pene ad internecionem deleti,
cunctisque impedimentis exuti, insu-
per Palamum, Gerundam, Osterlium,
pluresque alias minoris momenti arces
& oppida Gallis cedere coacti sunt.
Frigescente igitur utrinque belli ardore
summus Pontifex totus in eo erat, ut
inter Principes Christianos pacem &

Sæc. XVII. A. C. 1694.

concordiam revocaret, aut saltem belli inducias procuraret: ad utrumque facilem se præbebat Hispaniarum Rex, cum autem Ludovicus Franciæ Rex inter pacis articulos in Hispaniæ Regna succedendi prærogativam Rege Hispano adhuc vivente, nec prolis suspiciendæ spe destituto sibi vendicare, ac separata pace cunctas fœderatorum vires distrahere niteretur, omnis ineundæ pacis spes in irritum cecidit: ipse etiam Pontifex ex ipsa hujus anni malacia eo sæviorem sibi præsagiebat tempestatem; quocirca ex bonis Ecclesiasticis centies mille aureos recipiendi facultatem, Venetis in Turcicum bellum concessit, Jacobo autem Angliæ Regi, urgente Forbino Cardinale sexaginta florenorum millia submisit.

§. LXX.

Philippi Thomæ Hovardi Cardinalis decessus.

Sovegos in Catal. Card. Palat. t. 5. Card.

Eodem anno, quo Raynaldus Estensis, abjecta Purpura, ob fratris sui obitum Mutinensis Ducatus regimen susceperat, Philippus Thomas Hovardus Norfolciæ Dux Purpuram unacum vita deposuit. Hic ex Regio Anglorum stemate oriundus, Londini a pientissimis Parentibus literis, pietate ac morum

morum honeſtate uberrime inſtitutus, ne ab hæreſi latius diffuſa inficeretur, in Franciam ad mentem omni ſcientiarum genere excolendam miſſus eſt. Exacto ibidem triennio in patriam redux, cum per ferale edictum aut religionem Catholicam deſerere, aut patria excedere, a Puritano Senatu juberetur, nil hæſitans, ex Anglia in Italiam profugit, ubi a Mediolanenſi Gubernatore perbenigne exceptus, Equeſtris legionis Dux nominabatur: altiore autem ſpiritu agitatus, anno ætatis circiter vigeſimo Inſtitutum S. Dominici in Cremonenſi Monaſterio profeſſus eſt. Inde Neapolin ſtudiorum cauſſa miſſus, ſacrisque diſciplinis apprime excultus, in Angliam rediit, ubi Reginæ Catharinæ Brigantiæ, quæ Regis Luſitani Soror erat, ab Eleemoſynis conſtitutus, fidem Catholicam pro viribus reſtituit, nutantes firmavit, ac devios ad veritatis ſemitam reduxit, vinctosque in carceribus ſolatus, martyres ſuppliciis addictos roboravit, eisque perſonatus Sacramenta Eccleſiæ coram carnifice & lictoribus atque in patibulis adminiſtravit. Ut vero fidei exules, ac utriusque ſexus Neo-Converſi tutum haberent Aſylum, Bruxellis Aſceterium pro Monialibus inde ejectis & Boruheimii Con-

Sæc. XVII. A.C. 1694.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

ventum PP. Dominicanorum natione Anglorum erexit, ut inde ad Miſſiones in Angliam probe inſtructi pergere poſſent. Inſuper Regium Senatum eo induxit, ut publico edicto Catholicis Religionis ſuæ libertatem indulgeret, contradicente tamen Calviniano Parlamento, cujus impulſu Hovardus, ut rebellis populi furorem declinaret, ex Anglia Bruxellas profugere compulſus eſt. Fluxerat annus ſacer hujus ſæculi ſeptuageſimus quintus, quo pro comparandis animæ divitiis Romam peregrinari ſtatuit, cumque itineri ſeſe accingeret, inopina ſorte a Clemente X. ob egregios in cauſſa fidei labores die vigeſima ſeptima Maij Romana Purpura decoratur. Romam igitur delatus, licet in Palatio Apoſtolico hoſpitium haberet aſſignatum, ac inſuper Archipresbyter S. Mariæ Majoris renuntiatus eſſet, maluit tamen inter Confratres ſuos ad S. Sabinam communem trahere vitam, eorum victu & veſtitu contentus: Mirum, quanto fervore hæreticorum converſioni ibidem intentus, Anglos e vinculo iniquitatis eripere ſtuduerit, quibus etiam per Patres Dominicanos in fidei doctrina egregie inſtitutos ingentem auri vim ſubmiſit, & Britannos in odium fidei patria pulſos ubique largis Eleemoſynis ſub-

sublevavit. Nec tamen propterea Sedis Apostolicæ obsequiis, ac propriæ salutis curæ defuit; quatuor enim Sacris Congregationibus adscriptus, gravissima Ecclesiæ negotia feliciter expedivit, utiliter gessit, ac rigidus Claustralis Regulæ Cultor omnibus verbo & exemplo profuit. Erat integerrimæ vitæ Vir, charitate fervens, eloquio suavis, moribus gravis ac venerandus: munificus in pauperes & peregrinos, atque in omnes benignus: Postquam vero ejecto Jacobo II. Rege, religioni Catholicæ in Anglia sub Auriaco Principe lethale, ac ne vix quidem sanandum vulnus esse inflictum compererat, adeo indoluit, adeo tabescere, & sensim deficere visus est, ut qui nonnisi uni Ecclesiæ, unique religioni vixit, brevi pro fide moriturus crederetur, ac ipsus de instante mortis hora certus, humili loco, in defossa humo, nullo erecto tumulo in medio chori a suis condi petiit, tandemque meritis plenus Romæ die decima Junii pie in Domino obiit, annos natus sexaginta quatuor. Sæc. XVII. A.C. 1694.

§. LXXI.

Pauli Sabelli Cardinalis obitus.

Ad hunc quoque annum a nonnullis refertur obitus Pauli Sabelli Nobilis *Old. in addit. ad Ciac.*

Sæc. XVII A. C. 1694.

lis Romani, qui a teneris beneficio naturæ & gratiæ optimis moribus ac indole prorsus ingenua præditus, spretis nuptiis licet opulentis Sacro sese cælibatui addixit. Confecto studiorum curriculo, Doctoratus laurea insignitus, primo Abbas S. Mariæ Claravallensis, postea Cameræ Apostolicæ Clericus, ac demum suffragante virtute Cardinalis Diaconus S. Mariæ de Scala ab Alexandro VII. renuntiatus est. Postea ab eodem Pontifice Æmiliana legatione honestatus, summa æquitate, prudentia, atque integritate hanc provinciam moderabatur, demum vero relicto sui desiderio, ac insignis doctrinæ, & probitatis fama decessit.

§. LXXII.

Caroli Roberti de Victoriis Cardinalis extrema.

Guald. in Theatr. Vir. Ill.

Obiit quoque Carolus Robertus de Victoriis, quo anno autem incertum, eum tamen sub Innocentii XII. Pontificatu fatis cessisse, minime dubium est. Erat is patria Romanus, adolescens excelsi, vividique ingenii, ac literis apprime excultus: Tam egregium in Theologia & Jurisprudentia progressum fecerat, ut laureatus Doctor omnibus admirationi esset. Præsulari

sulari tum veste indutus, primo utriusque Signaturæ Referendarius, ac postea plurium urbium Rector, demum vero Æmiliæ Vice-Legatus, nominatus est, ubique ingentem prudentiæ, ac moderationis laudem adeptus. Regnante Innocentio X. ob conspicua ejus merita, variis Patrum Cætibus adscriptus, rara in ferendis sententiis prudentiæ, ac integritatis specimina edidit: Postea Tharsensis Archiepiscopus ab Alexandro VII. renuntiatus, contagii tempore Commissarius Generalis, necnon Legationis Gallicæ socius Flavio Chisio Cardinali adjunctus, Nuntium Apostolicum in Franciæ Aula aliquamdiu egit: inde vero Romam reversus, a Clemente IX. ob Sedis Apostolicæ negotia integerrime gesta Purpuram Romanam unacum Legatione Æmiliana obtinuit: tandem vero caussis Reipublicæ Christianæ intentus, vitam laboribus exhaustam cum vitæ æternæ quiete commutavit. Sæc. XVII. A. C. 1694.

§. LXXIII.

Diversæ Innocentii XII. summi Pontificis Constitutiones.

Præter plures Constitutiones, quibus Innocentius Pontifex tam Sacris quam profanis necessitatibus providit, *Bull. magn. Const. Innoc. XII.* insu-

Sæc. XVII. A.C. 1694.

insuper die sexta Martii statuit, ut Confraternitatum Romanarum Ministri subsidia decem ex illis, quæ ab ejusmodi Sodalitatibus distribui solent, totidem pauperibus puellis tam in Asceterio Divinæ Providentiæ, quam in Hospitio Pauperum invalidorum, quod idem Pontifex tam pro Viris, quam puellis tuendæ earum honestatis gratia non ita pridem erexerat, quotannis assignarent. Provide etiam die quarta Novembris varia edidit statuta, quibus omni fraudi obviam iretur, ne alieni subditi ordinarentur, & dimissoriarum fides integra esset.

§. LXXIV.

Decreta diversarum Sacrarum Congregationum.

Bull. Innoc. XII. Const. 29. pag. 264. Bull. Rom. t. 7. Const. 104. Decis. SS. Congr.

Motis diversis dubiis circa Ecclesiæ Ritus, ac disciplinam hoc item anno plurium Sacrarum Congregationum decisiones emanarunt, & quidem ad dubium, an Vigilia S. Mathiæ Apostoli occurrens in feria tertia post Dominicam quinquagesimæ, possit ratione carnis privii cum jejunio anticipari, respondit S. Rituum Congregatio die vigesima tertia Januarii, negando, sed jejunium prædicta feria tertia omnino esse servandum; Hanc decisionem ipsemet

met etiam Pontifex ſua Conſtitutione ratam habuit. Decidit quoque Sacra Concilii Congregatio die ſexta Martii, quod Capellani cujusvis exercitus, ſive Regulares ſive ſæculares non poſſint adminiſtrare militibus præſidiariis Sacramentum Pœnitentiæ ſine ſpeciali licentia Sacræ Sedis vel Ordinarii, in cujus Diœceſi exſtant. Declaratum quoque a S. Rota die decima octava Junii, quod Epiſcopus duarum Eccleſiarum unitarum debeat pro unaquaque Cathedrali Canonicum Pœnitentiarium eligere. Inſuper Sacra Immunitatis Congregatio die tertia Auguſti ſtatuit, ut Facultas abſolvendi a cenſuris ob violatam Immunitatem Eccleſiaſticam aliquando committi poſſit Confeſſario. Exorto autem dubio in una Inſularum Canariæ Sacra Concilii Congregatio die decima tertia Novembris declaravit, quod Regulares, præcedente generali indictione, teneantur adire Proceſſiones publicas Corporis Chriſti, & ſimilium, niſi obſtet privilegium. Ejusdem vero Menſis die vigeſima ſeptima ab eadem Congregatione correctum fuit Synodi Miletenſis decretum, quo prohibebatur Regularibus, ne in Eccleſiis ſæcularibus ex Legato celebrent: probavit autem Sacra Inquiſitionis Congregatio die quar-

Sæc. XVII. A.C. 1694.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

quarta Decembris decretum, quo sub pœna suspensionis prohibitum, ne Mulierum, puerorumque Confessiones extra Confessionale, & non interposita Crate excipiantur.

§. LXXV.

Diœcesanæ Synodi Monasterienſis Decreta.

Concil. Germ. t. 10. pag. 214.

Habuit Fridericus Christianus de Plettenberg Monasterienſis Episcopus non modo Verno tempore, sed & in Autumno, & quidem die vigesima secunda Martii & decima Octobris pro more Synodum Diœcesanam, in qua cunctis Clericis severe inhibuit, ne vestibus laicalibus induti non sine maxima laicorum offensione incederent, proin prima vice sub pœna suspensionis, ac postea sub pœna privationis officiorum beneficiorumque præcepit, ut deinceps nonnisi nigri coloris veste uterentur: Hortabatur etiam Parochos, omnesque ad curam animarum vocatos, ut studia Theologico-Canonica sedulo recolant, & toties quoties Episcopo videbitur, examini sese sistant: Denique immodicum luxum in exequiis mortuorum prohibuit.

Sæc. XVII.
A. C. 1694.

§. LXXVI.

Principum atque illuſtrium obitus.

Jam ſupra Leodienſis Epiſcopi mortem retulimus, ſuperſunt tamen alii Principes, ac Nobiles, qui hoc anno eandem æternitatis viam ingreſſi ſunt, & primo quidem Natalia Kiriliowna Petri Alexovicii Magni Moſcoviæ Imperatoris Mater ſupremum obiit diem Februarii quartum anno ætatis ſuæ vigeſimo tertio: Hanc morte ſequebatur die vigeſima nona Septembris annos natus ſexaginta novem Leopoldus Ludovicus ultimus lineæ Veldenzianæ Comes Palatinus Rheni, cui Chriſtianus II. ſtirpis Biſchweilerianæ ſucceſſit. Deceſſit quoque die prima Martii Victoria Ferdinandi II. Magni quondam Florentiæ Ducis Vidua, jam annos nata ſeptuaginta & unum. Vivis inſuper valedixit die octava Decembris Rainutius II. Dux Parmenſis & Placentinus anno ætatis ſuæ ſexageſimo quarto: Succeſſorem habuit Franciſcum Farneſium Filium ſuum: Obiit quoque die undecimo Januarii Franciſcus Princeps de Lislebonna Dominus de Commercy, qui annum ætatis ſexageſimum octavum attigerat. Denique naturæ debitum ſolverunt Sophia Agnes Mega-

Sæc. XVII. A. C. 1694.

lopolitana Dux, & Parisiis Joannes Ludovicus Aurelianensis, qui a Societate ob mentis imbecillitatem dimissus, Regis beneficio Longavilleam Abbatiam, & postea ex hæreditate Neocastrensem Principatum obtinuit, ac propterea magnæ inter propinquos liti ansam præbuit: Die quinta Septembris Mutinæ Franciscus Atestinus Dux ætatis quidem nonnisi triginta quatuor natus, calculi vero molestia acriter vexatus mortalitatem exuit; cumque improlis esset, Raynaldus Cardinalis defuncti Patruus dimissa, ut supra retulimus, Purpura regimen suscepit: Denique Naupliæ in Peloponeso die sexta Januarii ex calculi doloribus interiit septuagenario major Franciscus Morosinus seu Maurocenus olim supremus Veneti exercitus, & postea totius Reipublicæ Dux, qui inter palmas de Turcis reportatas consenescens, etsi supremum Reipublicæ clavum teneret, raro exemplo summam in castris auctoritatem retinere jussus est: Successorem die vigesima quarta Februarii nactus est Sylvestrum Valerium, qui inter omnes Duces primus erat uxoratus, tanti a Venetis habitus, ut Elisabetham Quirinam ejus Conjugem Ducali corona simul cum Marito decorarent, eique permitterent, ut ejus Aulam Nobiles Ma-

Matronæ contra gentis uſum frequentarent. Sæc. XVII. A. C. 1694.

§. LXXVII.

Antonii Arnaldi Sorbonæ Doctoris fata.

Luxerat hoc anno tota Janſeniſtarum factio ſuum Papam, ſuum Abbatem, oraculum, ac commune refugium Antonium Arnaldum, qui ſicut olim Heroſtratus incenſo Dianæ Epheſiæ Templo famam ſui nominis dilatavit, ita Arnaldus diſſenſionum incendio per univerſam Eccleſiam ſparſo nominatiſſimum ſe reddidit: Enimvero jurati ejusdem hoſtes illum ad inferos usque depreſſerunt, eumque hominem ſui impotentem, aliorum contemptorem, iracundum, ſuperbia turgidum, & arrogantem orbisque peſtem, ſæculi ſui probrum appellitant, ac tot vitiis, quot Argus oculis, notatum depingunt, ejus vero ſectatores illum ſuis pennis ad ſydera extollunt, Solemque minori damno Orbi, quam Arnaldum Eccleſiæ eripi ſcribunt, hujus Viri charitatem, manſuetudinem, omnesque virtutes ſumme deprædicant, ac unice orationis, prophetiæ & Miraculorum dona ei attribuere reformidant. Ita pro affectuum diverſitate diverſum erat de

Necrologe de Port Royal. Bayle dict. lettr. tom. 4. Abrege de l'Hiſt. Eccl. tom. 13. Calmet Hiſt. Univ. t. 17. pag. 549.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

hoc Viro judicium: Negari tamen non potest, quod naturæ beneficio præclaris admodum dotibus exornatus, eloquentia, ingenii acie, eruditione, ac perspicuitate eminuerit, judicii tamen pertinacia, nimia sui ipsius æstimatione, indeque enata superbia ingentem nomini suo maculam inusserit. Erat is anno hujus sæculi duodecimo die sexta Februarii Parisiis natus ex Patre, qui edito *sermone ad Regem Henricum IV. libero & vero contra Societatis revocationem* sibi Jesuitarum odium accersiverat. Operam navabat primum Jurisprudentiæ, ac postea Theologiæ, Magisterio usus L'Escoti, postea Carnutensis Episcopi, cujus tamen sententias de gratia, jam tam ultra Magistrum sapere tentans, refellere aggressus, sancti Augustini libros sedulo evolvit. Anno Christi supra millesimum sexcentesimo quadragesimo primo Sorbonæ Doctor electus, ac Sacerdotio initiatus, biennio post contra Patrem Petrum de Lesmaisons Jesuitam edidit librum *de frequenti communione*, quod opus, cum Arnaldus Romæ proscribendum vereretur, totus in eo erat, ut vaticanum fulmen averteret, ac propterea undique amicos conducere sategit, quos inter non modo Bourgoisus Sorbonæ Doctor Romæ per integrum biennium, sed etiam Episcopi, qui

qui hunc librum approbarunt, ut ejus- Sæc. XVII.
dem damnationem præpedirent, omne A.C. 1694.
ſtudium impenderunt, huncque in finem die decima quarta Martii Anno 1644. Pariſiis Romam ad ſummum Pontificem ſequentem Arnaldi declarationem transmiſerunt: „cum ſolius veri-
„tatis amore, & juvandarum anima-
„rum ſtudio (ut Deum, qui veritas eſt,
„ſancte poſſum atteſtari) Librum *de*
„*frequenti Communione* ſcripſerim, ita nunc
„tam ſincere, quam libere coram Deo
„jurare poſſum, me Librum illum ſanctæ
„Romanæ Eccleſiæ, ſummique Ponti-
„ficis, quem ut ſupremum in terris
„Chriſti Vicarium cum univerſo Chri-
„ſtiano Orbe veneror, cuique me, mea-
„que omnia libens ſubmitto, Catho-
„licorum omnium Epiſcoporum, quos
„ut Patres ſuſpicio, & colo, illuſtriſſi-
„mi Archiepiſcopi Pariſienſis, cui obe-
„dientiam, quam vovi, in omnibus,
„ſemper exhibebo; Facultatis Theolo-
„gicæ, Matris meæ, quæ me ſemper
„obſervantiſſimum, & amantiſſimum
„habebit, judicio ſubjicere, ſemperque
„ſubjeciſſe. Et ſicut me, Deo lar-
„giente, nulla unquam vel tempora-
„lium bonorum cupiditas, vel malo-
„rum formido a veritate amplexanda,
„tuendaque deterrebunt, ita nec per-
„tinax, & contentioſus privatæ opi-

Sæc. XVII. A. C. 1694.

„nionis amor eo me adducet unquam, „ut vel tantillum recedam ab obsequio, „atque observantia, quam debeo, & „propenso animo reddam semper Ec„clesiæ, cujus potestatem, atque au„ctoritatem a Christo ipso manantem, „& ad nos usque continua Sæculorum „serie transmissam, & ulterius ad „mundi consummationem usque trans„mittendam in omnibus ipsius Pastori„bus, & Conciliis unam atque invio„labilem amplector, & veneror.„

Hanc vero Arnaldi submissionem minus sinceram fuisse, paulopost sat luculenter apparuit, cum enim hic in præfato libro exemplum D. Petri & Pauli adducens, *duo hæc Ecclesiæ capita* insigne nobis pœnitentiæ exemplar reliquisse scripsisset, mox Doctoribus Catholicis cum ipso hac de re expostulantibus, suæ subjectionis immemor, & correctionis impatiens suam opinionem de bicipite Ecclesia confirmare nitebatur, edito etiam libro, cujus exemplaria typographo in vincula conjecto omnia Seguerii Cancellarii jussu fuere erepta, adeo, ut solus Bouchetus unicum adhuc residuum haberet. Exorta demum Jansenistarum controversia circa gratiam Arnaldus contra Habertum & Le Moine Doctores Jansenii caussam tuebatur: Postquam vero

binas

binas epistolas suas in Liencurii Ducis favorem ediderat, Sorbona & urbe pulsus in solitudine Portus Regii, quo tota ejus familia se receperat, per viginti quinque annos vixit, nonnisi post Clementis IX. pacem redire permissus. Sæc. XVII. A. C. 1694.

Nec diu tamen patriæ aura frui poterat; de concitatis enim novis tumultibus apud Regem insimulatus, in Belgium modo Hispanicum modo fœderatum seceſſit, inde vero denuo expulsus, Leodii in tenebris aliquamdiu delituit suisque duntaxat notus, calamum suum contra Jesuitas, P. Malebranchium, P. Simonem, Steyaertium, Jurieum, aliosque plerumque in favorem Jansenistarum mire exercuit. Tandem vero Bruxellis in suburbio Coo vel ut alii volunt, in quodam Leodiensi pago noctu, quæ diem octavam & nonam Augusti intercidit, post Sacramenta a suo Parocho accepta, anno ætatis suæ octogesimo secundo animam efflavit, sepultus in Ecclesia Præmonstratensium, ubi tunc domicilium fixerat: cor ejus ad Portu-Regienses Moniales, ubi thesaurus ipsius erat, in Galliam translatum est (*). Defuncto Magistro

(*) Urnæ, cui inclusum erat Arnaldi cor, hoc epitaphium erat insculptum:

Graces

Sæc. XVII A. C. 1694.

suo sepulcralibus inscriptionibus parentare certabant ejus Discipuli, atque amici; quos inter Joannes Baptista Santavilius seu Santolius Canonicus Regularis ad S. Victorem hoc epitaphio ejus laudes complexus est.

Ad Sanctas rediit Sedes *ejectus & exul*
Hoste triumphato: tot tempestatibus actus
Hoc portu in placido, hac Sacra tellure quiescit
Arnaldus, *veri defensor*, & arbiter æqui,
Illius ossa memor sibi vendicat extera tellus,
Huc cælestis amor rapidis cor transtulit alis,
Cor nunquam avulsum, nec amatis sedibus absens.

Hoc

Graces au ciel, je suis au port
Adieu grandeurs, adieu fortune
Passant, n'en demande a Dieu, qu'une
C'est d'avoir un semblable sort.

Qui versus ita latine reddi possent:

Inveni portum, spes & fortuna valete,
Qui legit hæc, optet, sit sibi sors eadem.

Hoc epitaphium Dominus de la Femas gallice reddidit, cum autem Arnaldum vocaſſet *veritatis Martyrem*(*), *exulem*, ac inique *vexatum*, inde non pauci graviter offenſi palam aſſerebant, hæc verba in Regis injuriam ac contumeliam verti: carpebant etiam alii in Latino Epitaphio hæc verba: *Hoſte triumphato*, ac *veri Defenſor:* quapropter Magiſtratus auctoritate hæ inſcriptiones fuerunt ſuppreſſæ, injunctumque, ut aliæ componerentur, in quibus tamen nonniſi Arnaldi ſcientia & fidelitas erga ſuum Principem ce-

Sæc. XVII. A. C. 1694.

Marvill. Melang. d'Hiſt. t. 2. pag. 23.

(*) Gallica hujus epitaphii verſio erat hæc:

Enfin apres un long orage
Arnaud revient en ces Saints lieux,
Il eſt au port malgré les envieux.
Qui croyoient, qu'il feroit naufrage
Ce Martyr de la Verité
Fu banni, fu perſecuté,
Et mourut en terre etrangere
Heureuſe de ſon corps d'etre depoſitaire,
Mais ſon coeur toujours ferme, & toujours innocent,
Fut porté par l'amour, a qui tout eſt poſſibile.
Dans cette retraite paiſible
D'on jamais il ne fut abſent.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

lebraretur: quocirca Abbas Faiditus funebrem hanc inſcriptionem appoſuit.

Hic jacet Arnaldus, lucem cui
Gallia, portum
Flandria, Roma fidem, præbuit
aſtra Deus.

Pariter elogia, quibus Carolus Peraltius Arnaldum & Paſchalem honorabat, e ſuo libro (*) expungere ab Eccleſiaſticis juſſus erat: illud tamen Importunitate eorum, qui hunc librum ſine præfato utriusque Viri elogio emere recuſabant, reſtitutum eſt.

§. LXXVIII.

Arnaldi ſcripta.

Præter libros jam memoratos Arnaldus inſuper edidit Elementa Geometriæ, & tractatum de traditione Eccleſiæ circa pœnitentiam, librum de perpetuitate fidei circa Euchariſtiam, in quo quidem opere Nicoleus potiſſimam partem habuit, Arnaldus tamen Joanni Claude Calviniano Prædicanti, qui præfatum librum refellere nitebatur, oppoſuit alium librum, cui titulus: *Perpetuitas fidei in Eccleſia Catholica*

(*) Cui titulus: *Les Hommes illuſtres de France.*

tholica circa librum Claudii Carentoniani Prædicantis, scripsit etiam contra Calviniſtas librum sub titulo: *Doctrina moralis Jesu Christi, a Calviniſtis eversa*, præter alium ita inscriptum: *Calviniſtarum doctrina moralis novitatis convicta.* Edidit tres epiſtolas ad S. Facultatem Pariſienſem, aliam ad Holdenum, librum de lectione Sacræ Scripturæ, reflexiones in eloquentiam Concionatorum, propoſitiones Theologicas duas, teſtamentum ſpirituale. denuntiationem peccati Philoſophici, epiſtolas pro Liancurio Duce, aliosque contra Malebranchium, Apologiam Patrum circa gratiam, Apologiam pro Catholicis, artem cogitandi, & plurima alia in Janſenii favorem ſcripta, quæ in *Cauſſa Arnaldina* continentur, quorum tamen potiſſimi libri in Indice ſtigmate nigro notati ſunt.

Sæc. XVII, A. C. 1694.

§. LXXIX.

Scriptorum Catholicorum opera & obitus.

Quosdam inſuper alios ex Scriptoribus Catholicis, qui hoc anno obiere, luxit Respublica literaria, atque inter eos ſui deſiderium reliquit. I. Iſmael Bouillaud, qui in Calvini errore enutritus, anno ætatis ſuæ vigeſimo

Du Pin Nouv. Bibl. des Auth. t. 18. p. 105. Morer dict. Le Cerf Bibl. des Auth. Bayl. Dict. Hiſt.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

simo primo ad veritatis semitam rediit. Hic præter Philosophica & Mathematica a Philosophis plurimum æstimata scripsit latinam crisin in Chronicon S. Benigni Divionensis, Dissertationem de eodem Sancto, tractatum de Ecclesiis Lusitanis, & populis fundis, tractatum pro eisdem Ecclesiis, Historiam in Ducam de rebus Byzantinis, & tractatum de Paschate. II. Ludovicus Auberus scripsit Historiam Cardinalis de Joyeuse, tractatum de Regaliis, Historiam Cardinalis Mazarini, Præeminentiam Franciæ Regum super Cæsarem, & Hispaniæ Regem, Historiam Cardinalis Richelii, tractatum de dignitate Cardinalitia, & de justis prætensionibus Franciæ Regis in Imperium; querentibus tamen desuper Imperii Principibus Auberus propter postremum hunc tractatum aliquamdiu in carcere hæsit. Hunc primum anno sequenti die vigesima nona Januarii Parisiis anno ætatis septuagesimo nono obiisse, putat Dupinus. III. Michael Germain Benedictinus ex Congregatione S. Mauri, qui perutilem operam Mabillonio in concinnandis actis Sæculi IV. Benedictini, necnon operi de re diplomatica præstitit: insuper scripsit tractatum de Palatiis Regum, Historiam B. V. apud Sueßiones, & Historiam

riam ſynopticam de Monaſteriis Congregationis S. Mauri. IV. David Placidus Porcheron ex eadem Congregatione edidit præcepta pro inſtitutione Principis, & Synopſin vitæ Baſilii & Leonis Imperatorum. V. Julianus Morillon ſcripſit Paraphraſin in Eccleſiaſten, Tobiam & Jacobum &c. VI. Anſelmus Gribonus Ord. FF. S. Auguſtini Diſcalceatorum publici juris fecit Hiſtoriam Genealogicam Regum Franciæ & præcipuorum Belliducum, Palatium honoris ſeu genealogiam illuſtrium Franciæ & Europæ familiarum, & Palatium gloriæ &c. VII. Marinus Groſtete de Mahis Aurelianenſis Canonicus, qui ex Calviniano Præcone ſtrenuus Catholicæ veritatis aſſertor effectus, Calviniſtas acerbe exagitavit quæſtione, *cur ſeſe ab unitate Eccleſiæ ſegregarint*? hancque in rem librum de ſchismate Calviniſtarum vulgavit: poſteris inſuper reliquit tractatum, cui titulus: *Catholicæ Religionis veritas per S. literas comprobata.* VIII. Ignatius Fiume Ord. FF. Prædicatorum Epiſcopus Polinianenſis ſcripſit tres tomos ſub titulo: *Schola veritatis adverſus mendacia Lutheri, Calvini, & Proteſtantium erecta:* tractatum de Sacramentis, de Deo, Eccleſia & ſummo Pontifice, & de Verbo ſcripto ac tradito. IX. Joſephus

Sæc. XVII. A C. 1694.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

phus a S. Maria Carmelita Excalceatus elucubravit commentaria in propositiones damnatas ab Alexandro VIII. & Innocentio XI. Theatrum morale, præter conciones. X. Tussanus a S. Luca Carmelita vulgavit Historiam Generalem de Britannia Aremorica & de inquisitionibus hujus Provinciæ, Monumentum de statu Cleri & Nobilitatis Aremoricæ, antiquitatem Ordinis Equestris B. V. de monte Carmelo & S. Lazari, & Historiam Principum Comitatus Pentevriæ, & Cogitationes solitudinis de contemptu mundi.

§. LXXX.

Opera & decessus Scriptorum Heterodoxorum.

Niceron t. II. pag. 415. Lexicon Univ. Hist. Neuman. Stolb. liter.

Nec deerant Heterodoxis Scriptores, qui suis lucubrationibus cum vita finem hoc anno fecere, & quidem primus erat Andreas Müllerus, qui Waltoni opus Biblicum perfecit, & Historiam Beidavæi Sinensem cum notis, Alphabetum Japonicum, æconomiam Bibliothecæ Sinicæ, dissertationem de eclypsi passionali, observationes Sinicas & stricturas Calendarii decupli, plu-

pluraque alia edidit. II. Erasmus Franciſci ſcripſit confutationem calumniarum contra Joannem Matthæi, aceram exoticorum, Gloriam mortuorum Ethnicorum, Judæorum, & Chriſtianorum, præter deſcriptionem Regni Hungarici. III. Henricus Wharton typis vulgavit tractatum de Cælibatu, ſpeculum Eccleſiaſticum, fanatismum Romanæ Eccleſiæ in S. Ignatio Loyola, beneficiorum pluralitatem vindicatam, caſtigationem Hiſtoriæ Reformationis Burneti pluraque alia. IV. Samuel Puffendorf ſcripſit libros octo de jure naturæ & gentium, de officio hominis & Civis, Hiſtoriam de Monarchia Pontificis, introductionem ad Hiſtoriam, tractatum de habitu Religionis & plurima alia. V. Caſpar Sagittarius ſcripſit varias exercitationes, Harmoniam Evangelicam, diſſertationes circa varia inſtrumenta Paſſionis Dominicæ & quædam alia. VI. Chriſtianus Kortholt publici juris fecit Valerianum Confeſſorem, disquiſitiones Anti-Baronianas, tractatus de Canone Scripturæ, de perſecutionibus Eccleſiæ primitivæ, de Virga Aaronis, de lectione Bibliorum in linguis vulgo cognitis, de tribus impoſtoribus magnis,

Sæc. XVII. A. C. 1694.

Sæc. XVII. A. C. 1694.

gnis, de variis Scripturæ editionibus, Historiam Ecclesiasticam N. T. Papam utopicum, & schismaticum, exercitationes in Historiam Judith, commentaria in Historiam Judith, Pastorem fidelem, Paganum obtrectatorem, pluraque alia. VII. Guilielmus Saldenus posteritati reliquit exercitationes varii argumenti, concionatorem Sacrum, tractatum de libris, varioque eorum usu & abusu, aliaque nonnulla.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ.

LIBER CCXII.

INNOCENT. XII. PONTIF. MAXIM.
LEOPOLDUS I. ROM. IMP.

§. I.

Janseniſtarum libri a Mechlinienſi Archiepiſcopo damnati.

Mortuo Arnaldo necdum hoſtium ſuorum indignatio conquievit; quamvis enim doctrinam de abſolutione ante pœnitentiam peractam deneganda, quam in ſuo libro *de frequenti communione* propugnaverat, ab Alexandro VII. in propoſitione decima ſexta & ſequentibus condemnari impetraſſent, nondum tamen contenti, plurimos libros a Janſenii Diſcipulis editos, atque inter eos præfatum quoque Arnaldi librum & Methodum Huyghenianam apud Humbertum a Precipiano Mechlinienſem Archiepiſcopum

Cauſſ. Queſn. Hode Hiſt. de Louis lib. 51.

Sæc. XVII. A. C. 1695

rursus denuntiarunt. Hic ergo dictos libros censura confixit: Verum Quesnellus, qui mortuo Arnaldo Jansenianæ factionis Caput erat, maximam suis injuriam fuisse illatam ratus, Archipræsulis censuræ pro more suo probra & contumelias repositi, ac die decima quinta Januarii ad eundem Præsulem infamem prorsus libellum, quem tamen *Humillimam expositionem* &c. nominabat, typis edidit, eique exprobravit, quod rejectis saluberrimis pas-

Pag. 5.

„cuis venenum porrexerit, dum fu-
„nesta illusione Pastores, Diœcesis suæ
„grex, aliique sanam doctrinam ab-
„horrere incipiant, atque in utriusque
„hujus Sacramenti administratione &
„usu per novum hujus Præsulis Decre-
„tum innumeris sacrilegiis exponan-
„tur, falsaque pœnitentia semetipsos
„decipiant, & fors totam vitam suam
„in continua Corporis & Sanguinis
„Christi profanatione transigant, tan-
„demque in finali impœnitentia mo-
„riantur:„ postmodum Quesnelus summa temeritate Archiepiscopi sui decretum, *tanquam salutis veritati contrarium, non modo errorem haud tolerandum, sed damnabile peccatum, & abominationem desolationis* appellitabat, in ipsum quoque Archiepiscopum his verbis invehebatur. *Quis Tyrannorum unquam adeo crudelis,*

Pag. 33. 34.

Pag. 37.

delis, adeo rabidus exſtitit, ut promulgata lege ſuis ſubditis prohiberet, ne alimento ad conſervandam corporis ſanitatem vitamque inſtituto uterentur? . . . . . hoc decretum *non ex amore veritatis & juſtitiæ, nec ex Zelo erga utilitatem Eccleſiæ, ſed ex invidia, animoſitate, odio & vindicta* ortum traxit . . . . unde *ſine Dei offenſa, ſine calumniæ tam atrocis participatione approbari nequit* . . . . inde vero concluſit Quesnellus, huic decreto non eſſe obtemperandum: Verum hujus ſcripti indignitas, Authorisque audacia tantopere offendit Belgii Magiſtratum, ut Archiepiſcopi ſui honorem vlndicaturus, Quesnelli libellum ſupplicem publice carnificis manu comburi præciperet: Nihilominus haud majore reverentia eundem Præſulem inſectatus eſt Hennebelus, data ad eundem epiſtola, propter quam tamen Romæ graviter punitus eſt, eamque Archiepiſcopus per decretum prohibuit.

Sæc. XVII. A. C. 1695.

Pag. 45. 62.

§. II.

Alius liber, cui titulus: Annus Chriſtianus *ab Innocentio XII. proſcriptus.*

Verum ſacra hæc fulmina Quesnelli, eique adhærentium corda adeo non

Cauſſa Quesnel. p. 86. *&* 103.

Sæc. XVII A. C. 1695.

non ad pœnitentiam feriebant, utinde ad majorem audaciam concitati, omnes ſuorum libros vel a Papa vel Epiſcopis proſcriptos in Hollandiam, novo prælo ſubjiciendos mitterent, ac *magnam* eorum *collectionem*, Andrea Schurio Trajectenſem Typographum ſollicitante, adornare meditarentur: inde vero contigit, quod in Hollandia quamplurimi ex Clero Catholico, ac præcipue Heuſſenius, Candidus, Erckelius, Ooſterlingus, imo ipſemet Archiepiſcopus Sebaſtenus ſenſim hoc veneno inficerentur, & Quesneli aliorumque ejusdem furfuris Scriptorum opera maximo in pretio haberent, novasque eorum editiones ibidem procurarent: Jam dudum Alexander VII. librum, cui titulus: *Annus Chriſtianus* prohibuerat, ratus, Sacrorum Myſteriorum dignitati & Sacroſancti ritus Majeſtati contrarium eſſe, ſi Divina Officia pro ſingulis Dominicis & feſtis, necnon Sacramenta adminiſtrandi & officium Sepulturæ peragendi ritus &c. in vulgarem linquam verſi vulgo exponerentur: Attamen hoc ipſum Pontificis interdictum ſtimulante Quesnello Batavi Cleri cupiditatem adeo incitabat, ut præfatum librum ibidem rurſus prælo ſubjicerent, & ad cujusvis ordinis & ſexus homines transmitterent, cun-

cunctosque versiculos, orationes & reliqua in Rituali Romano contenta in Missione Hollandica idiomate Batavico legerent: Hæc novitas quosdam adeo offenderat, ut ad Mechlinienſem Archiepiſcopum hujus anni Menſe Martio rem deferrent, eo fine, ut ipſe deſuper ſummum Pontificem conſuleret: Eapropter totius rei ſeriem exponentes hæc ad Archipræſulem perſcripſere: Sæc. XVII. A.C. 1695.

„Ab aliquibus menſibus R. P. Van „Hoorn ex Ordine Dominicanorum præ„dicavit, Miſſam & Canonem Miſſæ lin„gua vulgari impreſſam non debere „dari populo legendam, & tales im„preſſiones per Bullam Alexandri VII. „damnatas eſſe ſub pœna excommuni„cationis majoris. Ampliſſimus Hugo „Van Heuſſen Provicarius Ultrajecti„nus Leidæ habitans vocavit dictum „Patrem, ipſum corripuit, quod talia „prædicaret, & dixit, optimum eſſe, „quod populus lingua vulgari Miſſam, „& Canonem legeret, quia, inquit, „adſtantes Laici ſunt ſacrificantes cum „Sacerdote, debent ſcire, quid legant: „quoad Bullam Alexandri VII. reſpon„dit dictus D. Hugo Provicarius, hoc „totum fuiſſe pro Gallia prohibitum, „ſed non pro Hollandia, cum tamen „ſub Alexandro VII. tot ferme eſſent „hæretici in Gallia, quam nunc in

Sæc. XVII. A. C. 1695.

„Hollandia, in quorum hæreticorum „favorem prætendit dictus Hugo, de„bere omnia Belgice legi.„

„A paucis menſibus idem Hugo in „ſua Eccleſia inter Miſſarum Solemnia „publice Sacramentum Matrimonii ad„miniſtravit Domino Van Aelteren & „ipſius ſponſæ lingua Belgica, omnes „ſcilicet verſiculos, Orationes, & om„nia, quæ ſunt in Rituali, Belgice le„gens.„

„Menſe ultimo Februarii, idem „Hugo publice cum rochetto & ſtola „officium Sepulturæ cujusdam filiæ „devotæ Catharinæ Bannier totaliter „lingua Belgica celebravit, ab initio „usque ad finem, incenſationes, aſper„ſiones, & omnia generaliter ex Ri„tuali Romano Belgice alta voce, & „ſolemniter pronuntians, & hoc præ„ſentibus tot perſonis Catholicis ex „utroque ſexu, quot poterat continere „magna camera, in qua Corpus de„functæ jacebat, in domo Domini Brien „medici ad inſigne Vituli coronati in „platea Harlemenſi.„

„Idem Hugo adminiſtrat Baptis„mum, extremam unctionem lingua „Belgica, omnia ex Rituali Romano „Belgice pronuntians. Omnia ſupra„dicta ſunt publica, & Lugduni Bata„vorum pluries, & coram perplurimis „teſtibus facta.„

Hoc

Sæc. XVII. A.C. 1695.

„Hoc interim est Causſa maxima„rum quæstionum inter amicos, & pœ„nitentes dicti D. Hugonis van Heuſſen „Provicarii, & amicos, & pœnitentes „aliorum Sacerdotum, & Missionario„rum.„

Re igitur a Patribus Congregationis de propaganda fide mature discussa, Innocentius XII. Papa hunc librum, cui titulus: *Annus Christianus, seu Missæ in Dominicis, feriis & festis totius anni unacum alio libello de devotione & cultu B. V. debito*, die septima Septembris proscripsit: edito hoc decreto: „Sacra „Congregatio &c. de mandato Sancti„tatis suæ, præsenti decreto prohibet „& damnat infra scriptos libros, folia „& Theses, videlicet: *de Devotione B. „V. M. &c. & Annus Christianus* &c. „undecim Tomis Auctoris Anonimi, in „quibus continetur Missale Romanum „in idiomate Gallico translatum, jam „ab Alexandro VII. prohibitum, & „quatenus opus sit, denuo prohibetur.„

„Hos itaque Libros, Folia, & The„ses respective prohibitos, & damna„tos per idem Decretum eadem Sacra „Congregatio de mandato, ut supra, „vetat, ne quis cujuscunque sit Status „& Conditionis, & quocunque idio„mate, & versione impressos, vel im„primendos in quocunque loco audeat

Sæc. XVII. A. C. 1695.

„ullo modo, & sub quocunque præ-„textu imprimere, vel imprimi facere, „neque impressos apud se retinere, & „legere licite valeat; sed ipsis Ordina-„riis locorum, aut hæreticæ pravita-„tis Inquisitoribus statim, & cum ef-„fectu tradere, & consignare teneatur, „sub pœnis in indice Librorum pro-„hibitorum.„

Quam indomitis autem furiis denuo Quesnellus in hoc quoque decretum debacchatus sit, vix calamo aut lingua exprimi potest.

§. III.

Inquisitionis censura in Acta Sanctorum a Bollandistis concinnata.

Acta Boll. vindic. Argentré coll. Jud. part. 3. pag. 394. Bibl. Carmelit.

VIX Hagiographi Belgæ primos sui operis tomos publicæ luci donaverant, cum illico quamplurimi eos aggrederentur, de injuriis, ac temerariis opinionibus postularent, errorumque convincerent. Ad molem operis crescebat adversantium, Censorumque numerus atque auctoritas: habebant Franciscani, Minimi, Dominicani, Benedictini, omnisque Status & conditionis Viri, quod in hisce libris carperent, & quasdam illorum partes criminarentur: Primum vero discordiæ pomum inter Jesuitas & Carmelitas jecit

jecit P. Daniel Papebrochius Jesuita, qui Henschenio in colligendis Sanctorum actis adjunctus erat. Hic non modo hujus Ordinis antiquitatem impugnare, sed etiam plurimos Sanctos eidem conjecturis, ac potissimum argumentis, ut vocant, negativis abjudicare aggrediebatur, quo comperto supremus Ordinis Præpositus Generalis Matthæus Orlandus, Papebrochium moneri curavit, ne sua scribendi intemperie charitatis vinculum dissolveret, non sine Catholicorum, hæreticorumque offensione: cum autem Papebrochius a semel concepto Historiam Carmelitanam impugnandi proposito recedere nollet, Franciscus Bonæ spei Carmelita Ordinis sui Historiam edito armamentario suo comprobavit, his autem a Papebrochio flocci habitis Carmelitæ R. P. Olivam Societatis Generalem rogarunt, quatenus dissensionum semina in suo ortu suffocare vellet: Hic quoque die decima quarta Novembris anno hujus sæculi septuagesimo primo ad præfervidum hunc Jesuitam has dedit literas, „R. P. PP. Carmelitæ valde „desiderant, ut cum in actis Sanctorum, „in quibus conscribendis Rev. Vestra „versatur, Ordinis istius mentio incide„rit, antiquitatem illius, quam aliqui „etiam e Nostris Scriptoribus adstruxe-

Sæc. XVII. A. C. 1695.

Sæc. XVII. A. C. 1695

„runt, minime impugnet; quin potius „confirmet, si quæ forte in eam rem „argumenta suppetant. Cum igitur „præclaræ hujus Religiosæ familiæ „causſa plurimum cupiam, ad mentem „plane meam, votumque faciet Rev. „Vestra, si ipsorum hac in re deside„rium fecerit satis. Et certe antiqui„tatis gloria, quæ huic Ordini tribui„tur, a nobis, si non confirmanda, „*saltem impugnanda non est.*

Verum nec Generalis sui monita animum Papebrochii immutare poterant: instant Carmelitani Belgæ apud eundem iteratis literis, traditisque scriptis, ac verbis omni humanitate plenis declarant, se nullam velle habere partem in hisce amaris querelis; ast cuncta pro conservanda pace excogitata media erant frustranea, pergebat ille mordaci suo stylo Sanctorum vitas suggillare, etsi rursus a Societatis Præposito jussus fuisset, ut cujusdam sancti Carmelitæ *vitam cum novitiis & inauditis hactenus notis suis supprimeret, nec eam cum ceteris Sanctorum Actis distrahi sineret*: Nulla igitur spes aliunde, quam a Sacra Sede affulgere videbatur: unde P. Sebastianus a S. Paulo Provinciæ Flandro-Belgicæ Provincialis anno hujus sæculi octogesimo tertio Libellum supplicem Innocentio XI.

&

& decimo post anno alium Innocen- Sæc. XVII.
tio XII. obtulit, supplex, ut Pontifex A. C. 1695.
una ex parte perpensis Carmelitarum fundamentis, ex altera Papebrochii hallucinationibus, quid juris esset, pronuntiare dignaretur. Hæc cum Romæ ac in Belgio gererentur, acrius in Hispania scriptis ultro citroque editis certatum est, Carmelitis apud Inquisitionem Generalem læsum jus reparari rogantibus, eo autem tempore Didacus Sarmiento Valladares Generalis Inquisitor Jesuitis oppido addictus prævaluit, quo tamen fatis functo Carmelitæ Papebrochii, sociorumque acta rursus apud Toletanæ Inquisitionis tribunal detulerunt. Igitur Inquisitionis Qualificatores re mature discussa, perpensisque accusationum articulis, atque excerptarum propositionum offendiculis die decima quarta Novembris quatuordecim tomos: *Acta Sanctorum* inscriptos proscripsere, edito decreto sequenti:

„Nos Inquisitores Apostolici, adver„sus Hæreticam pravitatem, & Apo„stasiam in urbe, Regno, & Archiepi„scopatu Toletano, necnon Jurisdi„ctione Abulæ, Segoviæ, Siguntiæ, „& in iis, quæ citra sunt, partibus Au„thoritate Apostolica, & ordinaria &c. „omnibus & singulis cujuscunque gra„dus,

Sæc. XVII. A. C. 1695.

„dus, Status, Conditionis, Præemi-
„nentiæ, Dignitatis sint, sive exempti,
„sive non vicini, commorantesque hoc
„in oppido Toleti cives, aliarumque
„civitatum, vicorum, cæterorumque
„præfatæ Jurisdictionis nostræ locorum
„Incolæ. Notum facimus, resciviſſe nos
„fuiſſe libros quospiam typis mandatos,
„ac evulgatos, quos omnes colligi, &
„collectos omnino prohiberi jubemus.
„Sequentes ejusmodi sunt:

„Liber in Folio, primus, secundus
„& tertius, cui titulus est: *Acta San-*
„*ctorum Martii*, editus Antverpiæ a-
„pud Jacobum Meursium, prior uter-
„que Tomus Anno 1668. posterior item
„Anno 1668.

„Liber alter, primus, secundus,
„tertiusque Tomus, qui inscribitur:
„*Acta Sanctorum Aprilis*, impressus Ant-
„verpiæ apud Michaelem Knobbarum
„Anno 1675.

„Alius item Liber primus, secun-
„dus, tertius, quartus, quintus, sex-
„tus ac septimus Tomus, inscriptus:
„*Acta Sanctorum Maij:* quique impres-
„sus Antverpiæ est; primus quidem,
„secundus & tertius Tomus Anno 1680.
„quartus & quintus Anno 1685. sextus
„demum atque septimus Anno 1688.

„Liber iterum alius, cui titulus;
„*Propilæum ad Acta Sanctorum Martii:*
„Edi-

„Editionis Antverpienſis, apud Michae- Sæc. XVII.
„lem Knobbarum, Anno 1685. ut ex A. C. 1695.
„operis dedicatione patet, quorum om-
„nino quatuor ſupra decem tomi ſunt, Au-
„thores eorum ſunt Godefridus Henſche-
„nius, & Daniel Papebrochius Societa-
„tis Jeſu.

„Cum in iis vero Propoſitiones ha-
„beantur erroneæ, hæreticæ, ſapien-
„tes hæreſim, in fide periculoſæ: ſican-
„daloſæ, piarum offenſivæ aurium,
„ſchismaticæ, ſeditioſæ, temerariæ,
„audaces, præſumptuoſæ, ſummis plu-
„ribus injuriæ Pontificibus, ſanctæ Sedi
„Apoſtolicæ, Sacræ Rituum Congre-
„gationi, Breviario, Martyrologioque
„Romanis, nimiumque quibusdam ali-
„quorum eximiis Sanctorum virtutibus
„detrahentes: plurima item ſcripta,
„necnon contra debitam in Sanctis Pa-
„tribus plurimis, ac in primis gravibus
„Eccleſiaſticis Theologis reverentiam
„Clauſulæ. Quin etiam cum propoſi-
„tiones contineant, quæ Statum læ-
„dunt Religioſum & complures Ordines,
„Carmelitas maxime, ipſorumque Scri-
„ptores graviſſimos: Nationes bene
„multas, & Hiſpaniam præcipue; plu-
„rima item dogmata, quæ ſummi
„Pontifices, & Eccleſia prohibuerunt,
„ac damnaverunt, utpote edita nota-
„tis infamia ab Authoribus, ſuæ ipſo-
„rum audacter Doctrinæ fidentibus, ut
„eam,

Sæc. XVII. A. C. 1695 „eam, quæ Sanctorum eſt, & Eccle„ſiæ Traditiones impugnent.„

„Idcirco præcipimus, ne quis qua„liscunque Status, dignitatis, aut con„ditionis ille ſit, aſſervet, legat, aut „dictos vendat libros, ſeu impreſſos, „ſeu manuſcriptos, ſeu præfatæ ſint, „ſeu alterius Editionis; vel typis eos„dem mandet, emat, aut vertat de„nuo, ſub ipſa Excommunicationis Ma„joris latæ Sententiæ, ducentorumque „Ducatuum pœna ſolvendorum, qui „ſancto attribuantur officio; monemus„que fore, ut adverſus inobedientes „procedatur. Mandamus inſuper, ut „ab illa die, qua noſtrum hoc lectum „diploma fuerit, aut vobis quocumque „modo notum, intra ſeu ſubſequentes „dies, & eos quidem peremptorios, „afferatis, Nobisque, aut hujus ſancti „Officii Commiſſariis, qui noſtræ Juris„dictionis in locis exiſtunt, præfatos „exhibeatis libros, quo id genus om„nes ad nos deferant, eosque, quos „ab aliis haberi ſciatis, & occultari, re„nuntietis. Sin aliter, & ſecus egeri„tis, ipſi nos ex nunc pro tunc, & „ex tunc pro nunc ferimus, ac promul„gamus in vos & unumquemque veſtrum, „contumaces, atque noſtro rebelles „juſſui (dictis, repetitisque præfatis „monitionibus, Canonicis in Jure præ„miſſis

„missis) superius latam Excommuni- Sæc. XVII.
„cationis Majoris Sententiam; & ut A. C. 1695.
„tales vos habemus, qui prædictas tum
„Censuras, tum pœnas incurreritis.
„Commonemus porro adversum vos, ut
„illæ mandentur executioni, & prout
„de jure videbitur, iri processum. In
„quorum fidem dari præcipimus, &
„ipsi nostrum diploma damus, quod
„nostris nominibus, tam sancti Officii
„Sigillo munitum, & ab uno a secreti
„Secretariis, in tribunali sancti Officii
„Inquisitionis Toletanæ, relatum die
„decima quarta Novembris, Anno
„Christi millesimo sexcentesimo nona-
„gesimo quinto.„

Hujus Toletanæ Censuræ æquitas tam luculenta, tamque necessaria videbatur, ut ceteri etiam Hispaniæ Inquisitores pariter publico decreto præfata Acta proscriberent, quo & quidem hoc adhuc anno Madritenses die vigesima nona Novembris, Cæsar-Augustani & Arragonici die octava ejusdem Mensis, Castellani die vigesima tertia Decembris & Vallisoletani decima quinta præfati Mensis, quibus anno sequenti die decima quinta Januarii accesserunt quoque Lusitani, quorum supremus Præses ac Inquisitor Josephus de Lancastro Auctoritate Apostolica sub pœna excommunicationis sibi reserva-

Sæc. XVII. A. C. 1695.

servatæ præcepit, ut Acta Sanctorum, eoquod *in illis propositiones contra Sanctorum Patrum doctrinam, communemque Ecclesiæ sensum* contineantur, *sancti officii Commissariis tradantur, & denuntient eos, qui prædictos libros retinent, aut ab aliis retineri noverint.*

§. IV.

Mulieris Guyoniæ causſa in Galliis examinata.

Argentre Coll. jud. part. 3. fol. 393. Arnold hist. Hæret. p. 4. sect. 3. pag 1109. Hode Hist. de Louis l. 51. & 52.

Sub idem tempus Quietismi enthusiasmus, fanatici raptus, & enthei Spiritus, purioris contemplationis, ac vitæ exstaticæ velo obtecti ex Hispania & Belgio in Gallias quoque transmigrarunt: ac primo quidem prodiere e suis latebris plures libri hoc veneno infecti, quorum quosdam ab Harlæo Archiepiscopo Parisiensi damnatos fuisse, anno priori meminimus: nec tamen propterea defecere, qui vel novitatis prurigine incitati, vel pietatis specie, atque incauta ejusmodi librorum lectione seducti fanatica hæc dogmata ore & calamo propugnarent: Hos inter Antesignanam merito dixerim famosam illius ævi Mulierem Joannam Mariam Bauriers de la Mothe Guyoniam. Hæc præter jam allegatos duos libros edidit quoque alium sub

sub nomine: *Torrentes*, explicationem in V. & N. Testamentum præcipue in Apocalypsin, pios sermones, epistolas, & alia ejusdem generis opuscula, in quibus tamen nonnisi fanatica deliria, ac pernicioſæ doctrinæ continebantur; docebat enim totius internæ vitæ clavem consistere in plena quiete & indifferentia circa omnia, etiam circa salutem, ita ut mens in Deo absorpta nihil appetat, neque infernum timeat, nec cælum speret, nihil a Deo petat, de nulla re neque de ipso peccato doleat, nulla re moveatur, sed in sola Dei contemplatione & amore puro penitus conquiescat, atque anima ad demonstrandam suam fidelitatem sepeliatur, conteratur, suum fœtorem patiatur, & sine corruptionis evitandæ cura in infima Divinæ voluntatis abysso contabescat, sensimque suo fætori assueta, in quiete maneat, nec inde unquam exire speret. Tum vero extremam miseriam sibi haud ultra horrori futuram, ad S. Synaxin, sicut ad communem mensam connaturaliter accedere, in Confessione ex obedientia sese accusare, & sine dolore confiteri incipiat, eoquod tum nec conscientiam, nec accusatorem, utpote jam in Deo penitus absorpta, ultra habitura sit. In sua Apocalypseos explicatione Prophetis-

Sæc. XVII. A. C. 1695.

Sæc. XVII. A C. 1695

sam egit, varias visiones retulit, atque audacter effata est, quod intima animarum cognoscat, & in eas, non minus quam in corpora prodigiosam habeat auctoritatem, eamque Deus elegerit, ut humanam rationem destrueret; *quicquid*, inquiebat ipsa, *solvero, erit solutum, & quicquid ligavero, erit ligatum: ego sum lapis iste sanctæ Cruci infixus, quem reprobaverunt ædificantes.* Quandoque se hoc Spiritu adeo plenam fingebat, ut de vita sua periclitari visa, mox revocandi halitus gratia, pectorali tunica exsolvi deberet, & ejus etiam corpus reipsa in variis partibus dissiliret: Tantam vim habet in fœminis depravatæ phantasiæ pestis: cum autem Guyonia non modo generis nobilitate, sed etiam externa morum compositione inclaresceret, dudum a Censorum insectatione tuta erat, & quod sane mirum est, etiam non pauci probitate, & scientia spectatissimi hujus mulieris consortio delusi, admiratione & æstimatione tam sublimis Magistræ defixi hærebant, eamque celeberrimis illis accensebant Mysticis, *qui fidei mysteria in conscientia pura portantes, si peccarunt, duntaxat in verbis non in re offenderunt, dum quo magis in interiori via versati, eo minus exacte atque ad Theologiæ limam alios instruere potuerant:* nihilominus

minus tamen multo plures hujus fœminæ illusionem, ac quietismi fermentum suspicabantur, ipsa quoque multorum indignationem sibi attraxerat, eoquod non pauca de semetipsa jactitaret, quæ menti ejusmodi deliriis non obfuscatæ merito offensioni essent; cum ergo indies contra novam hanc doctrinam graviores apertæque moverentur querelæ, Fenelonus Abbas Delphini Moderator, huic mulieri author erat, ut Benigni Bossueti Meldensis Episcopi judicio atque examini cuncta sue scripta, tam edita quam nondum vulgata, vitæque suæ Historiam a se exarratam traderet: Obstupuit Meldensis, de cunctis ejus deliriis, damnatisque erroribus plene informatus & quamvis minime dubitaret, illam enormiter illusam fuisse, præcipue cum asserere haud dubitasset, se non posse aliquid petere a Deo & tamen orandi ad Deum methodum traderet, nihilominus alios pietate ac scientia claros Præsules in consilium adhibuit, ipsusque sæpius cum hac fœmina egit, ipsius scripta discussit, eaque sedulo contulit cum illis libris, quos præcipui vitæ internæ Magistri SS. Franciscus Salesius, Theresia, Joannes a Cruce, Thaulerus, Rusbrockius, Blosius & alii excellentes Mystici Doctores de contemplatio-

Sæc. XVII. A. C. 1695.

Sæc. XVII. A. C. 1695.

ne, sublimi oratione, & amore Dei scripserunt. Tenuit octo menses discussio hæc Issyæ habita, interim vero hæc fœmina usu Sacramentorum interdicta est: Paruit illa, datis tamen literis per Maintenoniam Nobilem Matronam Ludovico Regi supplicabat, ut in ejus vitam inquiri, quibusdam Deputatis præciperet, eo fine, ut ea a criminibus sibi imputatis vindicata, ad doctrinæ suæ examen cum minori animi præventione procedi posset: postea Bossueto Noallium Catalaunensem Episcopum, & Trosonium Sulpitianæ Congregationis superiorem Generalem adjungi petiit: Id quoque datum est ejus precibus: die igitur decima Martii hoc anno Ludovicus Antonius Noallius, qui defuncto Harlæo, in Parisiensem Archiepiscopum non ita pridem nominatus erat, ceterique Examinatores, triginta quatuor articulos seu errores ex ejus scriptis decerptos proposuere, ac quemlibet suis censuris notarunt, quibus Guyonia interim in cœnobio Monialium Meldis custodita, haud cunctanter subscripsit, palam contestata, nunquam suæ mentis fuisse, aliquid scribere aut loqui contra doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, cui ex integro semper esse subjecta velit. Verum paulopost contra mandatum rursus docere, sua-

ſuaque deliria ſpargere cæperat, qua- Sæc. XVII.
propter deſuper accuſata in carcerem A.C. 1695.
data eſt; rurſus tamen emiſſa fidei &
obedientiæ profeſſione in libertatem aſ-
ſerta Bleſas migrandi licentiam obti-
nuit: priusquam vero inde abiret, ei-
dem injunctum, ut deinceps non alium,
quam Jeſuitam in conſcientiæ ſuæ mo-
deratorem eligeret, & rurſus ſeſe pro-
nuntiato in eam judicio, ac Eccleſiæ
doctrinis ſubjiceret: ad quæ ipſa re-
ſpondit, „ſe hoc veritati teſtimonium
„reddere eſſe obſtrictam, quod ſuis
„loquendi modis nunquam errores in
„illis reipſa contentos docere intende-
„rit, nec unquam crediderit, eos in
„tam perverſo ſenſu accipi poſſe.„
Tandem vero dimiſſa Bleſis pie vixit,
ac die decima ſexta Junii Anno Chriſti
milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſepti-
mo inter luculenta pœnitentiæ ac pie-
tatis ſigna deceſſit: reliquit etiam Te-
ſtamentum vere Chriſtianum, in quo
præmiſſa fidei Catholicæ profeſſione in
veritatis, ſuæque integritatis teſtimo-
nium jurato conteſtata eſt, ſe in Ec-
cleſia Romano-Catholica, cui ſemper
tota mente adhæſiſſet, mori paratam
eſſe, ac ſemper in animo ſuo ab ob-
jectis doctrinis alienam, nunquam in
abominandis Molinoſii erroribus par-
tem habuiſſe: ſuis vero accuſatoribus

Sæc. XVII. A. C. 1695.

non modo plene ignoscere, sed nequidem gestorum memoriam ultro habere velle.

§. V.

Bailleti liber de devotione B. V. *ab Innocentio XII. proscriptus.*

Si Guyonia per indiscretam suam pietatem in crassos omnino errores prolapsa est, certo Adrianus Bailletus in debito Sanctorum cultu defecit. Scripsit tractatum de devotione Beatæ Virginis, & de cultu eidem debito, in quo si devotionis excessum quandoque in superstitiones degenerantem, qui ex vulgi imperitia, non Ecclesiæ doctrina ortum trahit, carpsisset, atque a rudium animis penitus eliminare studuisset, nequidem a zelosissimo Mariani cultus Defensore rejici potuisset, postquam vero omnem B. V. cultum eidem ingratum, nobisque inutilem, Mariam peccatoribus minime propitiam, originali labe infectam, atque in cælos non fuisse assumptam, pluraque alia contra Ecclesiæ praxin, & SS. Patrum doctrinam effutierat, merito Innocentius XII. Papa hoc anno die septima Septembris ejus librum, atque ejusdem novam editionem sexto post anno die vigesima sexta Octobris, *donec corrigatur* in Indicem

Vid. supra §. 2. *p.* 279.

cem proſcriptorum librorum referri juſſit, cujus decretum jam ſupra retulimus. Sæc. XVII. A. C. 1695.

§. VI.

Cleri Gallicani edictum circa Jurisdictionis Eccleſiaſticæ limites.

Jam per plurima ſæcula viguit Sacerdotium inter & Imperium ingens diſcordia circa Jurisdictionem Eccleſiaſticam & ſæcularem; adeo ampla primis duodecim ſæculis erat Epiſcoporum jurisdictio, ut non modo de Clericorum ſed & Laicorum cauſſis etiam civilibus & criminalibus plenam judicandi facultatem ſibi arrogarent; Pontifices quoque ſupremæ eaque univerſalis in Eccleſiam poteſtatis titulo ſuam jurisdictionem immenſis pene ſpatiis in omnes res, perſonas, & cauſſas, ſi non directe, ſaltem indirecte extendiſſe arguebantur: ſenſim vero effuſiori huic Eccleſiaſticæ jurisdictioni limites opponebantur a Principibus, quorum edictis cauſſæ reales, imo & actiones perſonales Eccleſiaſticis interdictæ, per concordata jus nominandi Principibus vindicatum, & immunitas realis & perſonalis admodum reſtricta fuit, ita, ut re ægre ſaltem in Galliis, in cauſſis mere ſpiritualibus & in ſacramentorum

Rroces verb. de l'aſſ. gen. du Clergé 26. Maij Abregé chron. de l'Hiſt. p. 494.

Sæc. XVII. A. C. 1695.

administratione remaneret intacta Ecclesiæ jurisdictio: inde vero tot querelæ, totque lites: clamant Sacerdotes, clamant Principes, Deo reddenda esse, quæ Dei, & Cæsari, quæ Cæsaris: objiciunt Principes scutum superioritatis territoralis, & juris Majestatici, favet prærogativa Advocati Ecclesiæ, Defensoris & executoris S. Canonum: opponunt Ecclesiastici jus Divinum, manus profanas in sancta Sanctorum injicere prohibens: Nullibi autem ob labefactatam jurisdictionem Ecclesiasticam acriores quam in Francia querelas moverunt Clerici; ibi enim non modo Clericorum caussæ & res mixti fori Ecclesiasticis subtrahuntur, de matrimoniis impedimentis statuitur, Professiones Religiosæ annullantur, in ætate dispensatur, leges in caussis Ecclesiasticis sanciuntur, Synodorum Canones & Pontificum decreta a Laicis examinantur, sed etiam introducta *appellatione ab abusu* Parlamentum libere caussas omnes ad suum tribunal evocat: eapropter Clerus Gallicanus identidem apud Franciæ Reges contra Regia Parlamenta querebatur, supplex, ut Ministrorum violentiis, quibus suis juribus abutentes, cunctos potestatis suæ limites longe excedunt, frænum injiceret, ac tandem caussas, in quibus *appellatio*

pellatio ab abuſu ſeu querelæ de turbata Laicorum jurisdictione ad Regios Magiſtratus delatæ locum habeant, exprimere, harumque appellationum uſum & numerum reſtringere vellet. Enimvero ad Cleri preces emanarunt Regis edicta, quibus cautum, ut appellationes ab abuſu, nonniſi ab abuſu notorio, atque in cauſſis arduis & publicis Rempublicam concernentibus admittantur: verum Parlamenta, ſpretis Cleri querelis, & Regum edictis, non raro in cauſſis etiam levioribus ejusmodi appellationes admiſere, quocirca Clerus Gallicanus in ſuis comitiis anno hujus ſæculi nonageſimo decrevit, Regi rurſus deſuper ſupplicandum, eique oppreſſæ jurisdictionis injurias totorationum verborumque pondere eſſe exponendas: Hoc igitur anno Clerus hunc in finem in oppido S. Germani in Laya habuit comitia, quæ Boucheratus Franciæ Cancellarius, & Harlæus primarius Curiæ Præſes accedere juſſi ſunt, eo fine, ut dubia circa utramque Eccleſiaſticorum jurisdictionem diſſolvere, firmasque leges deſuper ſtabilire, junctis viribus ac conſiliis adlaborarent. Igitur edictum conficitur, in quo ſingula capita, quæ tam diſciplinam Eccleſiaſticam, quam regimen politicum, & morum correctionem re-

Sæc. XVII. A. C. 1695.

Sæc. XVII. A. C. 1695

ſpicerent, enumerantur, ſtabilitur quoque forma, juxta quam in Jurisdictione ſeu Tribunali Eccleſiaſtico & profano cauſſæ Clericorum inſtruerentur; firmantur jura & prærogativæ, ac honores ſuperioribus Eccleſiaſticis debiti, ac denique præſcribuntur Regulæ, ex quibus diſcerni poſſint caſus, quando Judices Eccleſiaſtici aut Laici, vel quilibet aut ſeorſim, aut cumulative de aliqua cauſſa cognoſcendi jus habeant &c. Hoc edictum Menſe Aprili auctoritate regia firmatum die decima quarta Maij Pariſini, & poſtea omnium reliquarum Provinciarum (excepta Flandria) Parlamentorum actis inſertum eſt: inde vero plura jura Epiſcopis denuo fuere aſſerta, quæ Clerus Gallicanus tum eo facilius a Ludovico XIV. obtinuerat, quo ampliora pecuniarum ſubſidia ad bellum Gallicum conferre, a Rege juſſi fuerant; quapropter Harlæus Pariſienſis Archiepiſcopus ac Conventus Gallicani Præſes velut de reportata inſigni victoria gratulabundus in hiſce comitiis Congregatos ita alloquebatur: „Nihil „hucusque Clerus Gallicanus intenta„tum reliquit, ut confuſioni, qua jam „a longo tempore jurisdictio Eccleſia„ſtica & profana perturbata fuit, re„medium opponeret, ac tandem fir„mam legem obtineret, vi cujus Clero „ſuis

„ſuis juribus legitimis, ſibique propriis „denuo quiete frui liceret: Hanc in „rem ſæpius humillima veneratione Re- „giæ Majeſtati ſuæ ſupplices porrexi- „mus libellos, obtinuimus etiam non „raro reſponſa oppido favorabilia, quæ „tamen, cum in acta Parlamentorum „non fuiſſent relata, effectu caruere: „tandem Rex, quantumvis pro Regni „ſui ſalute anxiis oppido curis immer- „ſus eſſet, Eccleſiæ tamen Zelo in- „cenſus, pridie ante diſceſſum ſuum „ad Compendienſe Palatium, ſingulos „hujus edicti articulos diſcutere, ipſus- „que tam rationes a Clero allegatas, „quam ab aliis oppoſitas ponderare, „ac dijudicare dignatus eſt: tandem „vero hoc edictum eo tenore, quo „nunc exſtat, ut petitioni ac Cleri de- „ſideriis ſatisfaceret, confici, promul- „gari, atque a Pariſienſi Parlamento „ante Seſſionum initium ad acta re- „ferri juſſit: Eſt autem hoc edictum „adeo proficuum, ut Clerus ſibi plu- „rima commoda inde redundatura pol- „liceri valeat . . . . Sublata demum „ſunt obſtacula, quibus toties Epiſcopi „in ſuæ jurisdictionis uſu præpediti „fuere; obvia quoque ſunt media, „quibus pax & diſciplina reſtaurari pot- „erunt &c.„ Huic edicto anſam quoque præbuere graves oppido querelæ, quas

Sæc. XVII. A. C. 1693.

Pon-

Sæc. XVII A. C. 1695

Pontifex contra quoddam Regis edictum hoc anno die undecima Aprilis promulgatum moverat; Ludovicus enim Rex cunctis Regni sui Episcopis nova jura in Regulares, eorumque loca & bona tribuit, concessitque, ut cujuscunque Ordinis monasteria visitare, & Regularem disciplinam, si cum publicæ ædificationis dispendio relaxatam crederent, restaurare possent: cum ergo Pontifex hac lege limites Regiæ potestatis excedi, novamque auctoritatem usurpari arbitraretur, hoc Regis edictum omnino irritum esse declaravit, inde vero in utroque foro hæc quæstio maxima animorum contentione agitabatur, Rex tamen saniora edoctus huic liti finem imposuit, totoque negotio in pristinum statum revocato declaravit, se nonnisi Dei cultum, majoremque honorem præ oculis habuisse, nec unquam supremi Ecclesiæ Capitis jura violare intendisse.

§. VII.

Duodecim Præsules ab Innocentio XII. Romana Purpura decorati.

Theatr. Europ. t. 14. Forresti chart. mundi part. 2.

Postquam variæ simultates inter Sedem Apostolicam & Aulam Gallicam sedatæ fuerant, Pontifex quosdam Præsules Sacro Purpuratorum Col-

Collegio adscribere statuit, ac die duodecima Decembris, horum duodecim promulgavit: Ex his erat primus Sebastianus Antonius Tanara Bononiensis in Cæsaris Aula Apostolicus Nuntius Presbyter Cardinalis tit. Quatuor Coronatorum. II. Jacobus Boncompagno pariter Bononiensis ibidemque Legatus Apostolicus. III. Joannes Jacobus Cavallerini patria Romanus. IV. Fridericus Caccia, Mediolanensis. V. Thadæus Ludovicus del Verme Placentinus Farnensis Episcopus Presbyter Cardinalis tit. S. Alexii. VI. Thomas Maria Ferrari ex Ord. FF. Prædicatorum, Magister S. Palatii, natus Manduriæ in Neapolis Regno Presbyter Cardinalis tit. S Clementis. VII. Josephus Sagripantes Narniensis & Lusitanus Papæ Nuntius. VIII. Cælestinus Sfondrati Ord. S. Benedicti, Mediolanensis, Abbas ad S. Gallum Cardinalis Presbyter tit. S. Cæciliæ. IX. Henricus Noris Ord. FF. Eremitarum S. Augustini, Veronensis, Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus Presbyter Cardinalis tit. S. Augustini. X. Joannes Baptista Spinola Genuensis. XI. Dominicus Taurusinus, Orvietanus. XII. Henricus de la Grande Marchio d'Arquien de Bethunes, qui jam octogesimum ætatis annum agens, Cardina-

Sæc. XVII. A. C. 1695.

Sæc. XVII. A. C. 1695.

dinalis Diaconus tit. S. Nicolai in carcere nominatus est. Præter hos *in pectore*, ut vocant, reservabat Pontifex Jacobum Antonium Merigi, Mediolanensem, & Balthasarem Cincium Lariſſensem Episcpoum, patria Romanum, quorum priorem nonnisi tertio post anno die nona Decembris, posteriorem vero die undecima Novembris biennio post promulgavit.

§. VIII.

Vehemens contentio inter Vilnensem Episcopum & supremum Lithuanici exercitus Ducem.

Hist. Chronic. cont. Gottfrid. lib. 10.

Jam ante biennium acerrima fervebat contentio inter Vilnensem Episcopum, & Sapieham supremum Lithuanicorum exercituum Ducem; cum enim hic instante bello Turcico copiis suis diversoria in Ecclesiasticorum terris assignaret, Episcopus sua jura ac immunitatem violari ratus, monitis, mandatis ac minis instabat. ut Dux quantocius copias abduceret: hic tamen militibus imperare, non autem Ecclesiasticis cedere assuetus, Episcopi iram & motus flocci habuit: inde vero nulla habita debitæ reverentiæ ac moderationis ratione res ad mutuas utrinque criminationes, convitia, publicas-

blicasque vexationes devenit; tandem vero Episcopus suam auctoritatem vindicaturus, die decima octava Aprilis anno priori omnes Clericos, populumque æris campani sonitu ad Ecclesiam Cathedralem convocavit, extinctisque cereis, & decantato Psalmo centesimo octogesimo octavo Sapieham Ducem diris publice devovit, acclamante Clero *Fiat:* Hoc comperto Dux vicem repensurus, Tribunos, Centuriones, nobilesque fœminas ad convivium adhibuit, atque in Episcopi ludibrium, vibratique anathematis contemptum tormenta explodi, & potata convivarum salute vitra confringi jussit, militibus alta voce exclamantibus: *Fiat! Fiat!* Hujus scænæ fama mox divulgata, Radziewskius Cardinalis, atque Archiepiscopus Gnesnensis Vilnensem Episcopum de intempestiva severitate redarguit, Ducemque diris atque execrationibus exsolvit: nec tamen propterea animi utrinque exulcerati intemperies sedata est; difficile enim mentes pertinaciter invitas moderata medicamina sanant: Res igitur ad Regni comitia devolvitur, ubi ipsemet Rex die vigesima quinta Februarii hoc anno desuper Senatus consilium expetivit, non alio tamen successu, nisi quod Senatores tam Ecclesiastici, quam Laici

Sæc. XVII. A. ... 1095.

Sæc. XVII. A.C. 1695. Laici velut in duo agmina distributi, dudum verbis & mutuis convitiis certarent, ac tandem præcipue Lithuaniæ Thesaurarius comitiorum nuper dissolutorum culpam in Episcopum conjiceret: quo audito Rex ira commotior e solio descendit, ac contentiore voce exclamavit: „Nos, Nos Episcopum „tuemur, & usque ad ultimum vitæ „halitum tuebimur, nunquam passuri, „ut vos sicut & alii perditi homines ve„stra malitia eum opprimere possitis. „Sum Rex vester, eo fine coronam „mihi imposuistis, ut justitiam admi„nistrarem, eam ergo usque ad extre„mum vitæ halitum administrabo:„ Percepto hoc sermone Senatores ferme omnes sese Regis obsequio obstringere, eique vitam & sanguinem devovere certarunt: Postea Rex dissidentes conciliare, rursus strenue adlaborabat, incassum tamen; unde Sapieha Dux die decima quinta Martii Vilnam reversus est, ubi vero Pontificis jussu omnes Ecclesias & Sacella occlusa invenerat, Clero significari jussit, sedulo caverent, ne ipsum ad violentias Ecclesiasticis oppido molestas adigerent: cum autem Pontifex Poloniæ Regi jus Patronatus in Regni sui Abbatias indulgeret, ea lege, ut hujus Episcopi causæ patrocinaretur, nil quoque inausum, intentatum-

tatumque reliquit, ut inter Episcopum & Ducem pristinam revocaret amicitiam: Verum Episcopus nihil a prætenso suo jure remittere voluit, ac propterea a Senatoribus tanquam contumax declaratus est, ruptoque conciliationis negotio, Dux die decima quarta Septembris Vilna discessit, ad sua reversus: mortuo autem Rege tandem anno sequenti dissidium hoc sublatum est, partes suas interponente Apostolico Pontificis Nuntio, cujus auctoritate anathema tanquam irritum fuit declaratum, atque Episcopus immoderatæ suæ severitatis culpam deprecari, vicissim vero Sapieha Dux Vilnensem Diæcesin a diversoriorum onere per integrum biennium eximere jussus est,

Sæc. XVII. A. C. 1695.

§. IX.

Infausta Cæsareorum expeditio contra Turcas.

Mortuo Achmete II. Mustapha Hanus Mehemetis IV. exauctorati Filius in Turcici Imperii Rectorem electus, cum animum bellicis spiritibus plenum gereret, exercitum suum novis supplementis augere, ipsusque in castra ire constituit: Ergo die vigesima Junii cum quinquaginta suorum millibus inter primos se itineri dat, ceteris subsequi jussis,

Wagner Hist. Leop. lib. 13.

Sæc. XVII. A. C. 1695. juſſis: Haud ſegnius Leopoldus Imperator undique Legiones e ſtativis extrahi, atque exeunte Menſe Majo Temeſiam oppugnari præcepit. Electore autem Bavaro ad Rhenum evocato, in ſupremum Cæſarei exercitus Imperatorem ſelegit Electorem Saxoniæ Fridericum Auguſtum: Hic igitur Turcas Temeſiæ obſidionem præpedituros ſuſpicatus, prope Petrovaradinum caſtra metatus eſt: Verum Muſtapha illuſtriori facto militiæ ſuæ rudimenta honeſtaturus, inflexo itinere in Tranſylvaniam irruit, ac Menſe Septembri Lippam urbem ad Maruſium amnem cum quindecim Turcarum millibus obſidet: Enimvero præſidiarii circiter quingenti per quatuor omnino horas horrendos Turcarum aſſultus repreſſere, tandem vero nitrio pulvere deſtituti, ac hoſtium multitudine obruti pene omnes ad internecionem deleti ſunt: Capta hac urbe Sultanus quinque Turcarum millia claſſe expoſuit, occupatoque foſſæ labro Titulum urbem octavo poſt die tam arcte cinxit, ut præſidiarii omnis auxilii ſpe deſtituti, deditione vitam libertatemque paciſci cogerentur, perfide licet Belgradum pro captivis abſtracti: Denique ad calamitatis cumulum acceſſit Veterani Belliducis clariſſimi cædes. Hic enim, quamvis repe-

repetitos, eosque acerrimos totius Turcici exercitus impetus non sine decumana Turcarum clade sustinuisset, tandem numero devictus, ac glande percussus die vigesima prima ejusdem Mensis cum potiore suorum parte glorioso occubuit: accepto demum hujus cladis nuntio Sultanus aut victoriæ fatur, aut adeptæ gloriæ jacturam dubia expeditione veritus, avectis Caransebia tormentis Orsova Adrianopolin die tertia Octobris reversus est. Magis prospero armorum successu Steinavius Veneti exercitus Dux Argos Peloponensium urbem cæsis Turcarum tribus millibus obsidione liberavit, ac Seraskierum capta Livadia urbe ex Peloponenso cum ingenti suorum clade ejecit: interim vero Turcæ instructa classe Chion Insulam recuperare aggrediebantur; occurrit imperterrite Priulus cum octo navigiis, cum præter omnem exspectationem subsidentibus repente ventis, ingrata malacia stupens subsidiaria, quam Zeno Archithalassus adduxerat, classis hæreret, proin Priulus undique hostium navigiis cinctus, post cruentum octo horarum certamen amissis tribus navibus occubuit, cujus tamen glorioſæ morti quinque cæsorum Turcarum millia parentare cogebantur: Venetis autem sponte Insulam deserentibus,

Sæc. XVII. A.C. 1695.

Sæc. XVII. A. C. 1695.

Turcæ incolas miſere divexarunt, ſpoliatisque eorum ædibus, atque everſis Catholicorum Templis & monaſteriis cunctos ad amplectendum ſchisma Græcorum compulerunt.

§. X.

Variæ Gallorum urbes aut captæ aut devaſtatæ.

Hiſt. cont. Chron. l. 12. Vie du Princ. Eugen. t. 1. pag. 184.

Hoc item anno, ne pigræ alioquin hyemi funeſtum deeſſet negotium, Melaccus Franciæ Mareſcallus cum ſex ſuorum millibus citimam Rheni oram a Baſilea Philippoburgum usque obſedit, fœderatos tranſitu interdicturus: emiſſis poſtea incendiariis Lorgius ineunte Menſe Junio Rhenum Philippoburgi transmiſit, ac Wiſelochii obvallatus, agrum trans Neccarum frumentatione ac pabulatione exhauſit: occurrente autem Badenſi Duce mox trajectis machinis atque impedimentis cum ſuo agmine flumen remenſus eſt; Barutanus vero Princeps armamentarium omni commeatus genere inſtructiſſimum die ſecunda Junii non ſine magno Gallicæ rei detrimento incendit; poſtea Badenſis ad Sinzheimium caſtra metatus, trajecto Rheno Lorgium aggredi ſtatuit: cum autem hic ex munitiſſimis ſuis caſtris prolectari haud poſſet, Baden-

Badenſis ingentem vim tritici Hagenbaco ac Weiſſenburgo ex horreis abvehi, ac Brumſtienſe incendi juſſit, multisque tributis ac præda gravis ſeſe denuo trans Rhenum retulit; Galli vero cum reſiduis copiis, quarum potiores in Flandriam abduxerunt, Wormatiam verſus usque ad Moguntiæ mænia infeſtas fecere excurſiones; quoniam vero a Palfio iterata clade, atque amiſſis equis, abductisque captivorum quamplurimis graviter mulctati eſſent, vicem repenſuri, omnes iras in vicinas urbes Ladenheimium, Badenheimium, Nackenheimium, Prenzhemium aliaque loca effuderunt, eaque direptionibus atque incendiis miſere devaſtarunt, profanatisque Templis, ac dirutis ædibus fœminas omnino nudas expoſuerunt, Sacerdotes verberibus, omnique injuriarum genere divexarunt, armenta, quorum numerus deprædantium avaritiam exceſſerat, ſclopis trajecerunt, tantaque feritate tumultuati ſunt, ut Huſſari Gallorum nemini vitæ gratiam indulturos ſe jurarent. Ita demum Rhenana hujus anni expeditio miſerorum vexatione, atque illata acceptaque agrorum populatione finita eſt. Sæc. XVII. A. C. 1695.

In Flandria vero Fœderatis benignior adſpirabat fortuna, ac tandem *Feuquiers t. 4. p. 341.*

Sæc. XVII. A. C. 1695. post tam inhumanas crudelitates, versa belli alea, felicitas vultum mutare, atque a Gallorum signis ad fœderatorum castra transire videbatur: expugnato enim Huyo oppido Guilielmus Angliæ Rex Maximiliano Bavariæ Electori Batavisque junctus Mense Julio justam obsidionem Namurco jam per sexaginta dies a fœderatis cincto admovere cæpit, expugnatisque, quæ obstabant, claustris die quarta Augusti urbem expugnavit: tam prosperi successus auspiciis animatus, valla, muros, reliquasque munitiones feliciter superavit: Ast fœderatorum virtus in expugnanda arce hæserat; hæc enim erat rupi durissimæ imposita, arte & natura munitissima, sexdecim & amplius bellatorum millibus, & a Buflerio, & Guiscario emeritis militiæ veteranæ Ducibus propugnata, milite insuper recens immisso, omnique apparatu bellico instructissima, & quod maximum erat, habebat non otiosum spectatorem, sed ad omnes casus intentissimum liberatorem, Gallicum exercitum tot victoriis ferocem, ac centies mille armatis validum: Nihilominus Anglo-Bavaræ virtuti haud impervia erant hæc obstacula; resumpto igitur ardore fœderati omni conatu & arte instant, ac continuis tormentorum explosio-

plosionibus, densoque globorum igni- Sæc. XVII.
vomorum grandine, & repetitis obsi- A.C. 1695.
dentium impressionibus res ita incaluit, ut oppugnatione per integrum ferme mensem protracta Bufflerius deditionem facere, ac die prima Septembris ingressum victoribus concedere cogeretur. Cecidere in pertinaci hac defensione decem & amplius Gallorum millia; præsidiarii tamen reliqui ex pacto cum omni militari honore liberi dimittebantur, solus Buflerius Angliæ Regis jussu captus, Trajectum abductus est, eoquod Galli præsidiarios, qui Dixmunda & Furnis urbibus deditis juxta conventas tesseras redimi debuissent, violata pactorum fide captos detinuissent: Rex tamen Ludovicus hos præsidiarios postea fœderatis restituit, ac violata belli jura redintegravit: Paulopost Villaregius exercitus Gallici Præfectus Bruxellensem urbem globis ignivomis infestavit, & tertiam ferme partem nequidem verbo lacessitus in cineres redegit: vicissim vero Anglicæ classis Præfecti talionis pœna Gallos mulctarunt, eorumque portus, Macloviopolim & Granvilliam, Caletum, & Dunkerckam ignivomarum glandium jactu fœde lacerarunt: in Italia quoque fœderati Casalis arcem & urbem Montferratensis Ducatus munitissimam post

Sæc. XVII. A. C. 1695.

viginti sex dierum obsidionem a Gallis deditione extorserunt. Vario Marte in Catalaunia pugnabant Galli contra Hispanos; quamvis enim Noallius Dux Ostarlico erumpens, pecuniarum exactiones facere tentaret, ab Hispanis tamen ac rusticis tam ruditer excipiebatur, ut suorum quamplurimis, qua cæsis qua captis Blanesia excedere, ac Gironam profugere compelleretur: Vindocinensis tamen Dux, qui Noallio successerat, Castellfollito Hispanos depulit, ac Palamosiam urbem obsidione liberavit.

§. XI.

Principum atque Illustrium obitus.

Hist. Cont. Gottfrid. l. 12. p. 479.

Decessere hoc anno ex Præsulibus quidam pietate ac doctrina inclyti, & quidem die decima octava Februarii Georgius Comes Seczenyus Strigonienſis Archiepiscopus ac Regni Hungarici Primas, Zelosissimus fidei Catholicæ Promotor, necnon acerimus Heterodoxorum hostis pie in Domino obiit, annos natus centum & tres: Testamento caverat, ut ex suis bonis quadringenties Florenorum millia ad Nosocomium pro invalidis sauciisque militibus, & centies octoginta millia Jesuitis Budensibus pro Seminario, ceteris

teris vero Religiosis multa florenorum millia ad propagandum Dei honorem, fidemque Catholicam numerarentur, demum Cæsari Mannersdorffiensem Comitatum, omnemque frumenti ac vini apparatum reliquit. Successorem habuit Cardinalem de Colonitz. Sequebatur pari mortis necessitate die trigesima Martii Anselmus Franciscus Fridericus ab Ingelheim Archiepiscopus & Elector Moguntinus, cui die secunda Maij Lotharius Franciscus a Schönborn Episcopus Bambergensis successit. Die autem sexta Augusti diem supremum clausit apoplexia tactus Franciscus Chenvollonius Harlæus Parisiensis Archiepiscopus, qui ea, qua apud Ludovicum XIV. Franciæ Regem valebat, gratia & authoritate unacum Patre de la Chaise Jesuita Jansenii Discipulos acerrime infectatus est, unde non mirum, quod vicissim hi infamem pyramidem (*) Parisiis erexerint, ac mordaces satyras contra hunc Præsulem vulgarint. Carpitur tamen, quod morosius simultates inter Papam & Regem circa Regalia, Oratorum Asyla &c. compescere adlaborarit. Huic succes- Sæc. XVII. A. C. 1695.

(*) Inscriptionem videsis apud Jurieum in damnato suo libro, cui titulus: *Esprit d'Arnaud* part. 1. pag. 4. & 14.

Sæc. XVII. A. C. 1695.

fit Ludovicus Antonius de Noailles antea Catalaunensis Episcopus, quam Ecclesiam Gasto ejus Frater obtinuit. Obiit pariter Kensingtoniæ die sexta Januarii Maria Stuarta Jacobi II. Filia ac Guilielmi Henrici Auriaci Principis conjux: Hæc die vigesima tertia Maij ante biennium Ulyssipone mortuum filium enixa ac postmodum variolis oppressa ægre trigesimum tertium ætatis suæ annum attigit, in Sacello Henrici VII. sepulta: Celebratur ab Anti-Jacobitis tanquam fæmina Theologiæ scientia, timore Dei, morum integritate, & liberalitate in pauperes inclyta. Præter hos pariter decesserunt Segedini in Pannonia Mauritius Augusti Saxonici Administratoris Filius, Parisiis Christiani Megalopolitano-Sverinensis Ducis conjux, Ludovica Carolina, Caroli Neoburgici Ducis thori consors, nata Princeps Radzivilia, & die decima quinta Maij Guilielmus Ludovicus Badensis Dux, Christianus Daniæ Regis Filius, Carolus Philippus Marchio Brandeburgicus, & die vigesima septima Januarii Christina Sophia Brunvicensis Principis Conjux, necnon die decima quinta Septembris Franciscus Bernardus Princeps Nassovio-Hadamariensis, ac denique Franciscus Henricus Monmorentius Dux Lucemburgensis

genſis Franciæ Mareſcallus anno ætatis ſexageſimo ſeptimo. Sæc. XVII. A.C. 1695.

§. XII.

Quædam Conſtitutiones Innocentii XII. Pontificis.

Præter plures Conſtitutiones, quæ duntaxat privatorum cauſſas reſpiciunt, inſuper Innocentius XII. Papa hoc anno alia decreta pro univerſa Eccleſia condidit, & primo quidem die ſecunda Februarii confirmavit Indulgentias perpetuas, conceſſas comitantibus SS. Sacramentum, dum ad ægros pro Viatico deportatur: die autem decima octava Julii ſuper diſciplina Regulari, vita communi, & religioſorum numero varia edidit decreta; conceſſit etiam die decima octava Auguſti indulgentiam plenariam perpetuam omnibus in quacunque anni die Eccleſias S. Mariæ Angelorum, & S. Franciſci in civitate Aſſiſienſi viſitantibus: Innovavit pariter die vigeſima ſecunda Septembris plurium Pontificum decreta & pœnas ſancitas contra illos, qui occurrente vacatione Eccleſiarum & Monaſteriorum in electione perſonarum illis præficiendarum illicitas Capitulationes faciunt. Denique die tertia Decembris rurſus indixit Jubilæum univerſale

Bull. magn. Conſt. Innoc. XII. 61. & ſeqq.

Sæc. XVII. A.C. 1695.

sale ad implorandam Divinam opem pro pace inter Principes Christianos obtinenda.

§. XIII.

Diversæ Sacrarum Congregationum decisiones.

Decret. S. Congr. Rit. Rot. &c.

Occurrunt etiam variæ Sacrarum Congregationum decisiones hoc anno emanatæ, die enim vigesima Junii a Sacra Rota decisum, quod hæres non possit mittere alios Sacerdotes ad celebrandum in aliena Ecclesia, illisque dare Eleemosynam manualem, quando hujus Eleemosynæ capaces sunt ipsi Fratres Minores de observantia, & veniunt præferendi omnibus extraneis, tum ratione præcepti Testatoris, tum ratione loci, in quo existunt.

Vicarius quoque perpetuus non possit intereſſe, nec præscribere in Choro Communitatis Beneficiatorum Ecclesiæ, nec cantare Divina Officia tam intra, quam extra Ecclesiam in Ecclesiis annexis, nec teneatur Communitas prædicta ei concedere partem Missarum celebrandarum, sive ex fundatis, sive ex adventitiis.

Die autem tertia Septembris ex mandato summi Pontificis Sacra Rituum Congregatio declaravit, a summo

mo Pontifice concedi, ut in posterum nedum in Civitate, verum etiam in omnibus Sereniſſimæ Reipublicæ Venetiarum Dominiis, tam a Clero Sæculari, quam Regulari utriusque ſexus, ſingulis Annis die decima octava Decembris recitari poſſit Officium proprium, & celebrari Miſſa Expectationis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, ad formam Conſtitutionis Gregorii XIII. & ſervatis in reliquis rubricis Breviarii, & Miſſalis Romani. Sæc. XVII. A. C. 1695.

Sacra vero Concilii Congregatio decidit die duodecima Novembris, quod Parochus, quo minus benedictiones Animalium in die feſto S. Antonii dentur, & Oblationes recipiantur ab aliis Capellanis, & Rectoribus aliarum Eccleſiarum intra fines Parochiæ exiſtentium, nec prohibere, nec impedire valeat, quia inter functiones Parochiales iſta Benedictio non connumeratur.

Ad propoſitum vero dubium die ſecunda Decembris Sacra Epiſcoporum Congregatio reſpondit, quod non poſſit Epiſcopus prohibere Muſicis, ne canant, aut officialibus Eccleſiarum, ne Muſicos adhibeant, niſi vocato Magiſtro Capellæ Cathedralis, aut alterius Eccleſiæ; die autem decima ſeptima Decembris a Sacra Immunitatis Con-

Sæc. XVII. A. C. 1695.

Congregatione deciſum, quod abſolutio a Cenſuris ob violatam immunitatem ſit perſonaliter & humiliter petenda: denique eadem die Sacra Rituum Congregatio decrevit, quod Sacerdos celebrans Miſſam conventualem, in qua chorus tenetur cantare Symbolum, non poſſit illam proſequi eo tempore, quo a Choro cantatur hoc Symbolum.

§. XIV.

Pater Joannes de Brito Jeſuita Maduræ occiſus.

Berti Brev. Eccl. Hiſt. pag. 285. Binn. app. t. 12. p. 109. & 115.

Ad hunc annum Joannes Laurentius Berti refert Martyrium Patris Joannis de Brito Jeſuitæ, Luſitani ac Miſſionarii, quem etiam Jeſuitæ anno hujus ſæculi nonageſimo tertio Maduræ ab Ethnicis in odium fidei fuiſſe trucidatum, ejusque interceſſionem Chriſtianis ſalutarem eſſe referunt: *expectatur* autem, inquit præfatus Author, *Apoſtolicæ Sedis judicium, quia martyres non facit pœna, ſed cauſſa, non ſunt in eorum numero computandi decies mille captivi Turcarum, qui ſeditionem moventes Anno 1662. in urbe Mauritaniæ Algerio crudeliſſime necati ſuere.*

§. XV

Sæc. XVII.
A.C. 1695.

§. XV.

Opera & deceſſus Scriptorum religione Catholicorum.

Celebriores ex Scriptoribus Catholicis, quibus hoc anno mors calamum excuſſit, recenſere lubet, hos inter primo loco occurrit Ludovicus Thomaſſinus ex Congregatione Patrum Oratorii, qui primo ſcripſit tractatum de gratia, ubi Moliniſtas inter & Janſeniſtas mediam quidem viam detegere niſus, neutri tamen parti ſatisfecit: edidit meliore ſucceſſu diſſertationes in Concilia generalia & particularia, ubi agens de Pontificis poteſtate aſſerit idem eſſe appellare ad Papam, ac appellare ad Concilium generale: celeberrimum hujus Authoris opus eſt *Eccleſiæ Diſciplina vetus & nova circa beneficia* &c. quamvis hic liber Gallis non probetur, vaſtiſſima tamen eruditio ubique emicat: Elucubravit etiam tres tomos ſeu tractatus dogmatico - Hiſtoricos, Methodum Chriſtiane & ſolide tradendi Poeſin, Philoſophiam, linquas, & Hiſtoriam in ordine ad S. Scripturas, ſeptem tractatus de jejunio, feſtis, Officio Divino, veritate & mendacio, juramento & perjurio, unitate Eccleſiæ, Eleemoſyna, negotiatione

Niceron de erud. Vir. t. 3. p. 419. Du Pin Nouv. Bibl. t. 18. p. 188. Priet. contin. p. 992. Abrege chron. de l'Hiſt. t. 12. pag. 107. Mem. des Hom. Illuſtr. t. 3. p. 170.

Sæc. XVII. A. C. 1695.

tione & usura, Glossarium universale Hebraicum & Judicium de dissertatione Mabillonii de Azymo & fermentato. Obiit Parisiis die vigesima quarta Decembris anno ætatis suæ septuagesimo septimo nondum exacto. II. Andreas Martin ejusdem Instituti Sacerdos elucubravit Theses Theologicas, & sub nomine Ambrosii Victoris septem volumina Philosophiæ Christianæ ex S. Augustino. III. Augustinus Lubin Ord. FF. Eremitarum S. Augustini posteris reliquit Tabulas Geographiæ Sacræ, Tabulam Alphabeticam omnium locorum, urbium &c. Sanctorum in Martyrologio, dissertationem de Monasteriis Ord. S. Augustini, seu Orbem Augustinianum, Notitiam Abbatiarum Italiæ, Augustinum Ecclesiasten, Historiam Laponiæ, Hebdomadam Sanctam, Mercurium Geographicum, Indicem Beneficiorum Ecclesiasticorum Franciæ, & commentarium Geographicum seu Stephanum de urbibus, præter alia nonnulla. IV. Claudius Lancellot Monachus San-Cyranus, scripsit tractatnm de Hemina seu mensura vini suis Religiosis indulta, hortum radicum græcarum, grammaticas &c. V. Joannes Garet pariter Benedictinus Congregationis S. Mauri concinnavit novam editionem ope-

operum Cassiodori, & *complexiones in epistolis & Apocalypsi.* VI. Petrus Nicole Carnutensis Theologus, individuus Arnaldi comes, laborisque socius, qui, teste Brietii Jesuitæ continuatore, *singulari fama inter pios & eruditos distinctus, moralis disciplinæ specimina edidit, quibus planum, tutumque iter ad componendos vitæ Christianæ mores monstravit, atque utiliter de Ecclesiæ veritate scripsit contra Novatores.* Ceterum Nicoleus in concinnando libro *de perpetuitate fidei, & de duabus propositionibus hodie maxime controversis*, necnon ad vindicias S. Thomæ circa gratiam sufficientem contra P. Nicolai Ord. FF. Præd. præcipuam Arnaldo operam locabat, ipsus vero elucubravit Vindicias propositionis Arnaldinæ circa jus contra Chamillardum, refutationem secundæ epistolæ ejusdem Chamillardi, veram doctrinam S Thomæ de gratia, dissertationem Theologicam super hæc verba: *defuit Petro tentato gratia* &c. Monita ad Parochos Parisienses circa perversas Casuistarum doctrinas, tredecim Theologorum ad examinandas quinque propositiones selectorum suffragia, Pauli Irenæi disquisitiones, Belgæ Percontatorem contra Petrum de Marca, Factum Rothomagensium Parochorum contra Apologiam Casuista-

Sæc. XVII. A. C. 1695.

Sæc. XVII. A. C. 1695.

rum, Decretum Senonenſis Archiepiſcopi, quo condemnatur Apologia Caſuiſtarum, Vindiciæ Doctorum Burdegalenſium, Ideam generalem Spiritus & libri P. Ameloti: conſilia ad ſedandas hodiernas controverſias: difficultates Clero Gallicano propoſitas contra formulam, de hæreſi & ſchismate ob idem formulare, monita ad Epiſcopos Franciæ ob decretum Vicariorum Cardinalis de Retz, pernicioſas ſequelas novæ hæreſis Jeſuitarum contra Regem & Regnum, tractatum de diſtinctione juris & facti, Jeſuitarum illuſiones in eorum libro: *Expoſitio Theſeos* &c. Factum pro Parochis Pariſienſibus contra easdem Theſes, Theologorum querelas contra Cleri Gallicani decretum circa formulare, tractatum de fide humana, apologiam pro Monialibus SS. Sacramenti, refutationem libri Patris Annati, tentamen moralis doctrinæ, conſenſum Janſeniſtarum & Thomiſtarum, præter plurima alia pro Janſenii defenſoribus edita: Impugnaverat quoque Calviniſtas, contra quos ſcripſit generalem reſponſionem ad novum librum Joannis Claude, præjudicia legitima contra Calviniſtas, exiſtimatos Reformatos de ſchismate convictos, refutationem novi ſyſtematis Juriei, ſyſtema circa gratiam univerſalem,

ſalem, refutationem errorum Quietis- Sæc. XVII.
mi, præter plura aſcetica, & moralia A. C. 1695.
opuſcula atque epiſtolas: Fervente etiam diſſidio inter Mabillonium, & Ranceum Abbates edidit Nicoleus relationem hujus diſputationis circa Monachorum ſtudia. VII. Petrus Brilmaeckér Jeſuita ac Monaſterienſis Præpoſitus, qui contra Joannem Monaſterienſem, Iſaccum neo - converſum Judæum, aliosque plurima edidit opuſcula, a ſuis æmulis Moguntiæ veneno enectus. VIII. Andreas Felibien poſteris reliquit Paraphraſin in Lamentationes Jeremiæ, in Canticum trium puerorum, & in Pſalmum *Miſerere*, relationem infortunii Comitis Ducis Olivarii, vitas P. Ludovici Granatenſis Ord. FF. Præd. deſcriptionem Abbatiæ *La Trappe*, caſtellum animæ S. Thereſiæ Gallice redditum, vitam Pii V. præter alia quamplurima. IX. Raphael Badius Ord. FF. Præd. ſcripſit Conſtitutiones & decreta Florentinæ Univerſitatis Theologorum, tractatum de aqua benedicta Cardinalis de Turrecremata, & ſynopſin vitæ S. Alberti Magni & B. Hoſannæ Dominicanæ. X. Seraphinus Piccinardi ex eodem Ordine elucubravit libros novem Philoſophiæ dogmaticæ Chriſtianæ, Apocriſin pro Scholaſticis, tractatum de

Sæc. XVII. A. C. 1695.

imputato Scholasticis studio effræni in Aristotelem, tres tomos de approbatione S. Thomæ Aquinatis, & tractatum de novitio opere, sub titulo: *Prædestinatus* auctore Semipelagiano. XI. Josephus Maria a Jesu Carmelita Excalceatus scripsit discursus prædicabiles in Evangelia quadragesimæ ex D. Thoma, & sylvam doctrinarum ex SS. Thoma, Theresia aliorumque SS. Patrum sententiis. XII. Matthæus Orlandus ex Ord. Carmelitano Episcopus Cephaludensis in Sicilia scripsit in primam & secundam partem S. Thomæ, necnon in tertiam de Incarnatione. XII. Martialis a Conceptione ex eodem Ordine edidit opus chronologicum omnium sæculorum, dialogum duplicem de annis ab Orbe condito, dissertationem chronologicam de Historiæ Judith & Esther tempore, & Dissertationem de Caino juniore.

§. XVI.

Scriptorum Acatholicorum opera & fata.

Pipping mem. Theol. Witte Diar. Biogr.

Paucos ex Scriptoribus Acatholicis subjungere, operæ pretium videtur, quos inter primus est Abraham Hinckelman, qui edidit Tertulliani apologeticum, Evangelicam Jobi Theologiam,

giam, detectionem fundamenti Böhmiani, syllogen vocum Rabbinicarum, Alcoranum Arabicum, & critica Hamburgensia. II. Joannes Baier elucubravit compendium Theologiæ positivæ, exegeticæ, moralis, historicæ, & Homiliaticæ contra Pontificios, & Quackeros, synopsin Theologiæ Enthusiastarum, orationem de insidiis sathanæ, necessitatem cognitionis Christi, præter varias disputationes. III. Joannes Henningius posteris reliquit disputationes Philologico-Historicas, Chriologiam, archælogiam passionalem, & methodum concionandi. IV. Christianus Fueccius prælo subjecit Breviarium Historico-Politicum, cum appendice de Curia Romana, Isagogen Geographicam, Annales Altenburgenses, præter quasdam disputationes. V. Joannes Grafft publici juris fecit Theologiam Positivo-Polemicam, dispositiones Evangeliorum Dominicalium, Cynosuram mentis humanæ, tractatum de conservatione universi, de Scientia Dei, de beatitudine objectiva, & de concursu Divino.

Sæc. XVII. A. C. 1695.

§. XVII.

Hennebeli declaratio coram S. Congregationis Patribus.

Sæc. XVII. A.C. 1696.

Postquam Joannes Libertus Hennebelus, qui Romæ Jansenistarum causam procurabat, inaudierat, quod Sacra Facultas Duacensis Quesnelli librum, cui titulus: *Necessaria documenta pro elucidanda Historia Facultatis Theologicæ Duacensis* (*), die quarta decima Januarii censuris perstrinxerit, atque Archiepiscopus Mechlinienſis habito Bruxellis ceterorum Præsulum conventu detortas Jansenistarum interpretationes atque effugia damnarit, hinc suorum honori ac famæ graviter detractum ratus Mense Augusto ad S. Congregationem questum ibat, ceterorum nomine porrecta sequenti declaratione;

Argentre Collect. Jud. t. 3. p. 394. Paix du Clement Recueil II. pag. 283. Theatr. Europ. t. 15.

„Cum Reverendissimus Dominus „Archiepiscopus Mechlinienſis plures „Diæceſis suæ Theologos, aliosque Ec„clesiasticos, tam apud sanctam Sedem, „quam apud Catholicam suam Maje„statem insimulare non cesset, quod „Constitutiones a summis Pontificibus „oc-

(*) Illud sane ridiculum, quod Quesnellus in hoc libro antiquitatis auctoritatem suæ factioni, pari stupiditate affingat, qua Lutherani suam sectam ipso Luthero longe antiquiorem comminiscuntur; asserit enim Quesnellus Duacenses Theologos jam fuisse Jansenistas, antequam Jansenius e cunis emerserit.

„occasione Libri Cornelii Jansenii, cui Sæc. XVII.
„titulus *Augustinus*, editas minime ob- A.C. 1696.
„servent, præscriptoque ab Alexan-
„dro VII. Formulario nonnisi pejerando
„subscribant, cum sub finem anni præ-
„teriti hunc suum de prædictis Eccle-
„siasticis sensum a variis Religiosorum
„Ordinum Provincialibus, ac eundem
„iterum, ut rumor est, in quodam con-
„gressu Bruxellis nuper habito a Com-
„provincialibus Episcopis fecerint con-
„firmari, datis tam ad suam Sanctita-
„tem, quam ad Catholicam suam Maje-
„statem ea de re specialibus literis.„

„Hinc est, quod ego infra scriptus
„prædictorum Theologorum, & Eccle-
„siasticorum innocentiam tueri, eorum-
„que in Apostolicas Constitutiones ob-
„servantiam, & obedientiam omnibus
„testatam facere volens, tam meo,
„quam omnium illorum, quorum par-
„tes ago, nomine profiteor, ac de-
„claro.„

„Quod prædictis Constitutionibus
„Innocentii X. & Alexandri VII. nos
„humillime, & omni, quæ genuinos
„Ecclesiæ filios decet, observantia ac
„pietate submittimus, ut jam antea
„non una vice declaravi.„

„Ut vero nostra hæc observantia,
„& obedientia magis magisque inno-
„tescat, declaro, quod propositiones

Sæc. XVII. A. C. 1696

„ab iisdem ſummis Pontificibus damnatas damnemus in ſenſu obvio, quem „ipſamet propoſitionum verba præſeferunt, prout ſenſum illum damnarunt „ſummi Pontifices, damnatumque haberi voluerunt a Chriſti fidelibus; qui „quidem ſenſus longe abeſt a ſenſu gratiæ per ſe efficacis, ac prædeſtinationis gratuitæ, quem ſartum tutum in „damnandis illis propoſitionibus ſemper voluit Apoſtolica Sedes, ut omnibus conſtat.„

„Declaro inſuper, nos propoſitiones illas damnare, eodem prorſus „ſenſu, quo damnantur a Scholis Catholicis, quæ Doctrinam de gratia „per ſe efficaci tuentur, ac nominatim „a Scholis Ordinum S. Auguſtini S. Dominici, Carmelitarum Diſcalceatorum &c.„

„Quæ cum ita ſint, manifeſtum eſt, „nos in quinque propoſitionibus non „eum damnare ſenſum, quem nobis „obvium opinione, ſeu errore privato „fingamus, ſed illum ipſum, quem in „illis damnant omnes Catholici, ipſumque, & non alium a nobis haberi pro „obvio, & recte ab Eccleſia damnato.„

„Cum vero inſuper notorium ſit, „ac ipſimet Belgii Epiſcopi, datis ad „ſuam Sanctitatem literis, teſtati fuerint, neminem in Belgio reperiri poſt

„edi-

„editum Decretum ac Breve Apoſtolicum, Sæc. XVII.
„qui Formulario ſine ulla prorſus ad- A. C. 1696.
„ditione, vel reſtrictione ſubſcribere re-
„cuſet, nulla poteſt in Formularii ne-
„gotio ſupereſſe difficultas, niſi præten-
„dat Archiepiſcopus cum aliis, qui par-
„tes ejus ſequuntur, non alium dari
„Formularii ſenſum obvium, niſi quem
„ipſe ſuis additionibus expreſſit, quod
„revera prætendere eum ſatis liquet
„ex variis ejus ad ſuam Sanctitatem
„literis, totaque agendi ratione, quam
„in hoc negotio hactenus ſequitur.„

„Quæ quidem ejus prætenſio, cum
„prorſus aliena ſit a mente Sedis Apo-
„ſtolicæ, quæ neminem ad jurandum
„Formularium juxta additionum illa-
„rum ſenſum adigere vult, immo vero
„additiones illas expreſſe rejecit, ma-
„nifeſtum eſt, non aliunde pendere
„Belgii pacem, quam ab executione
„Brevis Apoſtolici ad Epiſcopos Belgii
„ea de re miſſi, rogandamque Sedem
„Apoſtolicam, quemadmodum per præ-
„ſentes humillime rogamus, ut Archi-
„epiſcopo Mechlinienſi, cæterisque Epi-
„ſcopis declaret, ſe conſtanter inhæ-
„rere deciſis, ac ſicut in Brevi præ-
„dicto Epiſcopis inhibuit, ita nunc ite-
„rum expreſſe illis inhibere, ne ab iis,
„qui Formulario Alexandri VII. ſub-
„ſcribent, ac juramentum præſtabunt;

Sæc. XVII. A. C. 1696. „præter formulam ipsam traditam, „verbaque in Constitutione Apostolica „præscripta, quidquid aliud, vel mi„nimum declarationis verbo vel scripto „exigant, etiam sub prætextu, quod „additiones illæ comprehendantur in „Formulario Alexandri VII.„

„Si qui vero Theologos, aliosque „Ecclesiasticos Formulario ut supra sub„scribentes, quinque propositiones in „sensu obvio damnantes, præscriptum„que ab Apostolica Sede silentium ex„acte servantes, de Jansenismo adhuc „accusare audeant, ac ita contra De„cretum, ac Breve Apostolicum mani„feste impingant, hos coerceri supplli„camus, eisque denuntiari, ut dein„ceps mandata Sedis Apostolicæ me„lius observent, sub pœnis ab ipsa Sancta „Sede in Decreto ac Brevi Apostolico „adversus delinquentes statutis aliis„que, pro arbitrio Superiorum in„fligendis.„

„Hoc tandem modo speramus fore, „ut beneficio ac Providentia Sedis Apo„stolicæ, Ecclesiis Belgicis pax resti„tuatur, nosque imposterum unanimes „in domo, hoc est Ecclesia Catholica, „cum filiali & Canonica erga Præsules „nostros reverentia, & obedientia ha„bitemus, & suo quisque munere in „glo-

„gloriam Dei, & ædificationem Cor- Sæc. XVII.
„poris Christi fungamur.„ A. C. 1696.

Quam immerito autem Hennebelus in suæ doctrinæ Patrocinium Scholas Ordinum S. Augustini, S. Dominici, Carmelitarum Discalceatorum &c. allegarit, patet ex eorumdem Ordinum aliorumque decretis, quibus sub gravissimis pœnis eorum Superiores Jansenii dogmata docere &c. suis subditis interdixerunt, sic Carmelitæ Romæ Anno 1680. in Capitulo Generali suis prohibuére, ne quid privatim vel publice docere aut prædicare, explicare vel suadere præsumant, quod damnatam per Pontificum Constitutiones doctrinam Jansenianam aliquatenus redoleat. Carmelitæ autem Discalceati jam Anno 1644. & 1649. Jansenii doctrinam v. g. Christum pro omnibus non esse mortuum, omnes fidelium actiones esse peccata, Deum non velle omnes homines salvare &c. doceri severe inhibuerunt, idem Anno 1656. die vigesima quinta Julii Patres Capuccini in suis comitiis Generalibus, Patres Minimi Anno 1650. Patres Oratorii Mense Septembri Anno 1678. Canonici Regulares Congregationis Gallicæ de Præmonstrato dictæ Anno 1650. & 1653. & Patres Fulliacenses Anno 1646. 1649. & 1652. aliique Ordines ferme omnes in-

Sæc. XVII. A. C. 1696.

indictis severissimis pœnis Jansenii, Arnaldi, Arnaldistarum &c. dogmata tenere prohibuerunt, exactamque Bullarum Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. aliorumque Pontificum observantiam inculcarunt.

Ceterum mox adductam Hennebeli declarationem approbavit Carolus Mauritius Tellier Archiepiscopus Rhemensis in suis literis die secunda Novembris hoc anno ad Vivaresium Sorbonæ Doctorem datis: nihilominus tamen Hennebelus tam hujus Præsulis patrocinio quam suis querelis adeo nihil profecerat, ut Innocentius anno priori ipsa etiam Jansenistarum effugia damnaret, edita Constitutione, quam supra pag. 198. retulimus, biennio autem post idem Pontifex die octava Maij Historicam Apologiam Quesnelli fulmine Vaticano percussit.

§. XVIII.

Documentum seu Epistola Pastoralis Noaillii Parisiensis Archiepiscopi circa materiam gratiæ.

Mem. Chron. & Dogmat. Argentre l. c.

Hoc anno Jansenii fautores librum sub titulo: *Expositio fidei Catholicæ circa gratiam & Prædestinationem,* iterato prælo subjecere. Hunc partum Martinus de Barcos Abbatis San-Cyrani Nepos, obste-

obſtetricante Pavillonio Alectenſi Epiſcopo edidit, veritatem gratiæ, ut ajebat ipſe, juxta mentem antiquorum Patrum explicaturus: Non deerant Pariſiis, qui in hoc quoque opere Janſeniani erroris fætorem olfacerent: ne ergo Ludovicus Antonius Noaillius recens nominatus Pariſienſis Archiepiſcopus ſuo deeſſet officio, aut per objectam Janſeniani patrocinii calumniam Regis ſui gratia primis jamjam diebus excideret, hunc librum die vigeſima Auguſti proſcripſit, edito hanc in rem Documento, ſeu Epiſtola Paſtorali, in qua vehementer declamabat adverſus illos, qui etſi Janſenii propoſitiones a „ſede Apoſtolica proſcriptæ, acceptata „proſcriptio unanimi ſuffragio ab om„nibus Franciæ Epiſcopis & univerſa „Eccleſia Catholica, proin Francia olim „novis erroribus turbata priſtinæ quieti „reddita eſſet, nihilominus quidam „caput rurſus ſuperbe erigunt, atque „hæreſis venenum expuunt, necnon „ad perturbandam Eccleſiæ pacem in „vulgus pernicioſos ſpargunt libros, „inter quos recenſuit præfatam expoſi„tionem, ipſus ego, addebat Noail„lius, hunc librum ſedulo diſcuſſi, alio„rumque examini ſubjeci, mox vero „omne Janſenianæ doctrinæ venenum „detexi: Igitur invocato Sanctiſſimo „Dei

Sæc. XVII. A. C. 1696.

Sæc. XVII. A.C. 1696.

„Dei Nomine, condemno hanc expo„sitionem ceu continentem propositio„nes falsas, temerarias, impias, blas„phemas, Deo injurias, suæ Divinæ „bonitati derogantes, anathemate per„culsas, atque hæreticas, ac demum „quinque propositionum doctrinam te„meritate eo minus toleranda innovan„tes, quo confidentius hujus libri Au„thor illas tanquam fidei Catholicæ con„sonas venditare præsumpsit, cum ta„men id non modo falsum sit, sed eas „fides abhorreat, ac universa Ecclesia „detestetur:„ Postea Archiepiscopus gratiæ doctrinam, quam tamen Jansenistæ Barcosiano libro haud absimilem dictitabant, in Institutione huic censuræ annexa explicuit, suamque epistolam his verbis absolvit: „Omnibus „viribus pro officii nostri ratione resiste„mus omnibus illis, qui ausu temera„rio Jansenii doctrinam innovabunt, „aut ore vel calamo directe Pontificum „Constitutiones impugnabunt, e con„trario nunquam tolerabimus, ut ho„mines non minus auctoritate quam „charitate destituti, fidem suorum Con„fratrum dijudicare, eorumque famam „nonnisi ex levi suspicione denigrare „præsumant.„ Verum Archiepiscopus hac sua Epistola non minus Jansenistarum quam Molinistarum odium sibi acer-

cerſivit, & horum quidem, eoquod illos tanquam homines nullius auctoritatis, charitatisque, ac veluti temerarios aliorum Judices notaſſet, Janſeniſtis vero diſplicuit, quod ut Archiepiſcopus Pariſienſis ſeſe Janſenii hoſtem declararit, cum tamen ut Epiſcopus Catalaunenſis Quesnelli *reflexiones morales*, ſubtiliſſimum Janſenianæ doctrinæ ſuccum, non ſine vaſtis laudum encomiis anno priori approbarit: unde haud mirum, quod tam hi, quam illi vindictam contra Archiepiſcopum ſumere meditarentur. Ceterum hic idem liber anno ſequenti die octava Maji a Romanis Cenſoribus inter libros proſcriptos per Sacræ Inquiſitionis decretum recenſitus eſt.

Sæc. XVII. A. C. 1696.

§. XIX.

Pariſinæ Facultatis Theologicæ cenſura in librum, cui titulus Civitas Myſtica *V. Mariæ de Agreda.*

Prodiit anno hujus ſæculi ſeptuageſimo in Hiſpania liber quidam, cui titulus, *Myſtica civitas Dei* ſeu *Hiſtoria Divina, & vita Virginis Matris Dei.* Hanc Maria a Jeſu Abbatiſſa Monaſterii Immaculatæ Conceptionis in urbe Agredana Provinciæ Brugenſis Ord. S. Franciſci ex repetito, ut credebat ipſa,

Argentre Coll. Jud. pag. 150. Obſerv. P. Amort Myſt. Civ. vind. P. Gonzalez.

Sæc. XVII. A. C. 1696

ipsa, Dei ac Magnæ Cælorum Reginæ mandato anno hujus sæculi trigesimo septimo conscribere cæpit, postquam vero hoc opus perfecerat, ex sui Confessarii consilio illud unacum aliis suis scriptis flammis tradidit: propterea autem a Superioribus suis objurgata, eorum, imo sua opinione rursus Dei & B. V. jussu die octava Decembris Anno 1655. hanc Historiam conscribere auspicata est: Vitam hujus famulæ Dei, ejusque heroicas virtutes Sacra Rituum Congregatio jam dudum examini subjecit: & si quid ejus Beatificationem moratur, ad innumeras pene visiones, & revelationes, quæ in hoc libro recensentur, restringitur: an vero totius hujus posthumi partus, prout nunc exstat, non ipsa Virgo, sed ut primo creditum, Placentiæ Episcopus quondam Franciscanus, vel alius subtilis quidam Scholæ Scotistæ Theologus fuerit Author & utrum in quibusdam visionibus nonnullæ illusiones phantasiæ intervenerint, Ecclesiæ Romanæ judicio lubenter relinquo, idque Historici sphæram excedere, haud ignoro. Inde vero haud levis exorta est controversia, quæ hodiedum propter Agredanum librum non infimi subsellii Viros exagitat, ac mystica Civitas ab aliis impugnata, ab aliis acriter defensa,

Non nemo de vov. Evangel. Resp. Client. Mar.

varia

varia ſubiit fata, ſat propitia in Hiſpaniis, ab Hiſpanis Luſitanis, & Brabantinis approbatoribus munita: minus autem eidem favent judicia Germanorum ac præcipue Gallorum; quamprimum enim Pater Thomas Croſſetus Franciſcanus Maſſilienſis hoc theſauro Franciam locupletandi animo hunc librum ex Hiſpano idiomate in Gallicum tranſtulit, ac anno priori Maſſilienſibus literis excudi curavit, mox anno ſequenti Sorbonæ Syndicus primam hujus Verſionis partem in pleno Doctorum conſeſſu denuntiavit. Igitur Facultas Theologica quosdam deputavit Doctores: qui hanc Hiſtoriam maturo ſubjicerent examini, ac deſuper in proximis comitiis referrent, quo facto Sacra Facultas Theologica Pariſienſis die decima ſeptima Septembris hanc pronuntiavit cenſuram die prima Octobris ab octoginta quinque Doctoribus confirmatam. Sæc. XVII. A. C. 1696.

„Cum in comitiis Ordinariis Sacræ „Facultatis Theologicæ Pariſienſis, die „ſecunda Maij anno Domini 1696. ha„bitis in Aula Sorbonæ, poſt ſolemne „Sacrum de ſancto Spiritu, M. Claudius „le Feuvre, Doctor & Syndicus ejus„dem Facultatis librum obtuliſſet evul„gatum ſub hoc titulo: *Myſtica Civi„tas Dei*, ut Facultas in eum animad-

Sæc. XVII. A. C. 1696.

„verteret; selecti sunt quatuor ex Ma„gistris ejusdem Ordinis, qui unacum „DD. Decano & Syndico diligenter le„gerent, & examinarent prædictum „librum, & de eo ad proxima Comitia „generalia referrent. Quod cum illi „in variis confessibus privatis intra duos „menses habitis, magna & diuturna „conquisitione præstitissent; die secunda „Julii ejusdem anni, suffragiis consen„tientibus, retulerunt, & exhibuerunt „Propositiones ex prædicto libro ex„cerptas, quas Censura notandas exi„stimarunt. Quibus auditis, & dato „omnibus & singulis Magistris illarum „Propositionum cum earum notis indi„culo, assignata sunt Comitia generalia „ad diem 14. ejusdem mensis, in qui„bus auditis iterum iisdem DD. Depu„tatis, ac triginta duabus Congrega„tionibus habitis, in quibus centum „quinquaginta duo Magistri dixerunt, „die tandem 17. Septembris ejusdem „anni, Sacra Facultas, conclusione „lata, prædictum librum damnandum „censuit, prout de facto damnavit.„

„Verum antequam propositionibus „exhibitis singulares notas apponat, „præmittendam censuit contestationem „publicam, qua profitetur, se nihil „quidquam, ferenda censura imminu„tum velle de vero, & legitimo cultu,

„quem

„quem Sanctiſſimæ Deiparæ exhiben- Sæc. XVII.
„dum præſcribit Catholica per orbem A. C. 1696.
„Eccleſia, cujus quidem honoris vin-
„dicem ſe præ ceteris præbuit hactenus,
„& qualibet occaſione data præſtituram
„ſe ſpondet.„

„Declarat itaque, ſe Sanctiſſimam
„Virginem Mariam, ut vere & proprie
„veri Dei Matrem venerari & magnifi-
„care, eamque univerſa viſibili & in-
„viſibili creatura ſuperiorem reputare,
„ut loquitur Sanctus Germanus Pa-
„triarcha Conſtantinopolitanus. Te-
„nere ſe etiam cum Eccleſia, BB. Vir-
„ginem ſpeciali Dei privilegio immu-
„nem fuiſſe a peccatis omnibus, etiam
„venialibus; eamque cum ſancto Proclo
„tanquam penetrale innocentiæ Sacra-
„rium venerari. Se quoque confiteri,
„illam eſſe Matrem Dei ſimul & Virgi-
„nem: ac proinde deteſtari hæreſes
„Neſtorii, Ebionis, Joviniani, Helvidii.
„Agnoſcere cum ſancto Irenæo Advo-
„catam; cum ſancto Baſilio Seleucienſi,
„aliisque Patribus Mediatricem; tum
„pro materna, qua Salutis noſtræ ne-
„gotium apud filium pertractat chari-
„tate, tum pro ſumma, qua apud ipſum
„pollet, gratia, ejusque ut dignitatem
„ſupra Sanctos omnes prædicat, &
„ſuſcipit, ita & potentiori ejus inter-
„ceſſioni, & tutelæ præcipue confidere.

Sæc. XVII. A. C. 1696.

„Stare se determinationi Majorum suo-
„rum de conceptione immaculatæ Vir-
„ginis Mariæ; videlicet, quod in sua
„conceptione præservata fuerit ab origi-
„nali labe. Sentire se denique cum
„veteri Liturgia Gallicana, eam in Cæ-
„lum post mortem cum corpore & ani-
„ma fuisse translatam.„

„Verum cum Sanctissima Virgo falso
„non egeat honore, veris cumulata ho-
„norum titulis, & infulis dignitatum,
„ut docet sanctus Bernardus, immo-
„deratum, superstitiosum, commenti-
„tium cultum plane non admittit Sacra
„Facultas; siquidem non est hoc Vir-
„ginem honorare, sed honori ejus de-
„trahere, ut idem sanctus Bernardus
„loquitur. Inde observabat olim sa-
„pienter sanctus Epiphanius: par. &
„idem ex ambabus hæresibus detri-
„mentum accidere, cum alii Sacro-
„sanctæ Virginis dignitatem elevent,
„alii præter modum & rationem attol-
„lant. Recte autem ad propositum ad-
„dit idem Epiphanius, posterius dogma
„(eorum scilicet, qui Virginis digni-
„tatem præter modum attollunt) vix
„alios Authores, ac Patronos habere,
„quam Mulieres; mirum enim est, quan-
„tum hoc in genere in prædicto libro,
„cujus una versio Gallicana facultati
„exhibita est, excesserit & aberra-veri

„Mu

„Mulier illa, quæ hiſtoriam texuit vitæ „BB. Virginis tam abſonam certe, quam „inauditam, quamque, dum a Deo ſibi „revelatam aſſerit, ſi non intendit il- „ludere legentibus, ipſa profecto ma- „nifeſte illuditur, ubi fabulas, nugas, „commenta, & errores, quorum Deus „Author eſſe non poteſt, pro myſteriis „divinitus revelatis obtrudit, & velut „veritates conſtantes univerſis pro- „ponit. „ Sæc. XVII. A. C. 1696.

„Ad hæc advertens Sacra Facultas „de excerptis propoſitionibus, deque „ipſo libro, ut Gallice traditus eſt, ſic „tandem pronuntiavit. „

Poſtea Facultas ex hoc libro retulit propoſitiones cenſura dignas, & quidem:

I. „Amore paterno (ſic Deum lo- „quentem inducit libri Author) tunc „miſi Filium meum in ſalutem æter- „nam, & remedium naturæ humanæ „ . . . . nunc, ut hominibus novam „gratiam facerem, tempus proprium „advenit, in quo miſericordiam & au- „rum meum luculentius comprobabo, „nunc, ubi mundus pervenit ad ne- „quiſſimum ſæculum, quod fluxit ab „incarnatione Verbi, oſtendam poten- „tiæ meæ miracula, quæ operatus ſum „in Matre Filii mei, quæ hucusque

Sæc. XVII. A. C. 1696. „ex arcanis meis judiciis occultata per„manserunt. „

Cenſura. *Si intendat Author in prædictis propoſitionibus, myſteria de Sanctiſſima Virgine ſibi (ut ait) recens revelata, comparare, & præferre myſterio Incarnationis Verbi, & in illis majorem Dei miſericordiam, quam in iſto eluxiſſe; amoremque ejus magis operativum fuiſſe: Hæc doctrina falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & impia.*

Si vero tantum intendat gratiam, & beneficium prædictorum myſteriorum ſibi (ut ait) recens revelatorum præferri debere omnibus gratiis, & beneficiis, quæ Deus a tempore Incarnationis hominibus contulit: Hæc doctrina falſa eſt, temeraria, & ſcandaloſa.

II. „In primitiva Eccleſia hæc mi„ſteria non revelavi, quia tunc ſtabi„liendi erant articuli de Chriſto, nec „erat Religio pluribus implicanda dif„ficultatibus, hinc Verbum Incarna„tum ad diſcipulos ſuos dixit: *plura „habeo vobis dicere, ſed non poteſtis modo „portare . . .* Deſcribe igitur pro viri„bus tuis, hanc civitatem Dei: Volo „enim, ut hæc vitæ illius deſcriptio „non habeatur pro opinione, aut me„ditatione, ſed pro certa veritate. Hæc „Deum ad hanc Monialem dixiſſe, ſcri„bit Author. „

Cen-

Sæc. XVII. A. C. 1696.

Censura. *Hæ propositiones, quibus Author asserit, veritates sibi fuisse revelatas, ipsis prioribus Ecclesiæ sæculis incognitas, imo & de ipsarum numero, quas Apostoli ipsi portare non poterant, easque tanquam constantes & infallibiles fidelibus proponit: falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, fanaticis & hæreticis favent, ad omnes novitates viam aperiunt, & Ecclesiæ Authoritati derogant, ad quam pertinet, fidelibus proponere veritates, tanquam constantes, & infallibiles, ex verbo Dei scripto, vel non scripto per Apostolos ad nos transmisso.*

III. „Et nos, Dei spiritus adoramus „& honoramus Beatam hanc fæmi„nam &c.„

Censura. *Licet adorationis nomen æquivoce sumatur, & aliquando in scripturis & nonnullis Patribus in honore Creaturis debito usurpetur, tamen cum ex Ecclesiæ usu terminus ille usurpari debeat ad significandum supremum cultum soli Deo debitum, nec possit sine periculo scandali Creaturis communicari: Hæ propositiones, quatenus eodem adorationis termino cultum exprimunt exhibitum, vel exhibendum beatissimæ Virgini, qui ipsi Deo exhibitus ab Authore exprimitur; scandalosæ sunt, & in errorem inducentes. Quatenus autem dicunt Sanctissimam Virginem adoratam ab Angelis, statim ut ipsi creati sunt, &*

Sæc. XVII. A. C. 1696.

statim, atque ipsa orta est, tum etiam adoratam in throno Altissimi, respective temerariæ sunt, & falsæ.

IV. „Tum (scilicet ante Incarnatio„nem Verbi) Verbum prima vice no„mine Humanitatis coram Divinitatis throno interceſſit.„

Censura. *Hæc propositio male sonat in fide, & injuriosa est Divinitati Verbi.*

V. Notavit Facultas propositiones quinque ex Pag. 204. 229. 231. 232. eas vero esse *propositiones castarum aurium offensivas* censuit.

VI. „Descendit B. V. ornata & locupletata pro Deo, qui ei dedit omne, „quod voluit dare; voluit autem dare „omne id, quod potuit, & potuit dare „omne id, quod non fuit esse Divinum.„

Censura. *Cum ea dona Deus beatissimæ Virgini contulerit, quæ secundum ordinem sapientiæ suæ ipsi conferri decebat; & in Evangelio manifestum sit, Deum non omnia ei contulisse, quæ conferre potuit: Hæc propositio falsa est, temeraria, & Evangelicæ doctrinæ contraria.*

VII. „Declaro sæpius & veritatis, & „illustrationis vi impulsa, omnia privi„legia, gratias, prærogativas & favo„res & dona B. V. etiam dignitatem „Matris Dei dependere, ac ducere ori„ginem ex eo, quod fuerit immaculata „& plena gratia in Conceptione, ita „ut

„ut in defectu hujus privilegii reliqua Sæc. XVII.
„omnia forent defectuosa, ac superbum A. C. 1696.
„ædificium sine fundamento.„

Censura. *Quamvis Facultas Theologiæ Parisiensis tenuerit, & teneat, Sanctissimam Virginem fuisse in sua conceptione a labe Originalis peccati præservatam; tamen hæc doctrina, quæ dogmata de sanctissima Virgine ad fidem pertinentia, ut Dei Maternitatem, & perpetuam Virginitatem, pendere asserit a sententia, quæ de fide Catholica non est, & ita pendere, ut alioqui fundamentum solidum non haberent: falsa est, temeraria, & fidem in Conciliis stabilitam infirmans.*

VIII. „Hic amor eluxit magis in „nocte, quam Sanctissimi sui Filii mors „caussavit toti Ecclesiæ, cujus regimen „ab initio Legis Evangelicæ huic ma„gnæ Reginæ tribuitur.„

Censura. *Hæc propositio, quæ tribuit Sanctissimæ Virgini regimen Ecclesiæ, falsa est, temeraria, & erronea.*

IX. „Ipsa de semetipsa dicit: Per „me Reges regnant, & potentes &c.„

Censura. *Cum perspicuum sit verba capitis octavi Proverbiorum de sola Sapientia increata, vel incarnata, juxta SS. Patrum unanimem consensum ad literam esse intelligenda; & declaraverit Author in Libro*, pag. 61. *Deum ad literam in eo capite de verbo incarnato, & sanctissima*

Sæc. XVII. A. C. 1696.

ejus Matre, locutum fuisse: Hæc propositio, quæ inducit sanctissimam Virginem dicentem de se, quod ipsa dixerit Proverbiorum octavo: Per me Reges regnant, &c. *falsa est, & temeraria.*

X. „Beata Virgo sæpius in corpore „& anima ab innumeris Angelis ad Cæ„lum Empireum fuit elevata; Angeli „educarunt illam inter brachia S. An„næ, novamque ac solemnem processio„nem instituerunt.„

Censura. *Hæ propositiones falsæ sunt, temerariæ, & Contrariæ verbo Dei. Joannis cap.* 14. *v.* 2. Vado parare vobis locum. *Ad Hebræos* 6. *N.* 19. *&* 20. Spem habemus incedentem usque ad interiora Velaminis, ubi Præcursor pro nobis introivit *Jesus, & cap.* 10. *N.* 19. Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam.

XI. „Partus S. Annæ fuit adeo pu„rus, qualis decebat puritatem filiæ, „ac licet alia non indiguisset puritate, „satisfecit tamen legi communi.„

Censura. *Hæc propositio falsa est, temeraria, & verbo Dei contraria.*

XII. „Omni modo est Mater Miseri„cordiæ, & Mediatrix gratiæ.

Censura. *Licet Sanctissima Virgo præ omnibus Sanctis mediatrix sit per intercessionem: Hæc tamen propositio, quate-*

nus

nus asserit illam esse omnibus modis mediatricem, falsa est, erronea, & Christo, qui solus Redemptor ac Salvator noster est, & unus per redemptionem Mediator, injuriosa.

XIII. „Si homines viderent charita„tem B. V. forent æternum Beati, & „omnes, qui ad Dei cognitionem per„venerunt, iter calcarunt in lumine „sanctæ hujus civitatis, hinc S. Joan„nes dicit: *Nationes ambulabunt in lu„mine ejus.*„

Censura. *Hæc propositio, quæ Sanctissimæ Deiparæ tribuit, quod soli Verbo competit falsa est, scandalosa, & erronea.*

XIV. „Tota prima hebdomada, qua „creatus est mundus, lucifer & ejus „Angeli laborabant in excogitandis sce„leribus perpetrandis contra Christum, „ejusque Matrem . . . quamprimum „autem in inferno fuerant, Lucifer col„legit Concilium plenarium omnium „dæmonum, & cum iis deliberavit us„que ad diem Jovis. . . . . Deus Chri„stum, ejusque Matrem voluit esse o„pera perfectissimæ suæ sapientiæ & „omnipotentiæ, ad quorum similitudi„nem decrevit formare reliquum ge„nus humanum . . . nisi SS. Joachim „& Anna emisissent votum, quod pro„lem, si quam susceperi essent, Deo „in Templo offerre velint, non obtuis„sent,

Sæc. XVII. A. C. 1696.

„sent, nisi inviti, & hoc propter ma-
„gnum amorem erga Filiam suam, ...
„S. Anna non manifestavit S. Joachi-
„mo, quod ejus Filia sit futura Mater
„Dei .... Deus constituit nongentos
„Angelos pro custodia B. V. ex singu-
„lis novem Choris Angelos centum,
„item constituit alios duodecim, qui
„corporaliter & visibiliter signa re-
„demptionis præseferentes eidem ser-
„virent. Præterea constituit Deus
„octodecim sublimiores Angelos, qui
„servirent tanquam Tabellarii, item
„alios septuaginta Seraphinos pro con-
„versatione &c.„

Censura. *Hæ omnes propositiones respective temerariæ sunt, & contra Ecclesiasticæ Regulæ modestiam assertæ; pleræque fabulas, & somnia Apocryphorum redolent, & religionem Catholicam impiorum, & hæreticorum contemptui exponunt.*

Cæterum non intendit sacra Facultas alia multa, quæ in dicto Libro continentur, approbare, & præcipue ea loca, in quibus sacræ Scripturæ testimoniis ad privatum sensum Author passim abutitur, sicut nec ea, in quibus opiniones mere scholasticas a Deo revelatas asserit, & ut tales omnibus proponit.

Quamprimum hæc censura prodiit, prodiere etiam Agrediani pugiles; præprimis enim Parisiis horum quidam

mox

mox anno sequenti libellum *de Caussa Mariæ de Agreda, & de dolis, quibus ejus condemnatio in Sorbona fuit extorta edidit*, ac Parisienses Doctores, qui hanc censuram tulerunt, animas venales appellitavit. In Hispaniis vero Tolosana Universitas & doctissimus Cardinalis de Aguirre edito singulari scripto hanc censuram impugnasse dicitur: Ipsa etiam Parisiensis censura, facta per Agredianos appellatione, ad altius Tribunal fuit devoluta, primitus tamen ab Innocentio XI. Agredanæ revelationes in Congregatione S. Officii fuerunt examini subjectæ, ac postea Romæ decreto S. Conpregationis judicio anno hujus sæculi octogesimo primo proscriptæ sunt, quæ enim reipsa a Deo Servis suis revelantur, semper sunt scientiæ, ac res, quæ vel ad proprium talis piæ animæ profectum, vel ad communem Ecclesiæ utilitatem pro firmanda fide, morumque sanctitate tendunt, non autem ad illius, qui revelatione honoratur, intellectum subtilitatibus mere scholasticis, & vix non profanis excolendum; quid autem ad Monialis sanctitatem & profectum vel communem Ecclesiæ utilitatem confert, scire, quem locum in ideis & Decretis Divinis habuerit Christus & B.V. vel quænam opinio circa adventum Christi, si Adam non peccasset,

Sæc. XVII. A. C. 1696.

Sæc. XVII. A. C. 1696.

cassetet, sit vera, aut an in libro Numerorum contineantur necessaria ad Arithmeticam, vel quot Angelos B. V. ad sui custodiam habuerit, an Deus majorem in efformando corpusculo B. V. quam in creatione cæli & terræ curam habuerit, qua die anima corpori huic fuerit infusa, quando B. V. cæperit post nativitatem loqui, an habuerit scientiam militarem, & notitiam stellarum, an tres Reges fuerint docti, & nati ex Persia, Arabia, & Saba, an Herodes minorem pœnam patiatur, quam pateretur, si Jesus pro eo non orasset &c.

Nihilominus tamen instantibus libri Agrediani fautoribus Hispaniæ Rex datis ad Benedictum XIII. literis tantum impetravit, ut præfati decreti executio suspenderetur, totaque causa a S. Officii Congregatione avocata, peculiari Congregationi SS. Rituum ad examen committeretur: teste tamen Nicolao Ridolfi Congregationis Indicis Secretario ac postea S. Palatii Magistro, idem Benedictus Papa alio decreto testatus est, prius decretum clancularie ac fraudulenter fuisse extortum, proin proscriptionem revelationum Agredanarum in suo robore persistere: Hujus tamen Pontificii diplomatis promulgationem præpedivit, Patronorum multitudo ac potentia: Habetur quoque Bossue-

Bossuetii Episcopi doctissimi libro cui titulus: *traditio de novis Mysticis*, annexus tractatus, in quo celeberrimus hic Præsul eas revelationes rejicere videtur: novioribus etiam temporibus hasce revelationes impugnabat Clarissimus D. Eusebius Amort Canonicus Regularis Lateranensis Polingæ in suo libro de revelationibus & visionibus, hunc refellere nitebatur Didacus Gonzalez Mathæo Franciscanus, hancque in rem edidit mysticam suam Dei civitatem vindicatam, huic suppetias tulit P. Lendelinus Mayr itidem Franciscanus atque Anti-Agrediştam, qui se *Non neminem* vocabat, refutare aggressus est, quibus tamen præfatus D. P. Amort opposuit librum sub titulo: *Controversia de revelationibus Agredanis*, ac postea *novam* suam *demonstrationem de falsitate revelationum* &c. sub idem ferme tempus prodiit die quinta Septembris Anno 1747. in eadem caussa judicium S. Congregationis, ubi habetur: *ex hactenus deductis non constare, prout oportet, in casu, & ad effectum, de quo agitur, quod opus inscriptum Mystica Civitas Dei, sit opus Ven. Servæ Dei Sororis Mariæ a Jesu de Agreda; ex gratia tamen speciali, Postulatoribus indulgeri, ut in Caussa Beatificationis, ac Canonisationis ejusdem, ad ulteriora procedatur, ita*

Sæc. XVII. A. C. 1696.

Sæc. XVII. A. C. 1696.

ita tamen, ut dubium ſuper virtutibus non abſolvatur, niſi prævio iterato novo definitivo Decreto, aut a Nobis, aut a Noſtris Succeſſoribus, præmiſſis uti ſupra reſpective præmittendis edendo, in quo vel ſtatuatur opus prædictum non eſſe Servæ Dei, vel conſtito eſſe opus ejusdem, definiatur, nihil ibi vel in aliis operibus ejusdem Servæ Dei, reperiri, quod ſit contra fidem, bonos mores, vel, quod ſapiat doctrinam aliquam novam, & peregrinam, atque a communi ſenſu Eccleſiæ, & conſuetudine alienam, juxta præſcripta in Decretis Urbani VIII.

Hæret adhucdum hæc cauſſa Romæ in Sacra Rituum Congregatione, cujus nec judicium prævertere, nec Sanctitati hujus Virginis derogare, vel doctrinæ ſuæ cenſuram ferre, Decretis Urbani VIII. & Innocentii XI. PP. obtemperans, intendo: Ceterum has revelationes impugnantium & defendentium nondum deferbuit animoſitas; in hoc enim bella profana ab Eccleſiaſticis differre videntur, quod illa tandem pace finiantur, hæc tamen perennia ſint, niſi litigantes partes aut Eccleſiæ gladio, vel impoſito ſilentio conterrantur.

§. XX.

Sæc. XVII. A. C. 1696.

§. XX.

Controverſiæ circa Hagiographos Belgas ſucceſſus.

Cum Hagiographi Belgæ grave admodum ſibi per Inquiſitionum Hiſpanicarum ſententiam vulnus inflictum ſentirent, quod via juſtitiæ amiſerunt, via gratiæ obtenturi omnium ferme Principum, ſuorumque fautorum aures pulſabant, ſupplices, ut ſuam cauſſam defendere permitterentur, præprimis vero apud Leopoldum Imperatorem, & Carolum II. Hiſpaniæ Regem, necnon Germaniæ Principes, & Prælatos inſtabant, quatenus hi Innocentium XII. Papam eo inclinarent, ut Papebrochius, Janinngus & Baertius in ſui defenſionem reciperentur, & cenſura in Hiſpaniis adverſus eorum libros pronuntiata denuo ad limam revocaretur: Hanc in rem etiam libellum ſupplicem ſummo Pontifici, necnon ſupremo Inquiſitori Madritenſi porrexerunt, qui etiam eorum votis annuens, die tertia Auguſti ſequens Decretum eis conſignari præcepit:

„Excellentiſſimus Dominus Archi„epiſcopus Valentinus, Inquiſitor Gene„ralis, cum Dominis de Conſilio Maje„ſtatis ſuæ ſanctæ Inquiſitionis Gene„ralis,

Sæc. XVII. A. C. 1696

„ralis, visis petitionibus Patrum Antonii Beltran, & Josephi de Aguirre, „Procuratorum generalium Societatis „Jesu in Castellæ Provincia, quas exhibuerunt pro parte Patrum, Danielis Papebrochii, Franciſci Baertii, & „Conradi Janningi, ejusdem Societatis Religiosorum, petentium sibi dari „copiam Propositionum delatarum, „& Censuræ latæ super illas, ut contentas in Libris intitulatis Acta Sanctorum &c. Ut prædicti eorum Auctores Papebrochius, Baertius, & „Janningus possint respondere, & satisfacere censuræ super eas latæ; jusserunt, ut eis detur copia, & transsumptum, quod petunt, juxta stylum „sancti Officii, atque ut P. Josepho de „Aguirre, Procuratori actuali ad id „instituto, tradatur, accepto vicissim „recepisse, & juramento pro se, & Partibus, quas repræsentat, præstito, „quod dicta copia servabitur cum omni „Cautela, & secreto convenienti, nec „cuiquam omnino communicabitur, „præterquam Auctoribus dictorum libris, aut aliis, quos Societas designaverit ad responsionem, & defensionem; sic, ut inde non extrahatur „alia copia, vel copiæ: quod si ad „hunc finem aliæ plures necessariæ „sint, eas petent, sub pœna excommunica-

„municationis majoris ipso facto incur- Sæc. XVII.
„rendæ, & cum interminatione, qua A C. 1696.
„contra secus facientes procedetur ad
„id, quod locum in jure habebit.„

„Item, ut illis mandetur sub eis-
„dem Censuris & pœnis, ut non impri-
„mant defensorium, quod formabunt,
„& mittent ad sanctum Officium, neque
„copiam inde sumant, publicent, aut
„participent personæ cuicunque: opere
„autem finito ipsum præsentabunt suæ
„Excellentiæ, & Dominis prædicti
„Consilii, simul cum adversariis pri-
„mæ suæ, quantumvis maculosæ,
„scriptionis, quibus usi fuerint; sic,
„ut folium omnino nullum, mun-
„dum vel immundum, apud Au-
„ctores remaneat, remittendo easdem
„Propositiones, & Censuras, quæ ipsis
„concessæ fuerint. Contentum autem
„hujus Actus notificetur D. Patri Jo-
„sepho Aguirre, cujus etiam ei copia
„detur.„

Nec minus propitium habuere Leopoldum Imperatorem, ac præ ceteris Petrum Codde Sebastenum Archiepiscopum, & Belgii fœderati Vicarium Apostolicum, cujus, etsi apertus esset Quesnelli fautor, patrocinium Jesuitæ hac in caussa non respuerunt: Hic ergo ad ipsum Pontificem has dedit literas.

Sæc. XVII.
A. C. 1696.

Beatissime Pater.

„Cum adversus acta Sanctorum nova, „eaque perquam gravis concitata sit „tempestas, acri admodum contra ea „extra urbem lata censura, indubie „plurimi Sanctitatis Vestræ pedibus ad„volventur precatores, ut pro suprema „sua auctoritate opus illud, quod ubi„que terrarum ab eruditis piisque mire „celebratur, dignetur protegere. Huic „Supplicantium agmini me jungere non „præsumerem, nisi muneris a Sancti„tate vestra injuncti ratio urgeret. „Etenim Beatissime Pater, si præclaro „isti operi, vel potius librorum Cata„logo, atrum stigma, nullo remedio, „aut lenimento adhibito, maneat in„ustum; Heterodoxi novo fastidio Ca„tholicam Ecclesiam aspernabuntur, „longiusque animos ab ea avertent, „quos de candore, & eruditione Or„thodoxorum meliora, ac proximiora „saluti sentire lucubratio ista cogebat. „Non possum itaque non etiam pro „modulo meo Sanctitatis Vestræ patro„cinium isti tot annorum, & tot labo„rum eximio Societatis Jesu fructui, „qui in tantam Ecclesiæ, præsertim „inter Acatholicos, militantis, cedit „utilitatem, submissime implorare. „Cæterum rogo humillime, ut Sancti-

tas

„tas vestra hanc meam supplicam, Sæc. XVII.
„quam (nullis, ut arbitror, affectibus A. C. 1696.
„ductus, sed sincero Religionis studio
„excitatus) tuis sacris pedibus advolvo,
„pro sua Clementia æqui bonique con-
„sulere non gravetur: qui observantis-
„simo eis affixo osculo me profiteor.„

Præterea ipse Papebrochius hoc anno publica, & sequenti anno secreta Apologia se sociosque suos articulatim contra propositiones censuris notatas defendit, non alio tanti conatus successu, nisi quod Hispana Inquisitio anno sequenti omnia scripta hanc causam utrinque concernentia prohibuerit, & Pontifex die decima septima Junii totam causam inter Carmelitas & Socios controversam ad se revocarit, & aliqua expungi ac mutari jusserit, demum vero utrique parti silentium indixerit, declarans tamen, quod non intendat *per silentii hujus impositionem uni vel alteri ex dictis sibi adversantibus sententiis ullum majus pondus adjungere, sed utramque manere velit in statu & terminis, quibus de præsenti reperitur, donec aliter sibi & S. Sedi visum fuerit determinare.*

Sæc. XVII. A. C. 1696.

§. XXI.

Parisiensis Parlamenti decretum in caussa recursus ad Sedem Apostolicam.

Obtinuerat anno priori Benedictinorum Prior Congregationis Rebacensis a summo Pontifice diploma Apostolicum, vi cujus possessio ac jus in quasdam Parochiales Ecclesias, quas Benignus Bossuetus Meldensis Episcopus sibi vendicare nitebatur, præfatæ Congregationi asserebatur: quamprimum vero id præfato Præsuli innotuit, mox rem ad supremam Parisiensem Curiam devolvit: die igitur decima nona Januarii supremus Benedictini Ordinis Generalis se sistere, & coram Curiæ Senatoribus desuper rationem reddere jubetur: Attamen omnibus vindiciis prævalere credebatur culpa, qua abusivo veluti recursu protectionem in extero Tribunali quærens, Cleri Gallicani libertates violasse arguebatur: quocirca Parlamenti edicto deinceps ab ejusmodi recursu abstinere jussus est; prætendunt enim Galli, caussas prorsus omnes intra Regni limen primo judicio agitandas ac definiendas esse.

Billet. annal. cont. pag. 993.

Sæc. XVII.
A. C. 1696.

§. XXII.

Raſcianorum Patriarcha & quidam Turcæ fidem Catholicam profeſſi.

Die ſexta Januarii Budenſis Vice-Baſſa, qui jam integro decennio Viennæ captivus hærebat, unacum uxore ſua ibidem Sacro fonte tinctus a Mahometana ſuperſtitione ad fidem Catholicam rediit, ac propterea a benigniſſimo Imperatore Leopoldo nobile quoddam prædium, aliaque Cæſareæ liberalitatis inſignia recepit. Hujus Turcæ exemplum ſequebatur Theophilus Raſcianorum Archimandrita ſeu in Hungaria, Sclavonia, Tranſylvania, aliisque finitimis locis Patriarcha; poſtquam enim Belgrado a Turcis recuperato unacum viginti ſuorum millibus ſeſe Cæſaris patrocinio ac clientellæ devoverat, die decima octava Martii haud anguſtum illius regionis tractum prope Budam incolendum aliosque favores pro ſe, ſuoque Clero & Eccleſiis recepit: ſuam vero gratitudinem teſtaturus, non modo aliquot ſuæ Nationis millia ſub Cæſareis vexillis militatura ſpondebat, ſed inſuper ipſe cum aliis ejurato ſchismate fidem Romano-Catholicam profeſſus eſt. Præterea Liberachi Baſſa cum fratre ſuo, totaque

Theatr. Europ. t. 15.

Sæc. XVII. A. C. 1696.

familia ad Venetos transiit, omnesque præsidiarii, qui in Uranograz & Tudorovo arcibus a Comite Budiano capti fuere, unacum suis uxoribus, prolibus Baptizati, Mahometis impietatem detestati sunt.

§. XXIII.

Anceps prælium Cæsareos inter & Turcas.

Wagner Hist. Leop pag. 313. Hode vie du Louis XIV. pag. 198.

Dum hæc Viennæ gerebantur, Fridericus Augustus Saxoniæ Elector, qui Cæsareo exercitui cum suprema potestate præfuit, in Hungaria collectis undique copiis Temesvariam oppugnare constituit, admotisque belli tormentis obsidionales fossas versus arcem promovit: cum autem Sultanus trajecto simul Savo & Danubio, urbi suppetias ferre festinaret, Elector conclamatis vasis hosti obviam processit, prælium tentaturus: Igitur octo lectissimas cohortes selegit, quæ superatis obstantibus dumetis obliquum hostium latus adorirentur, ac tamdiu pugnando persisterent, donec universus exercitus in pugnam succederet: Dies erat vigesima quarta Augusti, qua Cæsarei sexta a meridie hora in Turcas incurrere, atque edita circum multa hostium cæde, mox ad currule sepimentum

tum penetrarunt: non minus animoſe Janiſſari in dextrum cornu iterato impetu effunduntur, ſemper tamen ſtrenue repulſi: acrius tum utrinque incaluit certamen, quod tamen ingruentes noctis tenebræ diremerunt: altera die per exploratores cognitum, Turcas ad caſtra arbuſtis & paludibus undique cincta, noſtrisque impervia feceſſiſſe: nil aliud ergo Cæſareis reliquum erat, quam ut inſtructa acie Turcas e ſuo nido ad apertum campum pollicerent: nec huic conſilio optatus deerat ſucceſſus; Sultanus enim relictis caſtris Temesvariam verſus movit, atque in Cæſareos, priusquam ordines ſatis coire poſſent, tam violento impetu ruit, ut duas Saxonicas cohortes ſtatione moveret, ac vix non ſecundæ aciei ordines perrumperet; Cæſarei tamen equites calcaribus ſubditis barbaros non ſine magna difficultate repreſſerunt, laboratum vero præcipue in extrema ala; quippe acrius, quam cautius Cæſarei hoſtem inſecuti, a Turcico Equitatu cincti in fugam aguntur, & integra ala propemodum profligatur: Saluti adhucdum erat Capprariana legio, quæ invicto robore pugnam ſuſtinens, ſparſis ſeſe colligendi ſpatium indulſit, unde reſumptis animis Spahios adorti eos tam præcipiti

Sæc. XVII. A. C. 1696.

Sæc. XVII. A. C. 1696

impetu retrundunt, ut denſius conferti, atque alius alio implicati mille amplius a ſuismet interficerentur. Has inter tumultuarias incurſiones variabat prælii fortuna, jam in noſtros, nunc in hoſtem inclinata, & opaca nocte pugnandi facultatem præripiente, uterque exercitus in acie perſtitit, ignari victi eſſent an victores: utrinque enim erat æqua propemodum cædes ac gloria: niſi quod noſtri duodeviginti belli tormenta, & quinque colubrinas deficientibus equis hoſti relinquere cogerentur: Cecidere ex Cæſareis ter mille quadringenti viginti ſex, atque inter eos Heiderſcheimius Bellidux animi fortitudine, ac militari experientia longe celeberrimus. Certiore victoria Contarenus Venetæ claſſis Archithalaſſus ad Inſulam Andrum Turcicas naves partim combuſſit, partim cepit, aut in turpem fugam abegit.

§. XXIV.

Inducia inter Gallos & Sabaudiæ Ducem initæ.

Hiſt du Princ Eug. tom. 1. l. 2. pag. 190.

Segnities, qua bellum tam ad Rhenum, quam in Flandria agebatur, futuræ paci præludere videbatur, dudum enim fœderati non minus quam Galli oppoſita tenebant caſtra, & præter

ter crebras velitationes, ac fœderatorum procurſiones in Lotharingiam & Alſatiam nec certamen initum, nec Urbis obſidio tentata. Interim Victor Amadæus Sabaudiæ Dux, incaſſum ſaniora ſuadente Cæſaris Legato Principe de Fondi, clam cum Gallis aut pacem aut belli inducias inire moliebatur; ampliſſimis enim Franciæ Regis pollicitationibus pellectus, necnon ſummi Pontificis ac Venetorum monitis impulſus, ut fœderatis ſua tegeret conſilia, ſparſo peregrinationis Sacræ obtentu Lauretum conceſſit, ubi Curſo Cardinali ſummi Pontificis Legato, necnon Venetæ Reipublicæ, & Catinati Oratoribus expoſuit, Franciæ Regem pollicitum eſſe, ſe in Italiam prævalidas copias ſub Ducis imperio immiſſurum, ſuisque expenſis octo Sabaudorum millia ſuſtentaturum, Ducique redditurum non modo Pignerolium, ſed etiam omnia, quæ de Pedemontio ac Sabaudia bello cepiſſet: inſuper inter filiam Ducis natu majorem, & Burgundiæ Ducem, nequidem petita dote, nuptias conciliaturum, necnon in belli expenſas quadraginta librarum milliones ſoluturum: Enimvero Catinatus Franciæ Mareſcallus die vigeſima nona Junii San-Thomaſio Sabaudi Principis Adminiſtro datis literis fidem fecerat, Re-

Sæc. XVII. A. C. 1696.

Sæc. XVII. A. C. 1696. Regem ſuum has conditiones inire paratum eſſe: San-Thomaſius tamen Ducis ſui nomine die tertia Julii reſpondit, Ducem viciſſim petere temporis ſpatium, quo ſuos fœderatos ac præcipue Cæſarem, Regemque Hiſpaniæ deſuper certiorem reddere poſſet, ipſe vero interim ſuas & fœderatorum copias trans Padum, Rex vero ſuas cis Padum ita teneret, ut neutra pars Sabaudi ditiones infeſtare poſſet: Sabaudus igitur præprimis die ſexta Julii ad Innocentium XII. ſummum Pontificem, aliunde pacis impatientem, oblatas conditiones acceptandi animum manifeſtaturus, has dedit literas.

Beatiſſime Pater.

„Propter paternam benevolentiam, „qua Sanctitas Veſtra familiæ meæ ſibi „devotiſſimæ commoda procurare di„gnatur, obſtringor, ut præ ceteris „Eandem per has literas, & per Comi„tem Gubernatium Oratorem meum de „conditionibus mihi a Cattinato Mare„ſcallo, pro ſtabilienda neutralitate in „Italia oblatis certiorem reddam. Pro„mittitur igitur mihi reſtitutio omnium „hoc bello ereptorum, necnon Pigne„rolii, quod ſolo tamen æquandum „eſſet: ſpondet etiam Filiæ meæ con„nubium, præter alia emolumenta, „quæ

„quæ ſilentio prætereo: viciſſim vero Sæc. XVII.
„a me petitur, ut in Italia neutri parti A.C. 1696.
„adhæream, & Auſtriaca Domo fors
„obluctante, & incaſſum a ſua Sanctitate Venetisque admonita, copias
„meas Gallicis jungam. His maturius ponderatis, cum Auſtriacam Domum mihi adverſaturam, totque emolumentis me privaturam haud exiſtimem, fœderatorum Principibus manifeſtare ſtatui, quod tam propitias
„Pignerolium recuperandi, occaſiones
„negligere, ſimulque ipſius Auſtriacæ
„Domus, totiusque Italiæ, ac meimet-
„ipſius commoda incerto belli eventui
„exponere minime intendam. Eapropter Fœderatos Principes & præcipue
„Cæſarem ac Hiſpaniæ Regem rogavi,
„ut commodo ipſis & mihi proprio obſiſtere nolint: Ut vero hoc arriperem
„conſilium, ardens Veſtræ Sanctitatis
„deſiderium pro hac neutralitate mihi
„cognitum haud parum contulit: quocirca auſim ſupplicare, quatenus San-
„ctitas veſtra ſuis Nuntiis Apoſtolicis
„in Aula Viennenſi & Madritenſi agentibus injungere dignetur, ut paternis
„ejusdem Officiis reſpondere, & amboſ hoſce Principes eo inclinare ve-
„lint, quatenus prompte conſentiant
„Neutralitati in Italia ſtabiliendæ, quæ
„prænuntia erit pacis univerſalis tot

„vo-

Sæc. XVII. A. C. 1696.

„votis exoptatæ, & Christianæ Rei„publicæ adeo necessariæ: Quampri„mum ergo Sanctitatis suæ jussa rece„pero, mox ad præfatas Aulas meos „ablegabo Oratores. Interim &c.

Eadem adhuc die Dux ejusdem ferme tenoris literas dedit ad fœderatos Belgii Ordines, & sequenti mox die Brandeburgico etiam Electori sua manifestavit consilia, quæ ab eis rata haberi, eorumque copias ex Sabaudia abduci petiit; Verum Elector paulo post ad Sabaudiæ Ducem hoc dedit responsum.

Serenissime.

„Literæ Regiæ Vestræ Celsitudinis „7. Julii ad Nos scriptæ, & per Curso„rem allatæ valde inexpectatum nun„cium nobis attulere, Pacem scilicet, „Eandem inter, & Regem Christianis„simum initam seperatim. Fœdera, „quæ R. V. C. cum Cæsare, Imperio, „& iisdem in præsenti bello unitis Re„gibus, Electoribus & Principibus in„tercedunt, & quorum exactam obser„vantiam ipsa R. C. V. paucis abhinc „mensibus solemni diplomate denuo „promiserat, auxilia denique, ære mi„liteque R. V. C. contra communem ho„stem abunde suppeditata nullam no„bis

„bis reliquam fecerant vel minimam „ſuſpicionem R. V. C. de deſerenda tam „egregia ſocietate, qua Communis Eu„ropæ ſalus, libertas, & tranquillitas „quæritur, cogitare tantum, nedum „ipſam deſerere poſſe, idque non ur„gente fatorum neceſſitate aut in ma„jori adductam, ſed quæ unica in li„teris R. V. C. allegatur cauſſa, occu„pandis illis, quæ a Gallia R. V. C. „offerebantur, commodis, ſpecioſis il„lis, & inneſcando R. V. C. valde a„ptis, ſed quibus an ea Securitas, il„lud decus etiam meritumque inſit, „quod R. V. C. ſibi parare potuiſſet, ſi „in fœdere, cui hactenus innexa fuit, „perſtitiſſet, non parum dubitamus, „nos interea, quæ reliquorum confœ„deratorum noſtrorum de hoc R. V. C. „Conſilio, ſententia futura ſit, expecta„bimus, ac interea Generali Varennio „de reducendis ad nos copiis noſtris „mandata dedimus, nihil dubitantes, „quin R. V. C. quamvis mutatis parti„bus, tamen militibus hiſce noſtris ex„hibitura ſit, quæ initis ea de re cum „R. V. C. tractatibus iisdem debentur. „Deus opt. max. V. C.

Sæc. XVII. A. C. 1696.

Iisdem propemodum verbis concepta erat epiſtola Bavariæ Electoris ex Negromontanis caſtris die vigeſima ſecunda Julii data, qua Duci haſce Indu-

Sæc. XVII. A. C. 1696.

inducias diſſuadens, reſpondit, quod continuato fœdere ampliora ſibi polliceri poſſet emolumenta, quin Cæſarem, Regemque Catholicum offenderet: Verum Dux haſce literas non eo fine ſcripſerat, ut a ſuis fœderatis, quid agendum, conſilium expeteret, ſed ut ſignificaret, quid jam egiſſet, aut ſaltem agere firmiter decreviſſet: Demum vero die quarta Julii Taurino hæc ad Cæſarem perſcripſit.

„Summa Cæſareæ Majeſtatis beni„gnitas, æquitas, quæ in omnibus au„guſtiſſimi ſui Regiminis actionibus e„lucet, ſpem mihi ingerit, fore, ut „comprobata ejus clementia nunquam „a me extremum devaſtatæ regionis „meæ excidium exigitura ſit: quocirca „reſtitutionem mihi ab hoſte ablato„rum, præcipue Pignarolii haud neg„ligere ſtatui: generoſus Cæſareæ Ma„jeſtatis veſtræ animus permittere non „poterit, ut ad jacturam meam otio„ſus ſubſiſtam, præcipue cum mea „commoda cum Majeſtatis veſtræ com„modis optime reſpondeant; ſecus e„nim ea, nec mihi proficua fore crede„rem: Humillime igitur ſupplico, ut „Majeſtas veſtra benignis auribus meum „excipiat Oratorem, qui expoſitis con„ditionibus a Catinato oblatis, ejus„modi allaturus eſt rationes, quas „Cæ-

„Cæsarea Majestas vestra, uti confido, Sæc. XVII.
„minime rejectura sit: palam tamen A. C. 1696.
„protestor, quod indelebili signo in æ-
„ternum animo meo insculpta perma-
„neant obsequia suæ Majestati debita,
„inter quæ præcipue recensenda venit
„spes Cæsareæ suæ protectionis: Sit
„ergo persuasa, quod meam indemni-
„tatem procurando, nunquam a firmo
„& inviolabili obsequio, quod semper
„profiteor, deflexurus sim &c.„

Ceterum Sabaudiæ Dux, incassum obluctantibus fœderatis Ducibus ad Gallos transgressus est, pactis hisce conditionibus. I. Rex Christianissimus cuncta bello capta Sabaudo restituat. II. Dux Pignerolium, munimentis tamen suis exutum, unacum annexis recipiat, vicissim vero Barcinonensem Vicariatum Franciæ Regi reddat. III. Burgundiæ Dux Delphini Filius non exigita dote Mariam Adelhaidam Sabaudiæ Ducis Filiam ducat. IV. Rex Franciæ in compensationem damni hoc bello accepti quatuor librarum milliones Duci numeret. V. Si quis Principum bellum Sabaudo inferre tentaret, Galliarum Rex octo peditum & quatuor equitum millia suis expensis alenda eidem submittat, hic vero ultra novem armatorum millia non habeat. VI. Pro majore hujus fœderis firmi-

Sæc. XVII. A. C. 1696.

tate Pontifex & Veneti ſint Sponſores. Firmatis utrinque his pactis, atque ab ipſo Cæſare & Hiſpaniæ Rege acceptatis Italicum bellum finiit, & horum reconciliatio Ryswicenſi paci, cujus mediator delectus erat Carolus Rex Sueciæ, viam ſtravit.

§. XXV.

Infelix Gallorum expeditio pro Jacobo Angliæ Rege contra Auriacum ſuſcepta.

Rapin Thoir. t. 11. l. 25. pag. 391. Mem' de Revol. d'Angl. Saimon hiſt. d'Angl. Le Clerc t. 3. p. 429.

Hoc item anno Ludovicus Galliarum Rex Jacobum Angliæ Regem ſolio ſuo reddere adlaborabat; ad maturandum hoc conſilium incitabatur Londinenſis populi ac præcipue Mercatorum indignatione, necnon haud contemnendo illorum, qui Jacobo in Anglia favebant numero, & Anglici exercitus abſentia: Igitur Rex ſecreto apparatu triginta naves bellicas, & plusquam quadringentas onerarias copiis ac munitionibus inſtructas variis in portubus tenuit, quarum opera Rex inique detruſus in Angliam transmitteretunr: Ad conſilii executionem feligebatur Harcurtius Marchio, binas etiam claſſiculas ducebant Nesmondus & Joannes Bart, quibus Caletum, & ad proxima Angliæ littora progredi conſtitu-

stitutum erat, Barwicko Duce Jacobi Regis Notho, aliisque Angliæ Proceribus interim in Anglia & Scotia fidos ad strenuam defensionem cohortantibus: Verum Guilielmus Auriacus Princeps nimis mature hanc Gallorum expeditionem, & conspirantium molimina per Bavariæ Electorem & Valdemontium Principem edoctus, plures aut suspectos aut accusatos in vincula conjici, Catholicos omnes Londino expelli, ceterosque suspectæ fidei homines armis spoliari, oramque Dublinensem, ubi exscensionem pertimescebat, tormentis & milite custodiri jussit. Parum tamen adhuc profeciisset Auriacus, si Brestensis classis tempestive advenisset; hujus enim cunctatione Auriacus plusquam quinquaginta navium classem instruendi spatium nactus, præpedivit, ne Joannes Bart & Nesmondus Marchio suas naves conjungere possent, insuper Batavorum classis Anglicæ conjuncta Gravelingæ hæsit, omneque commercium inter Dunckerkanum & Caletensem portum intercidit, unde Jacobus Rex, qui Dunckerkæ jam per aliquot hebdomadas inter spem & metum fluctuabat, animo penitus concidit, postquam conjurationem in Anglia detectam, Gallicam classem ab hostili intercluſam, cunctosque in Au-

Sæc. XVII. A. C. 1696.

Sæc. XVII. A. C. 1696.

riaci defensionem vitam & opem profundere paratos inaudierat; quocirca re infecta in Franciam reverti, atque Auriaco rursus Angliæ sceptrum cedere coactus est: nec tamen interea Auriacus quietum tenebat imperium; quamplurimi enim Nobiles Angliæ Protestantes, Episcopales, & Presbyteriani Hiberni in vitam aut libertatem Auriaci conspirarunt, inito inter se consilio, ut eum vel ad venationem, vel Sacellum euntem, trucidato milite prætorio, Kensingtonii die tertia vel quarta Martii aut captum, aut occisum abstraherent, datoque Dubri signo Gallicam classem advocarent, atque excensione facta Regnum Jacobo Regi asserent. Verum conjuratione per Pendergrassium & Porterum Catholicos aliumque detecta, nefariæ hujus societatis rei ferme omnes in vincula conjecti sunt, ex quibus Robertus Carnockius, Eduardus Kingus, Thomas Kéys Friend, Perckinus, Rookwood, Lowik, Crambrunus, pluresque alii vel generis nobilitate, vel militari dignitate conspicui, alii laqueo, alii gladio interfecti sunt, non pauci etiam corpore in quatuor partes dissecto periere.

§. XXVI.

Sæc. XVII. A. C. 1696.

§. XXVI.

Innocentii XII. decretum de reſtauranda Regularium diſciplina.

Italia priſtinæ ſuæ tranquillitati reddita, Innocentius XII. Papa Delphinum tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatum Pariſios decrevit, qui etiam die duodecima Auguſti eo adventans, Galliarum Regi confectum pacis negotium gratulabatur: Pariter Pontifex Martinitio Comiti, qui Cæſaris Legatus die quarta Januarii Romam conſueta pompa ingreſſus erat, validas omnino pecuniarum ſuppetias pro bello Turcico pollicebatur, dummodo Principes Chriſtiani ſublatis inter ſe diſſidiis firmam, communemque pacem inituri eſſent. Præterea Innocentius XII. jam dudum Regulares Ordines per Italiam ad priſtinam Inſtituti ſui normam revocare exoptaverat, hanc in rem quamplurimas habuit conſultationes, tandem vero hoc anno decretum promulgavit, quo Regulares omnes ad votorum tenorem communi victu uti, omnesque peculium in arbitrium ſui Superioris, qui ſine habita perſonæ ratione ſingulis neceſſaria adminiſtraret, remittere juſſi ſunt: ut vero ſaluberrima hæc Conſtitutio perpetuo ſervaretur, Pontifex

Sæc. XVII. A. C. 1696.

Congregationem trium Cardinalium instituit, qui suprema inspectione decretum Pontificium executioni mandari curarent.

§. XXVII.

Cœlestini Sfondrati Cardinalis obitus.

Palat. Fast. Card. t. 5.

Eodem anno, quo Cœlestinus Sfondrati Purpuram Romanam induit, eandem unacum vita exuit: Hic ex Comitibus Sfondratorum de Rivierra Mediolani natus, Aloysii nomen in Baptismate adeptus positis Rosaci in Germania primis pietatis, studiorumque rudimentis in San-Gallensi Abbatia Ordinem S. Benedicti professus est: Tanto Religionis, ac monasticæ disciplinæ studio, necnon scientiarum copia adolescens eminuit, ut nondum Sacerdotio initiatus, jamjam Campidonæ Theologiam publice traderet, ac inde revocatus, in suo Monasterio Philosophiam, Theologiam & jus Canonicum per plures annos tanto cum applausu, atque Auditorum fructu interpretatus est, ut ex legis Doctore, morum pietatisque Magister effectus, discipulos non minus eruditione omnigena, quam probitate monastica clarissimos celeberrimo suo Ordini dederit: Postea Superiorum imperio Salisburgum

gum accersitus, in hac Universitate Jus Canonicum publice enodandum suscepit, ac Theologiæ primum, dein Jurisprudentiæ laurea decoratus, & Propositiones Cleri Gallicani impugnare, ab Archiepiscopo Salisburgensi jussus, solidissimum opus sub titulo: *Regale Sacerdotium* edidit, demum Salisburgo ad suum monasterium reversus, sui Abbatis jussu, in diebus Dominicis ac festivis populum in Rosacensi Sacello sacri sermonis pabulo, & Sacramentorum administratione pavit, horasque subcesivas literarum studiis dicavit, ac Philosophicum opus Sangallensibus literis excusum composuit: Hoc munere defunctus a suo Abbate Vicarius Generalis in spiritualibus constitutus, Cleri & populi amorem sibi tam feliciter conciliavit, ut miro moderamine omnes illum summa benevolentia & honore tanquam Patrem prosequerentur, eique pari studio, dum corriperet, observantiam, dum parceret, amorem & cultum deferrent: Tot virtutum fama Romam delata ab Innocentio XI. invitus licet, ac nonnisi obedientiæ oraculo compulsus, Novariensi Episcopatu honoratus est: mortuo autem Principe & Abbate San-Gallensi Patrum suffragio ad hanc mitram vocabatur, quocirca dimisso Episcopatu

Sæc. XVII. A. C. 1696.

Sæc. XVII. A.C. 1696.

ad ſuam Abbatiam reverſus, adeo nihil de priſtina vivendi ratione remiſit, ut in hoc ſolo ceteris Monachis ſuperior videretur, quod orationi ac cæleſtium contemplationi, corporisque macerationi ferventius inſiſteret, prior reliquis in diſciplinæ & virtutum exercitiis exemplo præiret, ſubditorum neceſſitates liberaliore manu ſublevaret, pauperum penuriæ ſubſidio vix non ad prodigalitatem largo conſuleret, ægrotis, moribundis, ac ipſis etiam leproſis cuncta pietatis officia ipſus impenderet, omnibusque omnia factus, cunctis inſerviret: Talis tantusque Vir plane haud inferiore præmio quam Romana Purpura in terris honorari poterat, quam tamen nonniſi ſexto ante obitum menſe obtinuit, Romæ die quarta Septembris, uti vixit, id eſt ſanctiſſime fatis functus: Sepultus eſt ære publico in Eccleſia ſui tituli, funeris expenſas ferente Camera Apoſtolica; quippe nonniſi meritis dives non alias repoſitas habebat divitias, quam pro pauperum ſublevamine, & ſuorum familiarium ſalario.

Edidit præter Philoſophiam, & Regale Sacerdotium inſuper Galliam vindicatam, innocentiam vindicatam S. Thomæ circa Conceptionem B. V. quindennam Marianam, Curſum Theologi-

logicum, legationem Lavardini Oratoris contra jura asylorum, Historiam Nepotismi, Regaliam exenteratam atque explosam, necnon ascetica præsertim pro asserenda immaculata B. V. Conceptione scripsit, ac denique nodum Prædestinationis ex sacris literis dissolutum, quod opus agonizante vix non Authore sub prælo sudabat, ac postmodum immoderata æmulorum censura exagitabatur; hoc autem libri sui fatum prospexisse videtur Cardinalis, cum illum antea summo Pontifici transcriptum moriturus Cardinali Leandro Colloredo, & Cosmo III. Etruriæ Duci impensius commendasset. Prælo etiam parata habebat tractatum de opinione probabili, dissertationes de Baptismo infantium, de Atheismo contra Heideggerum, necnon Commentaria in Jus Canonicum. Sæc. XVII. A.C. 1696.

§. XXVIII.

Joannis Sobieskii Poloniæ Regis decessus, ac tumultus inde exorti.

Decessit pariter hoc anno Joannes III. Sobieskius Poloniæ Rex, qui crebris victoriis contra Turcas Tartarosque reportatis sibi viam ad Regni solium straverat, ac præ ceteris suis Antecessoribus Reipublicæ Polonæ gloriam, *Hodevie de Louis XIV. lib. 51. Theatr. Europ. t. 15.*

Sæc. XVII. A. C. 1696.

Nationisque ſuæ felicitatem ad ſupremos evexerat apices: Præcipue vero glorioſam nominis ſui memoriam omnino æternam reddidit Vienna Auſtriæ a Turcarum exercitu liberata: Priusquam vitæ ſuæ curſum abſolveret, die vigeſima ſeptima Februarii Marchioni de Arquien nuper Romana Purpura decorato rubrum Galerum præſente Apoſtolico Pontificis Nuntio impoſuit, fœdusque contra Turcas cum Moſcis concluſit, ac demum Michaelem Antonium Hackium Abbatem Olivanum, qui Regi toxicatam medicinam propinaſſe, falſo accuſabatur, innocentem declaravit: paulopoſt cum ad hydropis vehementiam indies nova fieret acceſſio, ſalubrioris aëris gratia die decima quinta Maij Villam-novam arcem una leuca Varſavia diſſitam delatus eſt, ubi tamen ex apoplexiæ tactu die decima ſeptima Junii mortalitatem exuit, anno Regiminis ſui vigeſimo ſecundo, ætatis vero ſeptuageſimo ſecundo. Defuncto Rege Radziewiskius Regni Primas ac Gnesnenſis Archiepiſcopus pro eligendo Succeſſore comitia indixit, in quibus tamen ob diverſas factiones nil concludi poterat; quidam enim Gallis addicti Franciſcum Ludovicum Borbonium Contium Principem, alii Livium Odeſcalchium Innocentii XI. Nepotem,

Regina

Regina vero Carolum Filium ſuum ſecundo genitum, Leopoldus denique imperator, & Apoſtolicus Papæ Nuntius Fridericum Auguſtum Saxoniæ Electorem ad ſolium promovere certabant: non leves etiam motus concitabant armatæ Polonorum ac Lithuanorum, ut vocant, *conſœderationes*: unde nonniſi poſt multas, nec incruentas altercationes unice conventum eſt, ut convocatis duntaxat Nobilibus electio fieret: demum pacatis nonnihil animis decrevere Senatores. I. Non eſſe eligendum Regem, niſi religione Catholicum. II. Habendum pro hoſte Patriæ, qui absque unanimi ordinum conſenſu Regem proclamaret, aut indignum eligi ſuaderet. III. Terminum electionis inchoandæ & finiendæ fore a decima quinta Maij usque ad vigeſimam ſextam Julii anni ſequentis. IV. Locum electioni deſtinatum vallo & foſſa eſſe muniendum. V. Radziewiskio Primati Conſiliarios eſſe adjungendos. VI. Stipendia militibus mature numeranda. VII. Denique Viduæ Reginæ ſuadendum, ut Regno interea excederet, ne pro ſuo Filio aut Contio Principe ſua interponere poſſet ſtudia. His conventis die vigeſima ſeptima Junii Contius ab octoginta Nobilibus electus, Varſaviæ a Primate in Regem pro-

Sæc. XVII. A.C. 1696.

Sæc. XVII A. C. 1696.

proclamatus est: duabus postea horis in Saxoniæ Electorem centum quinquaginta Nobiles sua contulere suffragia, qui etiam a Cujavensi Episcopo die decima quinta Septembris promulgatus, sensim accedentibus æmulis, sceptrum sibi asseruit, ceteris Competitoribus eo acceptior, quo potentior, & bellica fortitudine clarior, magisque alienus a Lutherana secta, quam ante biennium Romam profectus in manibus Christiani Augusti Saxo-Citiensis Ducis Episcopi Jaurinensis ejuraverat.

§. XXIX.

Aliorum Principum atque Illustrium extrema.

Præter hunc eodem hoc anno die vigesima quinta Februarii Joannes Alexiovicius olim Magnus Moscoviæ Dux vivere desiit in quodam Monasterio, ad quod ob mentis imbecillitatem detrusus, ibidem octo annos transegit, relicta Regiminis cura fratri suo natu minori Petro Alexiovicio, qui hoc anno post diuturnam cruentamque obsidionem Turcis Asaffium eripuit. Hunc fatali mortis necessitate die decima septima Maij sequebatur Mariana Austriaca Ferdinandi III. Cæsaris Filia, ac Philippi IV. Hispaniæ Regis uxor, quæ

quæ post mariti sui obitum diu Regnum non sine multis laboribus & fastidiis administrabat, tandem vero resignato in Carolum II. Filium suum sceptro ex Aula Madritensi Toletum concessit, ubi inter præclara pietatis opera prudens Regina mundo valedixit, annos nata sexaginta duos. Decessit quoque die nona Septembris Eleonora Ertmundis Joannis Georgii IV. Saxoniæ Electoris Vidua conjux: Versaliæ autem obiit Elisabetha Joannis Baptistæ Gastonis Ducis Aurelianensis Filia, necnon Maria Theresia filia Leopoldi Cæsaris, & Casimirus Nassoviæ Princeps: præter hos quoque naturæ debitum solverunt Albertina Friderici Henrici Principis Nassovienfis Filia & Sophia Carolina Citienfis Princeps. æc. XVII. A. C. 1696.

§. XXX.

Variæ Innocentii XII. Pontificis Constitutiones.

Motis subinde dubiis ac controversiis ad Sacram Sedem devolutis Innocentius XII. Pontifex Maximus, varias edidit Constitutiones, ac præprimis, cum in Anglia Patres Benedictini, eoquod primi hoc Regnum ad fidem Catholicam revocassent, ac propterea magnis a Sede Apostolica privilegiis

Sæc. XVII A. C. 1696.

legiis honorati essent, hinc iisdem etiamnum uti posse, seque Vicariorum jurisdictioni haud subjici existimabant, querentibus igitur Vicariis Pontifex nuperæ Congregationis decreta, quibus horum Vicariorum jurisdictio contra Regulares in Anglia quoad animarum curam fuerat asserta, hoc anno confirmavit: Quoniam vero in Sinis, favente ipso Chambio Imperatore multitudo credentium indies tam copiose creseceret, ut Macaonensis, Peckinensis & Nankinensis Episcopi haud ultra possent curam Pastoralem in tot regiones, populosque remotos extendere, hinc ex summi Pontificis consensu & mandato pluribus Provinciis præficiebantur Vicarii Apostolici, donec plures submitterentur Episcopi: cum autem ipsa Constitutio, qua Clemens X. ad Indos & Orientis partes Vicarios Apostolicos ceu Sacræ Sedis Delegatos misit, eosque ab Episcoporum jurisdictione exemit, crebris turbis ansam præbuisset, ac propterea Goanus Archiepiscopus, necnon Malacensis & Macaonensis Episcopi in Regnis Siami Cocincinæ, Cambayæ, aliisque adjacentibus regionibus hisce Vicariis jurisdictionis suæ usum impedire conarentur, eapropter Innocentius XII. Papa confirmata Clementis X. Constitutione

tione præfatis Epiſcopis, necnon Me- Sæc. XVII.
lioporenſi & Crangaronenſi in virtute A. C. 1696.
S. Obedientiæ præcepit, ut in literis Apoſtolicis contenta exacte obſervent, atque obſervari curent, nec ullo pacto Vicariorum, utpote qui etiam eſſent Epiſcopi conſecrati, jurisdictionem in hiſce Regnis turbent, donec aliter fuerit decretum: ſingulariter autem Pontifex declaravit, Regnum Tunckinenſe, in quod ejusmodi Vicarii fuerant deputati, a Jurisdictione Epiſcopi Macaonenſis ſeparatum, atque independens eſſe.

§. XXXI.

Plures Sacrarum Congregationum deciſiones.

Præter plures Sacrarum Congrega- *Deciſ. S. Congr. Rit. Concil. Immun. &c.*
tionum Deciſiones hoc anno die undecima Februarii Sacra Concilii Congregatio declaravit, quod Dignitates Collegiatarum teneantur exercere Officium Hebdomadarii & alia munia, ſicut ceteri Canonici: Præcepit quoque die decima octava ejusdem Menſis Sacra Rituum Congregatio, Officium B.V.M. de Mercede ab utroque Clero die vigeſima quarta Septembris ſub ritu duplici eſſe recitandum. Declaravit S. Immunitatis Congregatio die vigeſima ſeptima Martii,

Sæc. XVII. A.C. 1696.

Martii, quod Confessarius nulliter absolvens censuratum ob violatam immunitatem, si desuper testimonium dedit, Romam accedere teneatur: Insuper S. Episcoporum Congregatio die quarta Maij decidit, quod Episcopus non possit approbare ad annum tantum Confessarios Monialium regularibus subjectarum, sed in initio hujusmodi approbationis eos vel ad consuetum triennium admittat, vel rejiciat. Die autem vigesima nona ejusdem Mensis a S. Immunitatis Congregatione declaratum, quod absolutio data a Nunciatura, defectu facultatis, non suffragetur censuratis ob violatam Immunitatem, quando autem Ecclesia violata non possit reintegrari, in absolutione a censuris imponatur pro pœnitentia Eleemosyna facienda Ecclesiæ violatæ, in suppellectilem Sacram convertenda: observandum vero sit, quod benedictio Præpositi Monasterii Canonicorum Regularium, ut solemniter more solito celebrare valeat, impedienda sit vel ab Episcopo, in cujus Diæcesi est Monasterium, vel a vicinore. Sacra autem Rituum Congregatio die quinta Julii decidit, quod in Feria sexta Parasceves thurificanda sint oblata, sed post thurificationem oblatorum non sit iterum thurificandum S. Sacramentum, ob

ob cujus tamen præsentiam super Altare positi non sit omittenda thurificatio Crucis, sed Crux & Altare thurificanda, eo prorsus modo, quo fit in aliis Missis, non omissis debitis genuflexionibus ante SS. Sacramentum. Statutum insuper die septima ejusdem Mensis a S. Concilii Congregatione, quod Præsentatus & nominatus ad Beneficium de Jure Patronatus cum pacto, quod debeat succumbere expensis litis super Beneficio vertentis, licet non commiserit veram simoniam, indigeat tamen absolutione ad cautelam: Pariter die vigesima prima præfati Mensis S. Rituum Congregatio respondit, quod quamvis ad consuetas processiones privatas, quas Parochi in suis Parochiis, vel Capitulum in Cathedrali faciunt, non requiratur Episcopi licentia, si tamen transferantur, hæc exigatur: si vero Regulares restituantur simpliciter ad locum, præcedentia in Processionibus debeatur præexistentibus, quia talis restitutio habetur pro nova fundatione. Die autem decima septima Novembris S. Concilii Congregatio decidit, quod Ordinarius valeat prohibere Confessariis Confraternitatum, ne Confessiones Confratrum aliorumque audiant in Oratorio absque Ordinarii facultate: qui autem sine justa causa

Sæc. XVII. A. C. 1696.

Sæc. XVII. A. C. 1696.

ter vel quater in Anno non celebraverint, peccent mortaliter, ideoque ab Episcopo puniri possint: Confirmatum quoque die decima sexta ejusdem Mensis S. Rotæ decretum, vi cujus declaratum, quod omnia Privilegia, ex quibus Inferiores usum Pontificalium obtinent, restricta intelligantur ad Ecclesias ipsis pleno jure subjectas, extra quas quælibet indefinita locutio Privilegii vigorem non sumit. Denique S. Rituum Congregatio die vigesima quarta Novembris censuit, quod non obstante quacunque consuetudine Episcopus possit prohibere, ne in Ecclesiis vel Oratoriis publicis cantetur Musica in linqua vernacula, etsi cantiunculæ, & verba spiritualia sint.

§. XXXII.

Scriptorum Catholicorum opera & decessus.

Du Pin Bibl. des Auth. tom. 18. Marvill. Melang. hist. Fol. II. pag. 447. Vid. supra l. 65. §. 79. pag. 301.

Paucos ex Scriptoribus religione Catholicis hoc anno denatis referre lubet, ex his primo occurrit Gerardus du Bois ex Congregatione Sacerdotum Oratorii, qui ex impulsu Harlæi Parisiensis Archiepiscopi Ecclesiæ Parisinæ Historiam usque ad Sæculi XII. Annum octavum protraxit: operam etiam suam locabat Patri Le Cointe in concinnan-

cinnando ultimo tomo Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ. II. Antonius Varillas edidit Hiſtoriam hæreſis Wicleſi, Huſſi, & Hieronymi Pragenſis, Revolutiones in Religionum cauſſis, quem librum Burnetns confutavit, Varillaſius vero rurſus vindicavit. Scripſit Hiſtoriam Francifci I. & II. Ludovici XI. Caroli VIII. Ludovici XII. Henrici II. & III. & Caroli IX. Franciæ Regum, Politiam Auſtriacæ Domus, & Hiſpanorum, tractatum de educatione Principum, & annecdota Florentiæ præter plurima alia: obiit ſeptuagenario major die nona Junii Pariſiis ſepultus in Eccleſia PP. Carmelitarum in ſuburbio S. Jacobi. Carpitur ab eruditis, quod libros ſuos præcipue Regum ſuorum Hiſtorias fabulis, ſatyris, continuisque hypotypoſibus, ac reflexionibus Metaphyſicis repleverit, quas vel proprio Marte confinxit, vel nullo ſelectu ex dubiæ imo nullius fidei, de partium ſtudio & maledicentiæ vitio ſuſpectis Authoribus deprompſit. III. Michael Molinos, qui tractatum de frequenti & quotidiana communione, & manuductionem Sacram edidit, & propter ſuos errores in carcerem detruſus, uti memoravimus, ambiguæ pœnitentiæ fama die decima octava Octobris Romæ deceſſit. IV. Gervaſius a S. Elia

Sæc. XVII. A. C. 1696.

Sæc. XVII. A. C. 1696. Carmelita Excalceatus elucubravit Compendium universi juris Canonici, tractatum de Jure publico & Jure privato methodo Theologica confectum, falsam ac veram Ethicam Christianam, Theologiam Parochorum, & sermones in Dominicas.

§. XXXIII.

Opera & obitus Scriptorum Acatholicorum.

Neum. diss. de Parv. Lindv. Nord. ill.

His adjungimus paucos ex Scriptoribus Acatholicis, atque inter eos primus est Melchior Schmid, qui edidit dissertationes de linquis Sacris, de Scripturæ Divinæ inspiratione, & Defensionem LXX. Interpretum II. Eduardus Bernard scripsit Chronologiam Samaritanam, tractatum de mensuris & ponderibus, Canonem stellarum fixarum, & Etymologicum Britannicum. III. Christianus Pauli vulgavit quædam contra Quackeros, Anti-Botsaccum de servanda Augustana Confessione, de exclusione Calvinistarum a Confessione Augustana, & alia nonnulla. IV. Petrus Bæng typis edidit commentarium in epistolam ad Hebræos, tractatum de Sacramentis, Catechetam Lutheranum, & chronologiam Sacram. V. Joannes Arnschwanger posteris reliquit

liquit ſummaria articulorum Confeſſionis Auguſtanæ, præter quosdam ſermones, & opuſcula Aſcetica. VI. Petrus Müller ſcripſit de nummo Confeſſionis, de annulo pronubo, notas ad Senecam de tranquillitate animi, & diatriben de ſtudio Juris tractandi. Sæc. XVII. A. C. 1697.

§. XXXIV.

Sfondrati Cardinalis liber, cui titulus: Nodus Prædeſtinationis, *ejusque fata.*

Poſtremum, quod celeberrimus Cardinalis Cæleſtinus Sfondrati elucubraverat, opus erat, liber, cui titulus: *Nodus Prædeſtinationis ex ſanctis literis & SS. Auguſtino ac Thoma diſſolutus.* Cum autem vitæ ſuæ dies ad præſtitutum terminum properare ſentiret, hujus aliorumque ſcriptorum editionem P. Joanni Damaſceno Ord. FF. Minorum S. Theologiæ Magiſtro promovendam commiſit, ipſe vero non modo Theologorum, ſed etiam Sacræ Inquiſitionis approbationem die vigeſima Julii anno priori impetraverat: aſt poſt Sfondrati obitum Innocentius XII. hoc opus Cardinali Albano credidit, cujus etiam necnon Cardinalis Leandri Colloredo opera præfatus Pater hujus libri prælum hoc anno abſolvi curaverat: Vix

Abregé chron. de l'Hiſt. Eccl. tom. 3. Abregé de Hiſt. t. 12. pag. 594.

Sæc. XVII. A.C. 1697.

autem hic partus in publicam lucem prodiit, cum illico plures Theologi pro ſuo quisque ſtudio eum aggredi certarent; opponebant aliqui, Authorem nimis aperte faviſſe Moliniſtis, horumque opinionem perperam attribuiſſe SS. Auguſtino & Thomæ, carpebant alii ſcholaſticam methodum inconſulto fuiſſe neglectam: aliis hic Author videbatur aſſerere, ſtatum infantium ſine Baptismo decedentium non eſſe adeo miſerum, cum nec Deum offendant, nec omni felicitate careant, infideles quoque Deum nec cognoſcere, proin nec offendere &c. Præ ceteris vero latius ungues ſuos exerebant Janſeniſtæ, qui a Cæleſtino tantæ auctoritatis Viro librum Janſenianæ doctrinæ recta oppoſitum vulgari indignantes, eum coram Sede Apoſtolica, Epiſcopis, atque Univerſitatibus denuntiarunt, ac condemnari petierunt.

§. XXXV.

Idem liber a quibusdam Franciæ Præſulibus Romæ denuntiatus.

Coll. Jud. Argentre t. 3. p. 394.

Inſuper in Galliis quidam Præſules (id vel ex invidia vel vindicta ob Regale Sacerdotium Romano Pontifici aſſertum impugnatasque Eccleſiæ Gallicanæ opiniones, fuiſſe factum, putabant

bant nonnulli) hunc librum rigidissimo examini subjecere, pluresque propositiones a veritate, ac fidei doctrina alienas deprehendisse autumarunt: quapropter duo Archiepiscopi Carolus Mauritius Tellier Rhemensis, & Ludovicus Antonius Noaillius Parisiensis, necnon tres Episcopi Jacobus Benignus Bossuet Meldensis, Guido de Seva Atrebatensis, & Henricus Feydau Ambianensis Sfondrati librum Romæ denuntiare decreverunt, ac die vigesima tertia Februarii hanc ad Innocentium XII. epistolam dedere: Sæc. XVII. A. C. 1697.

Beatissime Pater.

„Episcoporum est sine personarum „acceptione detegere errores, qui quo „altiore loco se attollunt, eo graviore „ictu conterendi. Itaque ad Apostola„tum vestrum deferre cogimur Propositiones istas. Primam, *quantum ex parte Dei est, omnes dilecti: omnes ad vitam æternam, aut aliquid, quod vita æterna melius sit (ut de Infantibus baptismo non tinctis postea dicemus) destinati.* Hæc „scripta reperimus in libro, cui titu„lus: *Nodus prædestinationis dissolutus.* „Neque enim metuimus, Beatissime „Pater, ne, quia Eminentissimum Cæ„lestinum Sfondratum, tot egregiis do-

Sæc. XVII. A. C. 1697. „tibus commendatum, ut ſerviret Ec„cleſiæ, ad tantam dignitatem prove„xiſtis, idcirco illius quoque ignoſcatis „erratis, quæ ad Eccleſiæ fidem labe„factandam pertinerent: Imo vero ſci„mus, veſtram Sanctitatem, ut veri„tati, & Eccleſiæ ſerviat, nullius no„mini parcituram, ac magis peccatu„ros nos, ſi neceſſaria taceamus. Sane „faveamus licet optimi Viri memoriæ, „ingenio, & elegantiæ, tamen obſtu„puimus ad inauditas voces. Sed cum „Author ad alios nos remittat locos, „ubi de Infantibus ſermo ſit, ad eam „tandem partem legendo devenimus, „in quo hæc ſunt poſita: *Parvulos, quod attinet, qui ſine Baptismo decedunt, Cæleſti quidem Regno, quaſi paternæ culpæ reos, nec expiatos excluſit. Non excluſit tamen naturalibus bonis* (beatitudine „ſcilicet naturali; quod primum anno„tamus) *& a peccato præſervavit; æternoque ſupplicio, quo ſi adoleſcerent, puniendi eſſent, cum ſola, inquit, præſervatio a peccato*) quam ſemper ſupponit in par„vulis, originali licet vero, magnoque „peccato inquinatis) *pluries valeat, magnique pretii ſit, quam Regnum ipſum cæleſte*, quaſi major res ſit, tantum carere „malis, quam æterna vita, Deoque „ipſo perfrui, quæ tam abſurda, tam „vana ſunt, ut Chriſtianæ aures ferre „non poſſint. „

„Quo

„Quo magis legendo proceſſimus, Sæc. XVII.
„Beatiſſime Pater, eo pejora occurre- A. C. 1697.
„bant: qualia profecto hæc ſunt: *in hac parvulorum cauſſa conſiderandum eſt, licet Deus ad cœleſtem gloriam eos non admiſerit, alio tamen, multoque majori beneficio affeciſſe, quod illi ipſi longe Cœlo prætuliſſent; & nos quoque, ſi electio daretur, multo majoris pretii, quam cœlum duceremus.* Unde concludit: *Ergo nulla dolendi, nulla conquerendi, ſed magis gaudendi, gratesque agendi cauſſa eſt;* ut pro„fecto parentibus Chriſtianis parvulos „ſuos amittentibus ſine Baptismi gratia, „non luctus, ut fit, ſed gratulatio in„dicenda ſit: ipſi vero parvuli, tanti „licet Sacramenti exſortes, lætis ma„gis vocibus, quam lacrymis proſe„quendi videantur.„

„Hæc quidem ſufficerent ad condem„nationem tam inauditæ novitatis; ſin „autem reſponderi volunt Authoris ra„tiociniis ex parvulorum innocentia, „ut vocat, perſonali repetitis, de his „quidem mox videbimus, ſi veſtra San„ctitas permiſerit: rogamus interim, „te teſte, te Judice, Beatiſſime Pater „& quid in fidei quæſtionibus ratioci„nia ſine Scripturis, ac traditione va„leant, cum Propheta clamet, ad *legem magis, & ad teſtimonium*, ad tra„ditionem, ad Patres, ne ſi tu Theologe

Sæc. XVII. A. C. 1697.

„quisquis es aliquid Evangelicæ Prædi-
„cationi addideris, quacunque digni-
„tate fulgens, quocumque hominum
„præsidio fretus, sis licet Apostolus,
„sis licet Angelus, ab alta Petri sede,
„tanquam e Cælo feriaris, ac sermo-
„nes tui Anathema fiant.„

„Et tamen illa subtilium argumen-
„torum inventa videamus, ipsumque
„erroris recludamus fontem. *Nempe, inquit, actualibus cum venialibus, tunc etiam mortalibus subduci*, Regno est po-
„tius: atque, ut verbis clarioribus Au-
„thoris utamur, *innocentiæ personalis donum & immunitatis a peccato tantum est, ut ipsi parvuli millies Cælo carere mallent, quam vel uno peccato involvi, nullusque Christianorum est, cujus non idem votum esse debeat*, quod est vanissimum. Neque
„enim, si vetuit Apostolus, ne *faciamus mala, ut veniant bona:* ideo prohi-
„bere possumus Deum, quominus ex
„permissis peccatis pro sua excellen-
„tissima potestate majora bona eliciat;
„quam ea, quæ ante peccata futura
„erant: neque propterea peccatis de-
„lectamur, absit; sed eidem Apostolo
„dicenti credimus: *ubi abundavit delictum, superabundasse gratiam.* Nempe
„ex peccatis meminimus tantam gra-
„tiæ accessionem factam, ut etiam eo-
„rum occasione Christum habeamus.

„Nec

„Nec si Petrus a lapsu evasit humilior, „ac deinde fortior, atque felicior; ideo „liceat nobis peccatum innocentiæ, „sed uberiorem post peccatum gratiam „minori anteferre, Deique omnia mala „vertentis in bonum exsuperantissimam „prædicare bonitatem.„

„De his ergo argutiis, Beatissime „Pater, salva reverentia Vestræ Apo„stolicæ Sanctitatis id merito dixeri„mus: *telas Araneæ texuerunt*, quibus „imbecilles animæ caperentur. Neque „enim quod peccatum toto animo hor„reamus, ideo invidere debemus, aut „Deo liberalitatem suam, aut nobis fe„licitatem nostram: nec prohibere quis „possit, quominus cum Ecclesia conci„namus lætum illud, ac faustum: *Fe„lix culpa! & o vere necessarium Adæ „peccatum.*„

„Hæc vera, hæc pia sunt, nec ex „recentibus novæ pietatis ducta com„mentis sed ex veris fontibus Christiani „Apostolici *Spiritus*. Quod autem „toties parvulis immunitas a peccato, „ipsaque adeo innocentia tribuatur, in„tolerabile credimus, vanaque erroris „excusatio est, quod illa *innocentia* no„vo, atque ambiguo nomine personalis „vocetur. Neque enim parvulorum „persona innocens est, *ad quam peeca„tum ipsum, quod est mors animæ transit*„

„ut

Sæc. XVII. A. C. 1697. „ut est in Arausicano, ac postea in Tri-„dentino Concilio definitum: non in-„quam persona innocens est; eoquod „careat peccatis propria voluntate con-„tractis: imo vero peccatrix, quæ sub „ira Dei, atque in potestate tenebra-„rum nascitur; quæ exorcismis exsuffla-„tur: quæ aqua mandatur, valetque „omnino illud, quod a sancto Augu-„stino Synodus Tridentina deprompsit, „originale peccatum non utique nobis „esse extraneum: imo ut *origine unum*, „ita *propagatione unicuique esse proprium*: „nec nisi inhærente, & propria Sancti-„tate purgandum.„

„Ejicite ergo, Beatissime Pater, ex „Ecclesia Dei, cui pari integritate, ac „potestate præsidetis, degeneres mol-„lesque sententias, quæ pietatis specie „vim ipsam pietatis infringunt; neque „enim dissolvit, sed implicat nodos, „qui humanis affectibus exilibusque ar-„gutiis magis, quam Ecclesiæ tradi-„tione ducitur. Nec semel dixisse con-„tentus, eundem errorem inculcat ma-„gnificentioribus verbis: cum dona „collata parvulis sine Christi Sacra-„mento decedentibus, *ad Christi merita*, „*ac redemptionem pertinere asserit*, ut hinc „quoque vel maxime redempti parvuli „censeantur, quod Sacramenti redem-„ptionis expertes, nulla in Redempto-„ris

„ris Regno & corpore parte sint, quo „quid absurdius„ & in Redemptorem „ipsum contumeliosius dici possit, nos „quidem non videmus. Quo loco idem „Author hoc etiam addit, non dam- „nari parvulos: quippe qui propter a- „lienum, nec personale peccatum dam- „nari non possint. At quis hæc do- „cuit? Non certo Concilium Lugdu- „nense sub Gregorio decimo, non Flo- „rentinum sub Eugenio secundo, quo- „rum hæc fides est, hæc definitio: *il- „lorum animas, qui in actuali mortali pec- cato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen dispa- ribus puniendos.* En quo, en quibus- „cum descendant: qui natura filii iræ, „exosi & invisi, cum cæteris damna- „tis ad infernum detruduntur: quos „tamen Author noster, non *damnari* „docet, quasi aliud sit damnari, quam „ad infernum descendere. Insuper si „Deo placet patriæ exilium, favori & „gratiæ iram, denique *ipsi Cælo* infer- „num anteponit: usque adeo summis „ima permiscet „

Sæc. XVII. A. C. 1697.

„Quod vero damnari negat, quia „pœna sensus, hoc est, ab ignis æterni „cruciatu, passim immunes habeantur: „quid ad nos, qui ea de re non con- „tendimus? consulant, qui voluerint, „doctissimum Dyonisium Petavium: „con-

Sæc. XVII. A. C. 1697.

„consulant imprimis Eminentissimum „Henricum *Norisium*, a Vestra Sancti„tate insignis Doctrinæ merito, Chri„stiano orbe applaudente, ad summa „quæque provectum: Nos quidem hæc „prætermittimus, ac Theologis disputanda relinquimus, quam autem sit „immanis error ab inferno, ac damnatione absolvere parvulos sine Christi „Sacramento defunctos, Cardinalis Bellarmini verbis maluimus, quam nostris dicere: qui quidem ex prædictis, „aliisque decretis hanc Sententiam, ab „Ambrosio, licet Catharino, aliisque „defensam, non modo *falsam*, *sed etiam* „*hæreticam existimandam esse* concludit: *& contra, fide Catholica tenendum parvulos sine Baptismo decedentes absolute esse damnatos, non sola cælesti, sed etiam naturali Beatitudine perpetuo carituros; qui nempe sunt, eruntque semper aversi habitualiter a Deo.* Deguntque, ac semper „degent in carcere infernali, ex Concilii „Lugdunensis œcumenici decretis in „Concilio florentino repetitis: Ecclesia „Orientali in unam fidem concinente. „Ex his igitur, aliisve decretis, teste „Bellarmino, illi parvuli *sub potestate* „*diaboli in carcere inferno* degunt, *loco*, „inquit *horrido, ac tenebricoso:* Quod „quid est aliud, quam projici cum „damnatis in horrendas illas exterio-

„res

„res tenebras, & ibidem esse sub po- Sæc. XVII.
„testate tenebrarum, quarum id Re- A. C. 1697.
„gnum est.„

„De affectibus vero illis, quos pios „vocant, juvat eundem Bellarminum „audire, hæc sancte, & graviter dis„serentem: *nihil prodesse parvulis jam defunctis misericordiam nostram, & contra nihil eisdem obesse, nostræ sententiæ severitatem, multum autem nobis obesse, si ob inutilem misericordiam erga defunctos pertinaciter aliquid contra scripturas, aut Ecclesiam defendamus. Quare non affectum quemdam humanum, quo plerique moveri solent, sed scripturæ, Conciliorum, & Patrum sententiam consulere, & sequi debemus.*

„Atque abfuisse quidem a celeber„rimo Sfondrato Cardinali hanc per„tinaciam facile confidimus: Cæterum „tacere non possumus id, quod de S. „Augustino scribit: *Nunquam scilicet Augustinum hoc modo Philosophatum esse, sed in caussa parvulorum* nonnisi ad oc„culta Dei judicia provocasse. Hæc „ille de S. Augustino, quem in ipso „libri titulo suæ solutionis Authorem „prædicabat. Et tamen postea ejus„dem doctrinæ diffisus, ac plus tanto „Doctore (absit verbo injuria) sibi sa„pere visus, hæc subdit: *Nec id ad Augustini institutum pertinebat, nec voluit ipse aliis adimere libertatem ea omnia dicendi, quæ*

Sæc. XVII. A. C. 1697. *quæ deinceps opportuna viderentur, præsertim*, inquit, *adversus Calv. atque Jansen.* „Quo sane prætextu ad nova & inaudita „quæque prosiliunt. An enim si novi „Authores confutandi veniunt, ideo „nova quoque dogmata invehi necesse „est in Ecclesiam? Nempe hæc, quod „parvuli tam luctuoso puniantur exilio, „non ad illa tremenda judicia, sed ad „Dei gratiam potiorem referri oportet? „Quæ profecto, si ad nodum reproba„tionis parvulorum dissolvendum per„tinerent, quo in loco explicando Au„gustinus totus est, non ab ejus insti„tuto abhorrerent. Sed ille huic nodo „non aliam solutionem affert, quam „illud Apostoli: *tu quis es?* Et illud in „caussa parvulorum toties repetitum: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa*, originis vitiatæ, atque dam„natæ facere aliud quidem vas in ho„norem, aliud vero in Contumeliam. „Neque quidquam aliud in parvulorum „ac in tota prædestinationis caussa, „Beatus Augustinus, aut quæsivit, aut „prompsit: imo aliud quærentibus, id „aperte significat, cui non ista suffi„ciant, ut quærat doctiores; sed ca„veat, ne inveniat præsumptores. Ne„que minus alienum est a Beati Docto„ris sensu, quod illud Sapientiæ: *ra„ptus est, ne malitia mutaret intellectum „ejus,*

„*ejus*, transfertur ad parvulos, illud „enim de justis, ne a sua justitia rece- „derent, esse prolatum, & locus ipse „clamat, & B. Augustinus, aliique Or- „thodoxi omnes uno ore consentiunt. „Ad gratiam autem pertinere, quod „sine Baptismo rapiantur infantes in „infernalem carcerem devolvendi, tan- „quam eis subtracto Baptismo potior „obventura sit felicitas & gratia: non „ipse Catharinus, non ipsi Pelagiani „ausi sunt asserere: qui cum iisdem „parvulis, aut vitam æternam, aut „naturalem assignent Beatitudinem; „nec tamen eam qualemcunque, aut „vitam æternam, aut felicitatem Re- „gno præferendam putant.„ Sæc. XVII. A. C. 1697.

„Caussa autem errandi hæc fuit, „quod tanti nodi dissolutor nequidem „naturam, ac vim peccati Originalis „agnovit, atque etiam ex S. Augustino „probare nititur, parvulis in præsente „vita cruciatis esse aliquid *bonæ Com- pensationis, quod in æterna vita reservet Deus; quoniam, quamquam nihil boni fece- rint, tamen nec peccaverint aliquid*, quam „quidem sententiam idem Cardinalis a „B. Augustino in epistola ad Hierony- „mum retractatam fatetur, *non quidem, ut erroneam, & falsam, sed tamen ut mi- nus firmam, validamque*, hæc quidem „Sfondratus Cardinalis asseruit: nec

Sæc. XVII. A. C. 1697. legere voluit in eadem Epistola, nul- „lam iisdem parvulis *compensationem cogitandam, quibus insuper damnatio præparata est: eamque esse robustissimam, ac fundatissimam Ecclesiæ fidem.* De fide „ergo est illa damnatio, quæ licet Au- „gustino teste omnium mitissima, non „tam proinde sanctitati, & æternæ fe- „licitati anteferenda sit: neque ullum „præsidium est in illa Epistola ad Hie- „ronymum, quam Author dissolutinodi „tanta confidentia proferebat.„

„Idem alibi scripsit, *fatendum, quia nunquam parvulis ante Baptismum sublatis Deus vitam æternam voluit, istos ad alium finem, classemque providentiæ pertinere.* „Quo loco perspicuum est, eundem Au- „thorem totius humani generis pri- „mævæ institutionis oblitum. Quis „enim Christianus negat universam Adæ „Sobolem in eo ad æternam vitam fuisse „ordinatam? Non ergo parvuli *ad alium „finem, aut ad aliam classem providentiæ* „revocandi sunt: sed plane ad com- „munem creaturæ rationalis ordinem „redigendi: ut nec sine Sacramento „Redemptoris, vitam æternam, ad „quam instituti erant, recuperare pos- „sint, nec ejus jactura sine certa, & „justa damnatione mulctari.„

„Hæc quidem sunt, quæ attinent „ad parvulorum statum: pluribus super- „sede-

„ſedemus, quibus quippe animus eſt, Sæc. XVII.
„ea promere, quæ magis ad exponen- A.C. 1697.
„dum, quam ad refellendum errorem
„neceſſaria videantur. Nunc ad alte-
„rum Caput pergimus; nec veremur,
„ne Parenti optimo, atque Sanctiſſimo
„tædio ſimus, cui res maximas ejus
„Apoſtolico judicio decidendas ſumma
„cum animi demiſſione ſubjicimus.

„Altera ergo propoſitio ſic habet:
„*ut demus* (Braſilienſes, aliosque) *ita*
„*ignoraſſe* (Deum, hoc eſt invincibili-
„ter) *id quoque magna beneficii & gratiæ*
„*pars eſt*, quæ quidem, Beatiſſime Pa-
„ter; liceat enim nobis in optimi Pa-
„rentis ſinum intimos animi noſtri ſen-
„ſus deponere, non ſine maximo do-
„lore referimus. Sed ſunt, quæ ma-
„gis doleant, nempe ſequentia, quibus
„iſta muniuntur: *cum enim*, inquit, *pec-*
„*catum ſit eſſentialiter offenſio & injuria*
Dei, ſublata Dei cognitione, neceſſario ſe-
quitur, nec injuriam, nec peccatum, nec
„æternam pœnam eſſe: reddique *im-*
„*peccabiles*, atque ab æterna pœna pror-
„ſus immunes, etiam parricidas, ho-
„ſpitum necatores, ac portenta libidi-
„num conſectantes; quod Deus tanta
„gratia, hoc eſt, cæcitate mentis, ſum-
„maque ſui ignoratione donaverit.
„Quod quid eſt aliud, quam peccatum
„Philoſophicum ab Alexandro VIII.

Sæc. XVII. A. C. 1697.

„felicis recordationis Anteceſſore veſtro „tanta perſpicuitate damnatum? Hæc „nempe ad Sinenſes ſolatia deferebant, „quibus excæcatæ gentis, ac de pa„rentum ſuorum ſapientia immenſum „gloriantis, ſuperbiam demulcerent. „Horum ergo gratia querebatur: *An infideles præcepta naturalia transgredientes pœnas æternas mereantur: & negabant aliqui: quia ignorantia Dei, & Legislatoris a tam gravi pœna excuſantur.* Sic enim „blandiebantur Sinenſibus, & Sacræ „Congregationis authoritate Conſulto„res reſcribebant: proculdubio *damnari* „eos, idque pœnis æternis, de quibus „quæſtio inſtituta erat, nec illam tur„piſſimam ignorationis Dei excuſatio„nem admittebant. „

„Alexander vero VIII. recentiſſimo „Edicto, die 24. Auguſti 1690. decer„nebat hoc *temerarium, piarum aurium offenſivum, atque erroneum*, ſi dicatur, *Peccatum Philoſophicum quantumvis grave, in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſſe grave peccatum, ſed non eſſe offenſam Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Quo Decreto nihil ſub„levati ſumus, ſi ab ipſa urbe, a tantæ „dignitatis Viro portentoſa doctrina nec „tantum ad Sinenſes, ſed etiam ad „omnes Reipublicæ Chriſtianæ Provin-

cias

„cias diffundatur. Sic enim duo in- Sæc. XVII.
„valeſcerent: Primum, ut eſſent om- A. C. 1697.
„nino impeccabiles, qui ſumme & in-
„victe, ſiquidem id fieri poſſet, igno-
„rarent Deum: alterum, ut ea igno-
„rantia ad gratiam, non autem ad
„peccati graviſſimam pœnam pertine-
„ret. Quæ duo ab errore defendi non
„poſſunt; neque enim fieri poteſt: ut
„Innocens Deo ſit, qui extincta licet
„cognitione Dei, rectæ rationis, &
„conſcientiæ lucem a Deo exorientem
„ſpernit. Neque item fieri poteſt, ut
„non ſit contumelioſus in Deum, qui
„rectæ rationi, cujus Deus Author, &
„vindex eſt, infert injuriam. De pœ-
„narum vero per hanc ignorantiam ſub-
„lata æternitate, quod ſentiunt, non
„advertunt, pœnarum æternitas a qua
„radice profluat. Nempe ut ait ſanctus
„Gregorius Magnus Anteceſſor veſter,
„*vellent* mali *ſine fine vivere*, ut poſſent
„ſine fine *peccare*, quippe qui felicita-
„tem, ac finem ultimum in prava de-
„lectatione deſigunt, neque vero quis-
„quam eſt, qui non æternum eſſe ve-
„lit id, quo ſe Beatum putat. Ineſt
„ergo cuicunque mortali peccato quæ-
„dam concupiſcentiæ æternitas, atque,
„ut ita dicam, immenſitas, cui pro-
„fecto Deum tota ſua infinitate atque
„æternitate, ac Sanctitate adverſari

Sæc. XVII. A. C. 1697.

„neceſſe ſit. Ergo mortale quodcun„que peccatum, contra legem etiam „naturalem, habet aliquid, quod æ„ternam iram provocet, unde quocun„que peccato rectam rationem læſeris, „exurgit ille ultricis Conſcientiæ ſti„mulus, ille *vermis* interior, qui teſte „Chriſto *non moritur*, cujus adeo im„mortale virus, morſus indefeſſus; „quod ſupplicii genus, qui extinguen„dum putat, Evangelio contradicit. „Vermem autem illum profecto comi„tatur ſempiternus ignis, a quo ſi im„pios illos exemeris, erit non modo „parvulis, verum etiam adultis Deum „neſcientibus a ſempiterno igne ſeclu„ſus aſſignandus locus, nec in ſiniſtra „erunt perditi ac ſcelerati, qui Deum „neſciunt, ejusque ignoratione mulctati, „nec a præteritis peccatis expedire ſe „poſſunt, & in nova proruunt. Non „ergo impeccabiles, qui legem natura„lem, quam ſciunt, non impune con„temnunt; nec ſi vel maxime ſint im„peccabiles, id beneficii loco conſe„quentur. Etſi enim gratia eſt, non „poſſe peccare in bona voluntate fir„matos; non proinde gratia, ſed pec„cati eſſet pœna graviſſima, peccare non „poſſe, eoquod ignorarent Deum; quo „nihil eſt miſerius, & æternæ damna„tioni propius.„

„Hoc

Sæc. XVII. A.C. 1697.

„Hoc autem ſupplicamus, Beatiſ-
„ſime Pater, ut perpendatis voces: *Ergo cum hac ignorantia impeccabiles rederentur, alioquin certiſſime peccaturi, ſi agnoſcerent, ſequitur hoc ipſum beneficium eſſe, juxta illud Apoſtoli:* melius *enim erat illis non agnoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* „Hoc nempe ſupererat ad erroris cu-
„mulum, ut, quia lege Dei & gratia
„perverſi & ingrati abutimur, ſub-
„tractio legis & gratiæ non pœnæ, quod
„ſemper Eccleſiæ viſum eſt, ſed gratiæ,
„& beneficio imputetur.„

„Quæ mala inde proveniunt, Bea-
„tiſſime Pater, quod Scripturas divi-
„nas velut verſatiles ad arbitrium fle-
„ctant; quod cæcis affectibus, & ina-
„nibus ratiunculis delectati, Patribus
„non auſcultent, malintque commi-
„niſci falſa, quam tantis viris docen-
„dos ſe tradere. Quare niſi claro, cer-
„toque judicio ab Eccleſia Dei propul-
„ſetis, omnia collabeſcent: Romam,
„quod Deus avertat, eis favere, non
„modo adverſarii, verum etiam pii ſal-
„tem infirmi conclamabunt, ac laſcivia
„ingeniorum magis incitata, quam
„compreſſa eſſe videbitur.„

„Sed hoc a veſtris temporibus pro-
„cul abeſſe, & veſtri Pontificatus Clari-

Sæc. XVII. A. C. 1697.

„tudo, & ab ore vestro per totam Ec„clesiam pervulgatæ voces docent. Ita„que supplicamus, ut post illas præci„puas Propositiones, hanc quoque San„ctitas Vestra dispiciat: *post promulgatum Evangelium, an fides explicita in Christum omnino necessaria sit, disputant Theologi: si tamen admittamus, necessariam esse dicendum est.* Quæ a Christianorum Scho„lis longe abigenda sunt, ne sub dubio „relinquatur, an sine Christi nomine „credito & invocato salvus esse quis „possit; dicente Domino: *qui credit in „illum, non judicatur*, medio Justifica„tionis invento, *qui autem non credit*, „jam judicatus est: relictus ipse sibi, „nulloque novo judicio, propria & „præcedente iniquitate mersus.„

„Postremo, Pater Sanctissime, quod „ad universi libri pertineat scopum, „illud vel maxime Apostolicæ sedi, „quam Beatus illustras, insinuandum „putamus, ne Vestra sinat Sanctitas „definitionem prædestinationis infringi „eam, quam vester Augustinus tradi„dit, ut nempe sit *præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur.* Hanc „enim *definitionem Prædestinationis* om„nibus gentibus prædicandam idem „Augustinus iterum iterumque com„mendat. *Hac præparatione beneficio-*

rum

„*rum Dei* fieri confitetur, ut omnes „prædeſtinati ſingulari & gratuita di- „lectione ſerventur, qui fons Chriſtianæ „humilitatis ac pietatis eſt. Hujus præ- „deſtinationis veritatem *ſemper fuiſſe in Eccleſiæ fide, ac de ea neminem unquam, niſi errando diſputare potuiſſe*, & idem „Auguſtinus affirmat, & Sanctis Ponti- „ficibus Cæleſtino, & Hormisda pro- „nuntiantibus, Eccleſia Romana ſuſce- „pit: & noſtro quoque ſæculo Cardi- „nalis Bellarminus, *non ad opinionem, ſed ad Eccleſiæ Catholicæ fidem pertinere* „aſſerit. Quam tamen Catholicam ve- „ritatem nodi diſſolutor tacet, atque „hujus prædeſtinationis definitionem „immutat: Supponit aliam S. Augu- „ſtino ignotam, quæ vim ſingularis „atque gratuitæ dilectionis, ac benefi- „ciorum præparationis obſcuret. Quam- „vis eam non ſemel agnoſcit, ſic ta- „men rem involvit dictis, ut nihil ma- „gis vereri videatur, quam ne electos „majori, quam reprobos, beneficio af- „fectos eſſe conſtet: quod nec Molinæ „ſectatores inficiati ſunt. Sic Eccleſiæ „Romanæ de ſingulari & gratuita di- „lectione Electorum, aut omnino qua- „titur, aut ſaltem vacillat fides, quæ „ſi Authoris verbis affirmare nitimur; „huc nempe totus liber transferendus „fuit, neque plura memoramus, cum

Sæc. XVII. A. C. 1697.

Sæc. XVII. A.C. 1697. „ea a vobis perpensa, & annotata, „vestra egregia ad vicinos Belgas de„creta demonstrent; nobis certe sufficit „ad vestrum Apostolatum detulisse ea, „quæ veritatem læderent, ac Patrum „laudare sententias; quas majore gra„tia de Petri cathedra prædicatis.„

„Plures Episcopi subscripsissent, nisi „pauci sufficerent, ut ne ambitiosius, „quam modestius agere videremur. „Cæterum meminimus a S. Innocen„tio I. non modo Synodicas, sed e„tiam quinque Episcoporum literas, „paterno animo esse susceptas; atque „ab Innocentio XII. paria expectari „oportere, tanti Pontificis æquitas, ac „paterna benignitas facile persuadet, „subscripsimus. „

§. XXXVI.

Innocentii XII. responsum ad hanc Gallorum Præsulum epistolam.

Argentre l. c. p. 400. Acceptis hisce literis Innocentius XII. Pontifex haud satis mirari poterat, tam crassos errores a Viro pietate, dignitate atque eruditione præstantissimo divulgari, ejusque librum a S. Officio, aliisque celeberrimis Theologis approbatum tot nævis scatere: cum ergo haud ignoraret, quod non raro nubes etiam Soli offundant tenebras, ac

ac sæpe rationem affectus obscurent, hinc tanta in re nil præcipiti judicio decernendum ratus, Sfondrati opus insignium Theologorum discussioni commisit, idque præfatis Franciæ Præsulibus die sexta Maij significavit, datis ad eos hisce literis. Sæc. XVII. A. C. 1697.

Venerabiles Fratres Salutem & Benedictionem Apostolicam.

„Literas vestras VII. Kalendas Martii „proxime præteriti ad nos datas grato „animo accepimus, ex iis enim vigi„lem, ac Sacerdotalem Zelum, quo „Sacros Antistites in partem Solicitu„dinis nostræ vocatos flagrare maxime „decet, in vobis vigere, vosque priscam „erga hanc sedem, cui nos, licet im„meriti præsidemus, debiti obsequii „gloriam constanter retinere deprehen„dimus: dum antiquæ traditionis exem„pla servantes, & Ecclesiasticæ memo„res disciplinæ, ad locum, quem ele„git Dominus, ascendistis, ac ea, quæ „in libro posthumo bonæ memoriæ Cæ„lestini S.R.E. Cardinalis *Sfondrati* de „divina Prædestinatione nuper edito, „reprehensione digna vobis visa sunt, „ad nostrum Apostolatum, eo ferme „tempore, quo variæ Doctorum homi„num, de eodem libro sententiæ etiam

„per

Sæc. XVII. A. C. 1697.

„per urbem ferebantur, detuliſtis, no„ſtrum hac in re judicium ea, qua par „eſt, reverentia depoſcentes. Officii „itaque noſtri eſſe ducimus, librum „ipſum, resque a vobis in eo adnota„tas, inſignium Theologorum diſcuſ„ſioni committere, ut omnibus matu„ræ Conſiderationis trutina perpenſis, „quod juſtum fuerit, ſubinde decer„nere valeamus: non alia profecto, „quam crediti nobis divinitus myſterii „partes, ſicut oportet, implendi ha„bita ratione: quod, ut etiam in aliis „omnibus, quæ ad oneroſam Apoſto„lici muneris noſtri curam pertinent, „exequi poſſimus, jugibus Fraterni„tatum veſtrarum apud Patrem lumi„num precationibus infirmitatem no„ſtram juvari vehementer optamus, „vobisque Apoſtolicam Benedictionem „peramanter impertimur.„

§. XXXVII.

Ulteriores Janſeniſtarum motus contra Sfondrati librum.

Cauſſ. Quæſt. pag. 225.

Cum autem Romani Cenſores judicium ſuum ferre cunctarentur, Janſenii Diſcipuli hanc moram pertæſi pro arbitrio ſuo adverſus Sfondrati librum calamos ſuos exercuerunt, ac præprimis Hennebelus edito ſcripto quadraginta

ginta propositiones exinde decerptas Romæ censuris, notisque perstringi petiit, Du Vaucellius quoque, qui Jansseniana nomenclatura Wallonius vocabatur, ex eodem libro excerpta edidit, demonstrare conatus, potissimos textus ex sanctis literis, SS. Patribus, & præcipue D. Augustino a Sfondrato minus integra fide fuisse allegatos: incitavit insuper Quesnellum aliunde ad famosos libellos sat promptum, ut reflexiones in præfatam Præsulum Gallorum epistolam ederet, & contra Nodum Cardinalis Sfondrati stylum suum acueret: Enimvero Quesnellus magnam cum ceteris partem habuit in libro, quem Jansenistæ Clero Gallicano offerre decreverant sub hoc titulo: *Doctrina Augustiniana Romanæ Ecclesiæ, extricata a nodo Cardinalis Sfondrati per varios discipulos S. Augustini illustrissimis & Reverendissimis Ecclesiæ Principibus, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque totius cætus Ecclesiastici Ordinibus Cleri Gallicani in comitiis generalibus in Palatio Regio ad oppidum S. Germani proxime congregandis nuncupata.* Adjunxit Quesnellus epistolam ad secundi Ordinis Sacerdotem deputatum, qua Jansenismum Romæ pro phantasmate haberi, juris & facti quæstionem esse separandam, pacem per Pontificias Constitutiones

Sæc. XVII. A. C. 1697.

Sæc. XVII. A. C. 1697.

tiones fuisse eversam, & de integro causſam Jansenii esse resumendam, evincere nitebatur: Verum has, pluresque alias ejusmodi propositiones & scripta postmodum Clerus Gallicanus hoc anno ac demum anno Christi millesimo septingentesimo damnavit, ut suo loco referemus: Quamvis igitur Jansenistæ editis quamplurimis libellis & convitiis Sfondrati librum damnari urgerent, id tamen nec Romæ a S. Officio, nec Parisiis a Clero Gallicano vel Parisiensi Conventu impetrare poterant, prævalentibus ubique Molinistis.

§. XXXVIII.

Archiepiscopi Rothomagensis Decretum circa libros a Parochis legendos, necnon contentio inde exorta.

Mem. chron. & Dogmat. Argentre Coll. Jud. t. 4. p. 401. Binner appar. erud. part. 8. pag. 735.

Eodem hoc anno Colbertus Archiepiscopus Rothomagensis, vel ut alii credunt, Generalis ejusdem Vicarius Pastoralem edidit ordinationem, in qua suæ Diæceseos Parochis quosdam commendabat libros, quorum doctrinas tam in dirigendis fidelium conscientiis, quam in suis collationibus amplecterentur: Inter hos præcipui erant *Rituale Alectense, moralis Gratianopolitana, Resolutiones San-Beuvii, & Theologia dogma-*

dogmatica Patris Natalis Alexandre Dominicani. Omnes hi libri Moliniſtis, eorumque doctrinis erant infeſti: quocirca hi Archiepiſcopum quantocius precibus ac monitis fatigabant, ut hanc ordinationem revocaret, cum autem hunc ſelectus ſui haud pœniteret, Pater Buffierius tecto nomine librum, cui titulus: *difficultates propoſitæ Archiepiſcopo Rothomagenſi circa libros, quorum lectionem Parochis ſuis commendavit*, publici juris fecit, atque ejusmodi libros non eſſe ſecuros viæ duces, probare conatus, acrius Patrem Natalem inſectatus eſt: ſuſpicabatur Archiepiſcopus, in Collegii officina hæc adverſum ſe arma fuiſſe fabricata: quapropter damnato libello, Societatis Superiores adeſſe juſſit, ab eisque petiit, ut P. Buffierius, quem *rebellem* appellabat, decem propoſitiones erroribus a ſe propugnatis contrarias ſuo firmaret chirographo ac demum injuriam huic Præſuli irrogatam deprecaretur, interim vero ipſi hunc Patrem in Profeſſorum Domo incluſum tenerent. Inde vero inter ipſos Socios oriebatur ſchisma; Superiores enim tam præclari Præſulis auctoritatem veriti, ſe ejus poſtulatis ſatisfacturos pollicebantur; ceteri vero Societatis honorem hac ſubmiſſione lædi exiſtimantes, ſeſe Archi-

Sæc. XVII. A. C. 1697.

Sæc. XVII. A. C. 1697. Archiepiscopo opponebant; quinimo eorum Studiosi hunc Patrem e Collegio vi abstrahere moliebantur.

§. XXXIX.

Propositiones a P. Buffierio subscribendæ.

Has autem propositiones Archiepiscopus præscripsit, sequenti forma signandas;

„Impositio mihi a Reverendo Patre „Guilielmo Ayraut vice-Provinciali „Soc. J. in Provincia Franciæ præce„pto, ut Illustrissimo DD. Archiepi„scopo Rothomagensi faciam satis ra„tione libelli, cui titulus est, *difficul„tates propositæ*, utque subscribam Pro„positionibus ejus nomine mihi desig„nandis; cum submissæ erga tantum „Archipræsulem Reverentiæ, & Obe„dientiæ, & grati animi erga poten„tissimum Societatis nostræ Protecto„rem publica nimis testimonia edere „non possim; agnosco, & declaro Au„thorem libelli, qualiscunque sit, a „reverentia eidem Archipræsuli de„bita cum scandalo defeciisse, opus e„dendo, quo pax diœcesis perturbari „potest, avertendo Clerum ab obser„vantia mandatorum ejusdem D. Archi„episcopi, & quod sententiis quam „plu-

„pluribus refertum est, Rectitudini, „ac puritati Moralis Christianæ con- „trariis. Ut autem omnibus inno- „tescat, quantum improbem hujus „opiniones Authoris, quæ nec meæ „sunt, nec Societatis nostræ, sequen- „tibus Propositionibus subscripsi.„ Sæc. XVII. A. C. 1697.

I. „Circa Doctrinam probabilitatis, „damnare me profiteor, quidquid In- „nocentii XI. Pontificis maximi Decreto „die secunda Martii 1679. damnatum „est.„

II. „Quod spectat peccatum Philo- „sophicum, damno, quod ab Alexan- „dro VIII. summo Pontifice damnatum „est Decreto edito die 24. Augusti 1690. „privatimque agnosco, & profiteor, „quod & Societatis nostræ Patres in „suis circa peccatum Philosophicum de- „clarationibus agnoverunt, & professi „sunt, falsum esse, quod necessaria sit „actualis attentio ad malitiam actionis, „ut in peccatum imputetur.„

III. „Peccatum excæcati, & obdu- „rati, qui homicidia, adulteria, & alia „crimina sine Conscientiæ stimulo com- „mittunt, non animadvertentes, quod „illa perpetrando Deum offendant, & „quod illa contraria sint legi naturali, „pœnarum inferni nihilominus rei sunt; „cum excusari propterea non possint a

Sæc. XVII. A. C. 1697.

„peccato mortali, quod actu ad actio„nis malitiam non attendant.„

IV. „Obligatio amandi Deum, pri„mum & præcipuum est hominis offi„cium, & nulla vitæ pars eo amore, „saltem habituali, vacare debet.„

V. „Omne opus, ut vere Christia„num, ac meritorium sit, ex amore „Dei saltem habituali, seu principio „oriri, ad eumque, seu ad finem ul„timum referri debet.„

VI. „Quicunque asserit, amorem Dei „inchoatum necessarium esse, ad ex„cludendum affectum peccati, a Do„ctrina Lutheri alienissimus est.„

VII. „Agnosco, & profiteor, nul„lam esse veram conversionem sine ali„quo Dei amore: nec peccatorem suf„ficienter dispositum esse posse ad ju„stificationem in sacramento Pœniten„tiæ consequendam, nisi Deum, ut „omnis justitiæ fontem, diligere in„cipiat.„

VIII. „Ambitionis reus est, gene„ratim loquendo, quicunque pro seipso „Episcopatum, curam Parochialem, „aut quodvis aliud beneficium curam „animarum annexam habens postulat, „indignumque reddit vel ipsa postu„latio.„

IX. „Apostoli verbis abutitur, qui„cunque dixerit: nisi liceret Episcopa„tum

„tum postulare, nos seduxisset Apostolus scribendo: qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.„ Sæc. XVII A. C. 1697

X. „Qui Majorum, & Nobiliorum „Ecclesiarum suggesta, seu pulpita ambiunt, & postulant, ut nominis Claritatem consequantur, sicque viam „sibi parent ad Episcopatum, Prædicatione abutuntur, & Ministerium „Evangelii profanant.„

Quoniam vero P. Buffierus hanc formulam signare recusaret, Regio edicto in exilium amandatus est, Archiepiscopus vero contra Buffieri errores epistolam Pastoralem publici juris fecit, in qua ostendit, ex certioribus moralis Doctrinæ præceptis inferri, quod opinio probabilior, ac tutior minus probabili, minusque tutæ sit præferenda, omnisque homo Deum habitualiter amare teneretur, nec Peccator sine amore initiali possit justificari, nec cogitatio de malo contra legem naturæ requiratur, ut quis peccet.

§. XL.

Altera Jesuitarum contentio cum Rhemensi Archiepiscopo.

Non minus grave negotium Jesuitis facessiverat Caroli Mauritii Tellieri Rhemensis Archiepiscopi censura in eo- *Mem. Chron. & Dogm. Binner l. c.*

Sæc. XVII. A. C. 1697.

rum doctrinas pronuntiata; Occasionem præbuit disputatio Rhemis in Societatis Collegio ad diem decimam quintam & decimam septimam Mensis Decembris anno priori decreta, in qua pro defensione doctrinæ a Ludovico Molina excogitatæ, inter alias theses propugnabant. I. *Scientiam mediam vehementer accusatam, sed puram & absolutam ex judicio fuisse egressam, tamque parum eam esse Pelagianam, quam Calvinisticam*, II. *juxta doctrinam S. Augustini prædestinationem prorsus esse gratuitam.* Ea erat tum temporis vicissitudo, ut Molinistici systematis laus nimis intempestiva, & non paucis admodum invisa esset; quapropter plurium querelæ desuper ad Carolum Mauritium Tellierum Rhemensem Archiepiscopum deferebantur. Hic ergo, ut graviores motus præverteret, utramque thesin confixit, edito decreto admodum prolixo in publicis Sorbonæ comitiis divulgato, ac Romam, in Belgium, necnon ad omnes Regni Episcopos ac urbes transmisso: in eo Archiepiscopus Thomistarum doctrinam amplissimis elogiis celebrans, illam a Jansenii opinionibus toto cælo distare comprobabat, Jesuitarum vero doctrinam velut novam, periculosam, suspectam atque erroneam esse ostendens, in expositis

dua-

duabus theſibus carpebat, quod Molinæ doctrina de gratia extolleretur ſupra S. Auguſtinum, & dogma de prædeſtinatione ad ſimplicem ſcholæ opinionem reduceretur, nec additum fuiſſet, ſententiam de prædeſtinatione gratuita eſſe dogma fidei. Hac Præſulis cenſura Rhemenſes Jeſuitæ pupillam oculi læſam arbitrati, Patri Gabrieli Daniel negotium dedere, ut Archiepiſcopi edictum refelleret: quamprimum P. Daniel ſcriptum ſuum, quod ad ipſum Archiepiſcopum direxit, in vulgus ſparſerat, mox alii inde audaciores facti, hunc Præſulem, quem in Aula minus valere noverant, dicteriis, libellis famoſis, cantilenis, ſatyrisque malignis indignum in modum paſſim appetebant, alii hujus Præſulis vitam ſub titulo: *Vita ſancti Mauritii Rhemenſis Epiſcopi* mordaci calamo ediderunt, & Pariſiis venum expoſuere, ludicrasque epiſtolas, quas *Maurolicas* appellabant, in vulgus ſparſere; ac ſexcentis otioſæ loquacitatis & infrunitæ pennæ nugamentis tanti Præſulis famam læſerunt. Hic vero Jeſuitæ apologiam refellere ſtatuerat; cum autem calamum ſuum adverſariis exoſum noſſet, ac pejora prioribus pertimeſceret, quibusdam Sorbonæ Doctoribus negotium dedit, ut Jeſuiticam confutarent apologiam. At-

Sæc. XVII. A. C. 1697.

Sæc. XVII. A. C. 1697. tamen hi adeo lente laborem hunc susceperе, ut Archiepiscopus potentius remedium quærere cogeretur: Igitur ipsum Franciæ Regem accessit, exponens, quod Jesuitæ publico suo scripto insultare ausi, palam contra procedendi ordinem deliquissent; prius enim Canonicas vias inire, & si se immerito gravatos crederent, ad Archiepiscopum querelam deferre, & justitiam repetere debuissent, priusquam adversus Præsulem suum per apologiam ubique disseminatam, ad publicum provocarent, ac veluti æris campani sonitu Clerum & populum contra Archiepiscopum ad arma cierent: Rex itaque hanc caussam primum quatuor Præsulibus, dein Parlamento discutiendam commisit: Verum Jesuitæ duriora veriti, Archiepiscopum placare decrevere, ac propterea ultro sese offerebant, quod eum humiliter accedere, commissique erroris veniam petere velint, contestantes, quod divulgata hac apologia Præsuli molestiam inferendi animum non habuissent. Hanc conditionem Archiepiscopus gratanter acceptavit, ab eis postulans, ut ejus edictum, thesiumque damnationem debita reverentia reciperent, apologiam revocarent, illiusque Auctores pro merito culpæ punirent. Unde Rex per Harlæum Regis

gis Advocatum Jesuitis præcepit, ut Collegii Superiores Præsulem adirent, magna animi demissione supplicantes, quatenus sua eos benevolentia denuo honoraret, simul vero incursæ indignationis dolorem professi, testarentur, ingratum sibi esse, quod inconsulto fervore scriptum suum sine Archiepiscopi venia atque Authoris nomine publici juris feciissent, ac propterea ejus gratia excidissent, se vero curaturos, ne deinceps suis deessent officiis: Huic Regis mandato paruerunt Jesuitæ, hacque submissione animi utrinque reconciliati credebantur, paulopost tamen novi suscitabantur motus, dum a Jesuitis, ut creditum est, vulgabatur liber sub hoc titulo: *Historia caussæ ab Archiepiscopo Rhemensi contra Jesuitas victæ.* Sæc. XVII. A.C. 1697.

§. XLI.

Pax Rysvicensis inter Franciæ Regem, & Imperii fœderatos.

Eodem tempore, quo Franciæ Rex conciliandæ pacis studium præseferre videbatur, die decima Augusti Barcinonam Cataloniæ caput, & die tertia Maij Cartagenam in Americano littore, necnon Atham in Belgio die sexta Junii post longas cruentasque *Act. de la paix de Ryswick t. 2. p. 122. Limiers t. 2. pag. 652.*

Sæc. XVII. A. C. 1697.

obsidiones cepit. Nihilominus Ryswici in Hollandia, quæ Urbs ad tractandam pacem selecta erat, pacificationi præludebatur: Jamjam Westphalicus, & superioris inferiorisque Rheni Circulus Suevico & Franconico fœderi accesserant: Franciæ etiam Rex, cum Hispaniæ Monarchiam, Carolo Hispaniæ Rege ob infirmam valetudinem morti proximo, sibi vendicare meditaretur, ceteros Principes sibi devincire certabat, hancque in rem clam cum Sabaudo transegit, Batavis, quæcunque petebant, tribuit, & Guilielmo Arausico Principi, quem heri tanquam intrusum atque usurpatorem armis insectatus est, Regis legitimi titulum concessit, non alio ex fine, nisi ut fœderatos Principes a Cæsare, quem solum suæ ambitioni resistere posse ac velle noverat, divideret: Sola ergo Hispaniæ Monarchia, quam Ludovicus Rex spe sua jam devoraverat, futuræ pacis incitamentum erat: Præprimis igitur Franciæ Rex opera Molonis Grisonis usus Guilielmo Auriaco vehemens pacis desiderium ingessit, postea per Callierium, mercatoris habitu tectum cum Heinsio, Batavorum Reipublicæ Administro clam pacis negotium pertractavit, simulque Hagæ Comitum Carolum XI. Sueciæ Regem induxit, ut

ut pacis conciliatorem ageret, ac per Lilienrothum id omne exequeretur, ac plene componeret, quod ad plenam animorum conſenſionem præter admiſſa & promiſſa reſiduum eſſet. Hos inter in Neoburgenſi arce prævie conventum erat, ut juxta Neomagienſem & Weſtphalicam pacem negotium definiretur, & Rex Franciæ Argentoratum Imperio, Lucemburgum vero, Montes, Caroloregium, & in Catalonia omnia poſt Neomagienſem pacem erepta Hiſpanis, ac demum Dinantium urbem & arcem & poſt præfatam pacem a Gallis capta loca rurſus Leodienſi Epiſcopo, necnon Lotharingiæ Duci hunc Ducatum redderet, & poſt firmatam pacem Guilielmum Auriacum velut legitimum Angliæ Regem cognoſceret: Præliminaribus hiſce conditionibus ad limam ſæpius revocatis fœderatorum Oratores ſuorum Principum nomine plurima contra Gallos proponebant gravamina & damna bello illata prius reſarciri petebant: Galli vero accepto nuntio de capta Barcinnona elatiores effecti, declarabant, Regem ſuum Argentoratum perpetuo jure ſibi ſervaturum, nec velle, ad ceteras conditiones ſe ultra vigeſimam Septembris diem obſtrictum eſſe: Aſt Cæſar aliique fœderati Principes po-

Sæc. XVII. A. C. 1697.

Sæc. XVII. A. C. 1697.

tius bellum extrahere, quam mancipiorum more Gallorum imperio tam propudioſe ancillari maluerunt: petiit etiam Leopoldus Imperator, ut pacificatio duntaxat ſecundum pacem Weſtphalicam, prout Norimbergenſi executioni congruit, inſtitueretur: Proteſtantium etiam Principum Oratores poſtulabant, ut profugis ex Francia Calviniſtis ſectæ ſuæ libertas redderetur, ac ipſi inſtrumento hujus pacis includerentur: Acerrimæ deſuper habebantur altercationes; interim vero die vigeſima Septembris Hiſpani, Angli & Batavi Oratores noctu habito clam conventu pacem cum Gallis firmarunt: reclamant Cæſarei, vehementer queſti, quod rurſus Imperatore ac Imperio excluſis, clandeſtina pacificatio cum Gallis ſanciretur: nihilominus limatis pacis articulis primi ſubſcripſere Sabaudi; mox Batavi & Angli, mercaturæ ſuæ reparandæ intentiſſimi, poſtremo Hiſpani, quibus etiam acceſſere Brandeburgici: Cæſareis vero, utpote huic transactioni adhuc obluctantibus armorum ceſſatio usque ad primam Novembris diem indulta eſt, quo exſpirante termino Galli ſe Imperium & Auſtriam hoſtiliter invaſuros minitabantur: cum ergo Cæſar, fœderatorum potiſſimos pleno curſu in pacem ire cerne-

cerneret, ipse etiam invitus licet, cum viginti Imperii Ordinibus die trigesimo Octobris propositis sibi articulis subscripsit. Sæc. XVII. A. C. 1697.

§. XLII.

Hujus Pacis articuli inter Cæsarem & Gallos.

Erigebatur singulare pacis instrumentum inter Hispanos & Gallos, & aliud inter Gallos & Anglos, ac tertium inter Gallos & Batavos: cum autem in his præcipue jure belli ademptorum restitutio, commercii libertas, ac Anglici sceptri usurpatio firmaretur: majoris ad rem nostram momenti videtur esse pax Gallorum cum Cæsare ac Imperii Ordinibus. Horum igitur nomine Caunizius, Stratmannus & Seilerus Cæsaris Legati, necnon Harlæus, Crequius & Callierius Gallorum Oratores in mutuas hasce pacis & concordiæ leges consensere. I. Pax sit perpetua & stabilis. II. Concedatur amnestia Universalis & præteritorum oblivio. III. Fundamentum hujus pacis sit Pax Westphalica, & Neomagiensis, nisi nunc aliter conventum fuerit. IV. Imperio restituantur omnia, extra Alsatiam sita loca, vel jure belli, aut reunionum nomine ereptal, omnia-

Wagner Hist. Leopold. I. Hode Hist. de Louis XIV. l. 57. pag. 238.

Sæc. XVII. A. C. 1697.

omniaque in priſtinum ſtatum reponantur, *religione tamen Romano-Catholica in locis ſic reſtitutis, in ſtatu, quo nunc eſt, remanente.* V. Trevirenſi Urbs cum ceteris per renunionem occupatis, Sueciæ Regi & Comiti Palatino Ducatus Bipontinus, Lotharingio ejus Ducatus, Ordini Teutonico ſuæ commendæ, Electori Colonienſi Dinantium cum ceteris bello ereptis, Wirtenbergenſi Comitatus Monpelgardenſis unacum feudis Clervalli, Paſſevanti, & dynaſtiarum reſtituantur. VI. Principes vero Naſſovienſes, Hanoverani & Lainingenſes, & Durlacenſis comprehendantur in quarto articulo. VII. Cæſari Friburgum, aliaque munimenta per Brisgoiam aut Herciniam ſylvam erepta necnon Briſacum, Imperio autem & Cæſari munimentum Kehl & Philippoburgum Franciæ Rex reddat. VIII. Viciſſim Imperium Gallo cedat Alſatiam Imperialem proin Argentinam. IX. Palatino Electori reſtituantur omnes ditiones occupatæ unacum Præfectura Germersheimenſi: deciſio autem litis cum Aurelianenſi Duciſſa relinquatur Cæſari ac Regi, tanquam arbitris, qui ſi non convenerint, Pontifici deferatur arbitrium. X. Cardinali Fürſtenbergio Epiſcopatus Argentinenſis necnon Abbatia Staucloana una-

unacum fundis cis Rhenum reſtituatur, pariter etiam Canonici eidem adhærentes cum plena amneſtia reſtituantur. XI. Landgravii Haſſiæ Rheinfeldenſes in arcem Rheinfels & inferiorem comitatum Catimabolicenſem reponantur. XII. In hac pace comprehendantur Sueciæ Rex, Epiſcopus & Epiſcopatus Baſileenſis, tredecim Helvetiæ Cantones, eorumque fœderati, Marchio Badenſis, & Brandeburgus cum omnibus ditionibus etiam ſibi ex tractatu Sangermanenſi competentibus. XIII. Beneficia Eccleſiaſtica in Lotharingia & alibi remaneant penes modernos poſſeſſores.

Sæc. XVII. A. C. 1697.

§. XLIII.

Proteſtantium querelæ contra quartum hujus pacis articulum circa religionem.

Inter frequentes plurium Principum conteſtationes, & oppoſitiones nulla acrior erat, quam illa Proteſtantium contra quarti articuli clauſulam, qua religionem Catholicam in locis reſtitutis ſervandam eſſe ſancitum erat: cum enim jam antea Proteſtantes omni contentione peterent, ut non modo in Argentinenſi urbe, ſed & in omnibus, quæ Gallis acceſſura eſſent, locis liberum

Act. & mem. de la Paix tom. 4. p. 3. & 8.

Sæc. XVII. A. C. 1697. rum sectæ suæ exercitium, ut ante bellum potiebantur, servaretur, & profugi ex Gallia Calviniſtæ inſtrumento pacis includi, in patriam redire, ac conſcientiæ libertate frui permitterentur, hæc ipſa Hugonotarum ac præcipue Sileſiorum importunitas ac vehementia admonuit Gallos, ne ipſi pro ſua religione ſegnius, quam Proteſtantes pro ſua ſecta agerent: eapropter die trigeſima prima Octobris ſeu pridie ejus diei, qua pax ſubſcribenda eſſet, conſcriptas jam tabulas inter ſe collaturi hanc clauſulam ad articulum quartum appoſuere. Ea res, quantos clamores, turbines, ac tempeſtates inter Proteſtantes concitarit, nec lingua, nec calamo exprimi poteſt. Præprimis igitur Proteſtantes contra pacis Conciliatores impotentibus furiis tumultuari, efferveſcere, minari, exprobrare, tantaque animorum contentione vociferari auditi ſunt, ut ſi pari ſtudio pro focis Imperii, ac pro aris ſuis profanis depugnaſſent, facile ex Gallorum manibus Alſatiam Imperialem extorſiſſent. Adoriuntur Cæſaris Legatos, eisdem ſumma vehementia exprobrantes, quod absdubio aut Romani Pontificis vel Palatini Electoris, aut Jeſuitarum impulſu Gallis ceſſiſſent, verum Caunitzius, ejusque Collegæ modeſte illis reſpon-

respondebant, se hujus clausulæ nullam partem habere, nec unquam cum Gallis, nisi præsente Conciliatore, locutos, proin potius in Gallos hujus novitatis Authores iras suas evomerent. Adeunt ergo Gallos, atque invisam hanc conditionem eradi postulant, si vero id aut non possent, aut non vellent, saltem Religionis Catholicæ usum *dun*taxat ad Ecclesias proprio ære a Rege structas restringerent, vel rem Cæsaris arbitrio committerent, vel religionem eo, quo nunc est loco relinquerent, quin tamen id diserte in pacis tabulas referretur: His illico suppetias tulere Anglo-Batavi, & Sueci, qui de pace Westphalica actum esse conclamantes, suarum partium esse ajebant, ne ejusdem Religionis consortes hac clausula opprimi paterentur. Verum ad hæc aptissime respondit Harlæus Galliæ Legatus: *si vos vestræ Religionis tanta cura incessit, num putatis, Regem meum pro sua minus sollicitum esse.* Nihilominus Protestantes ad Imperii comitia scriptum quoddam transmisere, in quo contra Cæsareos Legatos questi, se in Religionis suæ negotio nequidem auditos fuisse, ac Gallos inde audaciores factos præfatam clausulam paci Religiosæ adeo contrariam obtrusisse, ajebant, se vero adversus ejusmodi

Sæc. XVII. A. C. 1697. modi attentata reclamare, ac petere, ut Catholici de pace Religioſa ſarta tecta ſervanda idonee caverent, ſimulque promitterent, ſe hac clauſula contra Proteſtantes & contra pacem Weſtphalicam non uſuros, ſed eam nonniſi ad Eccleſias a Gallo Rege dotatas extenſuros: Verum hac ſua oppoſitione haud amplius obtinere poterant, niſi ut eis beneficii loco concederetur, ut Proteſtantes Principes, ſi ſubſcribere ſibi religioni ducerent, eodem tamen numero cum ſubſcribentibus haberentur, dummodo hanc quoque clauſulam ratam haberent, id ſi detrectarent, armis rem eſſe dirimendam ſcirent. Poſtquam vero ex Proteſtantibus Wirtembergicus, Francofordienſis, & Weteraviæ Comitum Legati ſubſcripſerant, etiam ceteri pacem univerſam unacum hac clauſula tandem acceptarunt, ratamque habuerunt, & quamvis decretum fuerit, ut per ſex utriusque Religionis delegatos hæc cauſſa deciderētur, ac Proteſtantes adhucdum in omnibus ferme comitiis, capitulationibus & pacificationibus ab illo tempore initis contra hanc clauſulam reclamarint, nihil tamen usque nunc efficere potuere, eoquod obſtet pactum publicum ab Imperio ratificatum, quod unius tantum partis voluntate mutare non

non licet: nisi etiam ob continuam Pontificis, & Catholicorum oppositionem pax quoque Westphalica immutaretur. Inde tamen haud levis rei Catholicæ facta est accessio; quippe præter sexdecim Calviniſtarum Templa postmodum suppressa, Galli multis in Palatinatu, aliisque ad Rhenum & Mosellam locis Catholicam religionem restituerunt, & ubi jam introducta erat, eam in statu suo relinqui curarunt. Sæc. XVII. A. C. 1697.

§. XLIV.

Ludovici Galliarum Regis edicta contra Hugonotas.

Postquam vi hujus Pacis Guilielmus III. Auriacus Princeps, heri in Regem Angliæ agnitus, Principatum Arausicanum denuo receperat, eo Calviniſtarum quamplurimi exules commigrare parabant, quo comperto Ludovicus XIV. Galliarum Rex die duodecima Decembris sub pœna capitali prohibuit, ne ad hunc Principatum contenderent, atque illi, qui jamjam aufugissent, intra semestre in Franciam redirent, illis vero Prædicantibus, qui Lugduni capti detinebantur, Rex Arausium revertendi facultatem dedit. In hoc edicto Religio, & ratio status æquas partes habuisse videtur; concessa enim *Hode l. c. pag 246. Abrege Chron. t. 3.*

Sæc. XVII. A. C. 1697.

emigrandi facultate hic Principatus brevi ob confluentium Calviniſtarum multitudinem ac potentiam in alterum Rupellenſe propugnaculum Gallis formidandum evaſiſſet. Die autem trigeſima prima ejusdem Menſis anno ſequenti idem Rex præcepit, ut edictum, quo Nannetenſe revocaverat, executioni daretur, hacque ratione Hugonotæ omni conſcientiæ libertate fruendi ſpe, quam ex bello Gallico concepere, exciderant: diſertis enim verbis Rex in ſuo edicto ajebat, quod non ſine gravi doloris ſenſu percepiſſet, belli tempore quosdam Prædicantes, aliosque de ſuis ſubditis, Calvini erroribus obduratos, aut clam in Regnum penetraſſe, aut converſos iterum pervertere, vanisque ſpebus eos lactare, conatos fuiſſe: quapropter denuo omne prætenſæ Religionis reformatæ exercitium, omne cum Prædicantibus commercium, omnemque ſub quocunque obtentu cœtum eis interdicere compelleretur: Inſuper Rex Epiſcopis injunxit ſedulam converſorum inſtitutionem, atque eos hortatus eſt, ut curarent, quatenus neconverſi rebus divinis diligenter interſint, mandata Eccleſiæ obſervent, Sacerdotes debito honore colant, in contrahendis matrimoniis ſolemnitates a Canonibus, & ultimo concilio præſcriptas

ptas obſervent, infantes ſuos in Templo Parochiali intra viginti quatuor horas ritu Catholico baptizari curent, niſi expreſſam ab Epiſcopo licentiam obtinuerint differendi Baptismum. Denique Rex in ſuo edicto plures ſaluberrimos articulos de inſtructione & Chriſtiana juventutis educatione addidit. Sæc. XVII. A. C. 1697.

§. XLV.

Turcæ a Cæſareis ad internecionem deleti.

Poſtquam Fridericus Auguſtus Saxoniæ Elector in Poloniæ Regem inauguratus fuerat, in ejus locum Eugenius Sabaudiæ Princeps crebris jam victoriis clarus in Hungarici exercitus Præfectum a Cæſare nominatus eſt. Hic ergo ineunte Menſe Julio Varesmartonii collectis ſuorum ferme quinquaginta millibus Valdimontium Principem cum decem armatorum millibus Tokainum emiſit, ut Huſſaros, qui ductore Franciſco Tokayo ſeditionem concitaverant, reprimeret, hancque urbem, ceterasque ſub Tökelii auſpiciis captas recuperaret: Poſtea rebellibus ubique cæſis, aut captis, extremoque ſupplicio mulctatis, Eugenius die vigeſima quinta Julii Petrovaradinum movit; Barbarorum enim conſilia ad intercipiendam hanc *Hiſt. du Princ. Eug. t. 1. l. 3. pag. 198.*

Sæc. XVII. A. C. 1697.

urbem tendere arbitrabatur; unde ut Titulenſem urbem, quæ Turcis obſtabat, validius muniret, Nehmium jubet, ipſe vero cum reliquo exercitu Zentam usque ad occidentalem Tibiſci oram progreſſus, nuntium accepit, Turcas maximo numero Titulum verſus movere, & Niemum reſiſtendo imparem extremo in diſcrimine luctari. Illico Eugenius accurrit: Aſt Raſciani timore perculſi jamjam urbem deſeruerant, & Niemus non ſine ſuorum clade repulſus, Eugenio obviam proceſſerat. Ceſſiſſet etiam Barbaris Petrovaradinum, niſi Eugenius Sultanum cum toto exercitus robore eo properantem præveniſſet, ac inſolita feſtinatione Segedinum contendere compuliſſet. Poſtea compertum, Sultanum prope Zentam caſtra metari, ac circum vicinam regionem late incendiis collucere: expediuntur nulla mora velites, qui numeroſos ſpeculatores Turcicos adorti, cæſis non paucis, univerſos in fugam egere, capto etiam nobili Baſſa, qui Sultanum in Hungariam ſuperiorem, ac Tranſylvaniam iter dirigere, eoque fine equitatum jamjam Tibiſcum trajeciſſe, peditatum vero cis Zentæ littus caſtra vallo, foſſisque munita tenere, ſignificabat: Ergo Eugenius hoſtem, priusquam integer exercitus flumen ſuperaſſet, aggre-

aggredi ſtatuit, dum vero aciem ordinat, acceptis a Cæſare literis prælium conſerere prohibetur. Verum Eugenius rem ad eam jamjam neceſſitatem veniſſe conſiderans, ut ſine internecinæ cladis periculo, ſuique honoris jactura exercitum reducere haud poſſet, copias ſuas dubio, honorifico tamen certamine ab interitu liberare, quam propudioſa fuga certæ ignominiæ exponere, conſultius cenſuit: quapropter ſuppreſſo Cæſaris mandato hoſtium caſtra adoriri ſtatuit, atque ad primum vallum intra tormenti jactum progreſſus, quasdam Turcarum phalanges jamjam Tibiſci pontem tranſire obſervat. Igitur haud tardandum ratus, die undecima Septembris dato mox ſigno in bis mille Equites Turcicos, qui ex caſtris eruperant, impetum urget, eosque in præcipitem fugam agit: detonant hoſtes ex omni machinarum genere in Cæſareos infinitam pene globorum vim; nec tamen inde territus Princeps, Rabutino Comiti negotium dat, ut adductis aliquot tormentis agmen ſuum nulla mora in dimidium circulum extenderet, omnique ex parte hoſtium caſtra verberaret: ſexta erat poſt meridiem hora, qua certamine ad lævum cornu inchoato, partibus mox omnibus utrinque pugnantium ſtudia incaleſce-

Sæc. XVII. A. C. 1697.

Sæc. XVII A.C. 1697.

bant, & quidem barbari valla ſua egregie tuentes, multiplici clade tranſcendere nitentium fortitudinem plectebant, unde Cæſarei, qui in lævo cornu erant, Turcarum tormentis vehementius impetiti ac paſſim cæſi, laxabant ordines, & vix non in fugam averti cæperant. Eugenius ad omnes caſus provide intentus, territos hortari, prælium, quod jam elanguerat, ſolus accendere, confirmatisque tandem animis ſuas legiones rurſus in hoſtem ire jubet, interim Starenbergius pontem acriter verberat, ſelectisque cohortibus denſos inter telorum glandiumque imbres in terga barbarorum evadit, admotisque grandioribus machinis, viam ſibi intima in caſtra aperit: Tum vero Cæſarei mira vincendi aviditate impulſi tam ferociter in hoſtem incurrunt, ut dextrum barbarorum cornu ſeſe ad ſiniſtrum reciperet, aciemque univerſam turbaret: quo animadverſo noſtri eo ardentius, quaſi in hoſtem ubique jam profligatum, irruunt, certant inter ſe, quis prior ſuperati valli decus ac gloriam referret, equites religatis inter ſe equis peditum munia, etiam injuſſi obeunt, ocreisque, armis, & lorica graves deſiliunt in foſſas, per aperta aggerum ſpatia cædendo penetrant, vallumque altiſſimum juxta & muni-

munitiſſimum, ſociorum brachiis tergisque innixi, & cadaverum cumulis, aliisque adminiculis adjuti tranſcendunt. Ingens hæc alacritas, vincendi fiducia, ac generoſa animorum concitatio extremos etiam barbarorum conatus eluſit: Præ ceteris Eugenius omnis periculi, & maxime multitudinis contemptor mira ſedulitate cunctos ordines obeundo, ſtimulandoque, pugnantium animos accendit, nutantes confirmat, eosque ad prælium reducit, ac ipſemet reſiſtentium adverſa ora gladio transfigit, & fugientium terga impetit. Tandem certamine ad integram horam protracto, vallum utrumque & ſepimentum currule uno impetu ſuperatur: jamque non pugna ſed cædes erat, ipſe Vezirius inter primos unacum Baſſarum præcipuis occubuit, ceteræ vero legiones arctius compreſſæ, obſtructoque pontis exitu confertim undique circumfuſæ mutuo corporum impulſu ſibimetipſis pugnandi facultatem ademerunt; unde eques pedesque confuſi, ac nec progredi nec regredi valentes, certique excidii terrore pene exanimes continenti cæde, ac horribili laniena conſumpti ſunt. Quis ducum, agminumque ſtragem multiplicem, devictorum fugam, ſauciorum gemitus atque ululatus aut animo aſſe-

Sæc. XVII. A. C. 1697.

Sæc. XVII. A. C. 1697.

qui queat aut oratione complecti? Propemodum Ottomanicas unius sæculi calamitates in unum illum diem novercans fortuna cumulasse videbatur: præterquam enim, quod eodem anno Turcarum classis a Venetis in fugam acta fuisset, & Rabutinus arcem Vipalankam evertisset, etiam in Zentæ castris hodie natabat barbaro sanguine miles Germanus, ipsaque cædendi lassitudine ferocior, nec pretio mortem redimere paratis pepercit: Paucis beneficii loco erat captivitas, & nonnisi illi, quibus vel cadaverum cumulus, aut pontis tabulata receptaculum indulserant, victoris gladios evasere: Haud paulo plures Tibisci undis, quam militis ferro periere, ac medius prope alveus cadaverum cumulis constratus, calcantibus pene pervius erat, primumque decima noctis hora cædendi finem imposuit: Igitur miles Eugenii Principis jussu ex hostico vallo evocatus, penes fluminis ripam quieti indulsit, alii vero pontem transire jussi, quamplurima cadavera, hominem vero vivum reperere nullum: ipse etiam Sultanus trium non amplius millium, suique Equitatus comitatu Temesia Belgradum fuga citatissima evolavit, quem tamen Kökelspergius cum suis Hussaris insecutus, palantes, sparsosque multos neci dedit. Cæsa

sunt

Sæc. XVII. A. C. 1697.

sunt in acie Turcarum viginti millia, capti ter mille, præter centum belli tormenta, ærarium bellicum, tentoria pene innumera, quindecim boum, sex camelorum, & septem equorum millia, & novies mille currus annona, belli apparatu, ferreisque catenis, quibus devictos Christianos in captivitatem abstrahere meditabantur, onusti: Ast ex parte Cæsareorum nonnisi mille quingenti septuaginta octo saucii fuere; quadringenti omnino septuaginta tres ex peditibus desiderati sunt, equitum centum & quadraginta interfecti. Tantulo impendio tam ingens ac glorioſa stetit victoria, quæ tamen Eugenii fortitudinem vincendique animum nondum satiabat, quapropter die sexta Octobris in Bosniæ Regnum irrupit, expugnatisque Doboia, Magloyo, & Schebzia arcibus Kiajam Bassam, qui resistere ausus est, fudit, fugavitque, ac demum trajecto Bosna fluvio Serajam urbem, eoquod cives Tribunum eo ablegatum globo petiissent, militum deprædationi reliquit, demum victor in Hungariam, ac inde Viennam reversus est, ubi tamen a Caprara, Comite Kinschio, aliisque suæ gloriæ æmulis apud Cæsarem temeritatis, ac inobedientiæ insimulatus, velut læsæ Majestatis reus gladium suum tradere

Sæc. XVII. A. C. 1697.

jubebatur, Vienna ſine Cæſaris venia excedere prohibitus: Eugenius vero inde haud commotus Schlickio Comiti, qui hæc Cæſaris mandata exequi juſſus erat, intrepide reſpondit: *En tibi cedo gladium barbaro ſanguine adhuc fumantem, non illum repetam, niſi quando contra Cæſaris hoſtes eum ſtringere licebit*: cum autem ea res ad populi ſeditionem ſpectare videretur, & Cæſar veriora edoctus eſſet, Eugenium tenero affectu amplexatus, eidem, quicquid in bello bene viſum fuerit, deinceps tentandi plenam conceſſit facultatem.

§. XLVI.

Jacobus Franſonus Cardinalis fatis functus.

Eggs Purp. doct. ſuppl. t. 4. p. 593. Mercur. hiſt. Palat. faſt. Card.

Exeunte hoc anno ex Purpuratis deceſſit Jacobus Franſonus Genuenſis Patritius, qui jactis optimarum literarum & virtutum fundamentis, anno ætatis ſuæ decimo ſexto ſeſe vitæ Eccleſiaſticæ, invitis licet parentibus, devovit, ac propterea jurisprudentiæ, & Theologiæ ſedulam operam per aliquot annos Bononiæ navavit: inde vero Genuam reverſus, ac ibidem utriusque facultatis laurea decoratus, Romam ſe contulit, ubi ſuffragantibus propriis meritis ab Urbano VIII. utriusque,

que, ut vocant, Signaturæ Referendarius, Præses Cameræ Apostolicæ, ejusdemque Cameræ Clericus renuntiabatur: crescente autem fidei suæ, doctrinæ, sinceritatis, prudentiæ ac industriæ fama ab Innocentio X. in difficillimis Ecclesiæ urbisque negotiis adhibitus, demum ob singularem rerum gerendarum dexteritatem Thesaurarius Generalis, ac Ecclesiasticæ militiæ Præfectus creatus est. Destinaverat eidem in virtutis præmium Pontifex Romanam Purpuram, Ferrariensem Episcopatum, & pinguissimos reditus, quæ tamen omnia Franzonus majori studio ac constantia deprecatus est, quam alii concupiscere soleant. Mortuo autem Innocentio Papa ab Alexandro VII. sæpissime in rebus summe arduis in consilium vocatus, tandem Purpuratorum Senatui adscriptus est, Ferrariensi legatione honoratus, qua non sine immensa laude defunctus, inde Romam reversus, Camertem Ecclesiam Episcopus regendam suscepit, & non modo sacras ædes sed præcipue morum & Ecclesiæ disciplinam sermone, opere & exemplo restauravit, ac pluribus sacris cætibus annumeratus, tandem Purpuram Romanam, quam annis prope quadraginta virtutibus meritisque exornaverat, unacum vita die decima nona Decembris Romæ

Sæc. XVII. A.C. 1697.

Sæc. XVII. A. C. 1697. Romæ exuit, annos natus octoginta quinque.

§. XLVII.

Quinque Præsules ab Innocentio XII. Papa Purpuratorum Collegio adscripti.

Pluribus Cardinalibus intra biennium vita functis Innocentius XII. Pontifex Maximus hoc anno die vigesima secunda Julii quinque Præsules scientia, ac dignitate claros ad diversorum Principum preces Romana decoravit Purpura: Hos inter primus erat Ludovicus de Susa patria Lusitanus, ibidemque Archiepiscopus. II. Georgius Cornarus Venetus Rhodiensis Archipræsul, Apostolicus apud Lusitaniæ Regem Nuntius, ac postea Patavinus Episcopus Presbyter Cardinalis tit. SS. Duodecim Apostolorum. III. Petrus de Cambout de Coislin, Aurelianensis Episcopus natione Gallus, Presbyter Cardinalis tit. S. Trinitatis in Monte Pincio. IV. Fabritius Paulutius, Forojulienſis, quem tamen adhuc in pectore servatum, Innocentius primum sequenti anno promulgaverat. V. Vincentius Grimani, Venetus, Lucediensis Abbas Cardinalis Diaconus tit. S. Eustachii. His alii adjiciunt Alphonsum

sum de Aquillar de Cordua Pro - Re- Sæc. XVII.
gem Sardiniæ, qui ab Innocentio XII. A.C. 1697.
in supremum Hispaniæ Inquisitorem electus, biennio post nonnisi quadraginta sex annos natus decessit, quin adhuc consuetum electionis suæ diploma a summo Pontifice accepisset.

§. XLVIII.

Quædam Sacrarum Congregationum decisiones.

Hoc item anno plura decreta, quæ in Sacris Romanis Congregationibus edita fuere, occurrunt, & quidem primo die vigesima Januarii Sacra Episcoporum Congregatio censuit, Claves Sacrarum Reliquiarum, quæ in Ecclesiis Regularium asservantur, non relinquendas esse apud sæculares, licet sint Domini Capellarum, in quibus hæ custodiuntur: ejusdem vero Mensis die vigesima sexta Sacra Concilii Congregatio decidit, quod si accedente Episcopo ad Exemptorum Ecclesias pro celebranda Missa Pontificali, nollent exempti cum obsequiis solitis juxta præscriptum decretorum Sacræ Congregationis Rituum, & Apostolicorum, recipere, & servire, ac juxta solitum de cera & supellectilibus providere, vel ei Baldachinum erigere, tunc ratione con-

Decis. S. Congr. Rit. Episc. Rotæ &c.

Sæc. XVII. A. C. 1697.

contemptus dignitatis Epiſcopalis ad propulſandam publicam injuriam, & per modum defenſionis extra judicialiter, poſſit illico, absque alia monitione, Interdictum Eccleſiæ indicere, & denunciare.

Declaratum quoque die decima ſexta Martii, ab Epiſcopis eſſe curandum, ut Clerici & præſertim ſacerdotes abſtineant ab inſerviendo laicis in officiis vilibus domus, nec fœminis ancillentur, aut obſequia præſtent viliora: confirmavit quoque S. Rotæ Congregatio die vigeſima ſecunda præfati Menſis decretum, quo deciſum, quod Crux unice in ſupplicationibus, ſit ſignum demonſtrativum unionis Collegiorum & Capitulorum. Pariter die vigeſima ſeptima Aprilis deciſum legitur, quod Evangelium pro ſolemni Palmarum Benedictione canendum ſit in cornu Epiſtolæ ab illo, qui celebrat absque Diacono & Subdiacono: in vigilia tamen Epiphaniæ dici non poſſint Miſſæ privatæ Defunctorum: officium autem ſemel in Hebdomada conceſſum recitari valeat die Sabbati, ſi tota Hebdomada ſit impedita, & tunc omittendum ſit officium B. V. in Sabbato. Sacra item Rituum Congregatio die trigeſima prima Auguſti declaravit, quod in oratione: *Non intres in judicium cum ſervo*

ſervo tuo, etſi defunctus ſit mulier, loco *ſervo*, non ponatur, *famula*. Sæc. XVII. A. C. 1697.

Denique S. Concilii Congregatio plura circa Miſſarum reductionem edidit decreta, quæ Innocentius XII. die vigeſima tertia Decembris confirmavit, & quidem I. declaravit, hanc reductionem ab Epiſcopis ſine facultate Sedis Apoſtolicæ fieri non poſſe. II. Tot celebrandas eſſe Miſſas, quot a dante eleemoſynam præſcribuntur, licet ſtipendium ſit incongruum, ſublatis omnibus privilegiis contrariis. III. Non licere retenta ſtipendii parte curare Miſſas celebrari pro minore ſtipendio, & ne quidem pro uſu Eccleſiæ, ſi aliunde ſe ſuſtentare valent. IV. Si pecuniæ aut bona mobilia pro Miſſis perpetuis accipiantur, ea illico eſſe inveſtienda in bonis immobilibus fructiferis cum mentione annexi oneris. V. Nova Miſſarum onera perpetua a ſæcularibus ſine licentia Epiſcopi, nec a Regularibus absque licentia Generalis vel Provincialis non eſſe recipienda, nec eſſe acceptanda ſtipendia pro Miſſis, niſi brevi celebrari poſſint. Inſuper eadem S. Congregatio circa Regularium Conventus ſtatuit, ut in illis non ſint plures Religioſi, quam ferant reditus, hinc eorum numerus unacum reditibus ſit conſignandus S. Congregationi, nec poſtea

Sæc. XVII. A. C. 1697.

postea auctis etiam reditibus, plures Religiosi sint assumendi: nec recipiendi dein Conventus, in quibus non duodecim saltem Religiosi congrue sustentari queant: Idem etiam Pontifex die decima nona Augusti decreto publico Romæ Theatrum publicum *ad Nonæ*, ut vocant, *Turrim* spectaculorum usu interdixit, atque Orchestram & Odea destrui jussit, aliquot tamen scutorum millium pretio compensavit damna, quæ emergebant ei, cujus expensis Theatrum erigebatur.

§. XLIX.

Principum atque Illustrium decessus.

Voltair. hist, Carl. XII. l. 1. p. 13.

Inter Principes hoc anno defunctos prior morti in prædam cessit Carolus XI. Sueciæ Rex, qui Majorum exemplo alienis se bellis implicare assuetus, pacis mediatorem Riswici agere a Principibus rogatus, vix cæpto conciliandæ Europæ negotio die decima quinta Aprilis Holmiæ decessit anno ætatis quadragesimo secundo, Regiminis vero trigesimo septimo. Successorem habuit Filium suum Carolum XII. Principem variantis fortunæ ludibrium. Obiit etiam Joannes Eucharius Schenck Comes Castellensis Episcopus Eichstadianus. Die autem nona Decem-

Decembris Maria Eleonora Auſtriaca olim Poloniæ Regis, poſtea Caroli V. Lotharingiæ Ducis Conjux, annos nata quadraginta quinque Viennæ Auſtriæ biduo ante, quam Cæſar paci Riswicenſi ſubſcripſerat, vivis erepta eſt, proin ad Ducatum ſuum, a quo per viginti ſeptem annos a Gallis excluſa fuit, reverti haud poterat. Obiere etiam die tertia Junii Joannes Adolphus Saxo - Weiſenfeldenſis Princeps, & die undecima Novembris Ludovica Chriſtina de Stollberg Landgravia Haſſo - Darmſtadiana. Sæc. XVII. A. C. 1697.

§. L.

Quorumdam Catholicorum Scriptorum lucubrationes & fata.

Inter Scriptores Catholicos, quorum memoria ob eorum lucubrationes literatis adhucdum grata exiſtit, celebriores ſunt. I. Joſephus Antelmus Foro - Julienſis Canonicus, qui diſſertationem edidit Hiſtorico - Chronologicam, Criticam, prophanam & Sacram de prima fundatione Eccleſiæ Foro-Julienſis, compoſuit etiam Hiſtoriam valde eruditam ejusdem Eccleſiæ unacum epiſtola ad P. Pagium de vita & morte S. Martini Turonenſis, & Bricii Succeſſoris ſui: Obiit Apamiis nonniſi

Sæc. XVII. A. C. 1697.

quadraginta annos natus. II. Franciscus Petronius, scripsit arborem decoram SS. Joachim & Annæ, & nonnulla alia. III. Ludovicus Bertha Ord. FF. Præd. elucubravit librum, cui titulus: *Origo plagarum Christianum Orbem devastantium*, edidit etiam suum Medicum Christianum detegentem & sanantem has plagas, brevem viam salutis per opera charitatis, & misericordem sponsum in hoc corrupto sæculo punire coactum, præter vitam S. Ludovici. IV. Modestus a S. Joanne Evangelista Carmelita Discalceatus, scripsit sacras Panegyres, tractatum centuplum agri cælestis, Elucidationem literalem, & anagogicum in Threnos Jeremiæ Tom. IV. & vitam S. Joannis a Cruce præter Epistolas S. Theresiæ.

§. LI.

Quidam Scriptores ex Acatholicis hoc anno defuncti, eorum opera.

Paucos ex Protestantibus, qui hoc anno obiere, subjungere lubet, & quidem primo decessit Joannes Adam Osiander, qui posteris reliquit disputationes de Mysterio Trinitatis, Deum in lumine naturæ repræsentatum, & in lumine gloriæ delineatum, chronotaxin Historicam Patriarcharum, Regum, Pon-

Pontificum, Conciliorum, Patrum, hæreticorum &c. Commentaria in quosdam S. Scripturæ libros, tractatum de Jubilæo hebræorum, gentium & Christianorum, specimen Jansenismi, typum legis naturalis, & moralis, Dispositiones in Catechismum Lutheri & Wirtenbergensem, præter alia quamplurima. II. Joannes Ludovicus Fabritius scripsit tractatum de viis Dei, de symbolica Dei visione, de ludis scænicis, de fide infantulorum, de Baptismo infantibus heterodoxorum conferendo, de fastis, de Enthusiasmo, & de Theologia. III. Joannes Georgius Klette edidit dissertationem de Eucharistia, & Missa Pontificia, & de conjugio Christi cum fidelibus. Sæc. XVII. A. C. 1698.

§. LII.

Problema in Archiepiscopi Parisiensis contumeliam divulgatum.

Anno hujus sæculi nonagesimo octavo non levis molestia inferebatur Noallio Parisiensi Archiepiscopo; celebrabatur equidem a Jansenii fautoribus velut validus eorum fautor, præcipue postquam anno Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto, cum adhuc esset Catalaunensis Episcopus, *reflexiones morales supra novum Testamentum* sibi *Mem. Chron. & Dogm.*

Sæc. XVII. A. C. 1698.

a Quesnello nuncupatas approbaſſet, edito deſuper, ut vocant, *documento*, in quo Eccleſiaſticos ad earum lectionem incitaturus, teſtabatur, „Autho„rem, quicquid in Sanctis Patribus ſo„lidum, ac pium reperiretur, collegiſ„ſe, ac inde ſuccum unctione, & il„luſtratione uberrimum extraxiſſe, diffi„cultates exactiſſime enodaſſe, ac ſub„limiſſimas Religionis veritates mira ſo„liditate, ac ſancti Spiritus dulcedine „emolliendis etiam ſaxeis cordibus „aptiſſima pertractaſſe, cunctisque „ad inſtructionem ſimul & ad ædifica„tionem quamplurima propinaſſe: proin „Eccleſiaſticos pro inſtituendo grege „ſibi commiſſo doctrinam, necnon Verbi „Divini panem, quo populos nutrirent, „jam fractum, & ad diſpenſandum „idoneum in hoc libro reperturos eſſe, „atque in uno libro integram conſecu„turos Bibliothecam, ex qua eminen„tem Jeſu Chriſti doctrinam ipſimet „haurire, aliisque communicare poſ„ſent.„ Tam grandia laudum encomia de Quesnelli reflexionibus liberalius effuſa adeo mirifice demulcebant Janſeniſtarum aures, ut hunc Epiſcopum ſuæ ſectæ aſſeclam, vel ſaltem patronum crederent: Quamprimum vero Noallius in Pariſienſem Archiepiſcopum renuntiatus, ſuam Paſtoralem inſtructio-

Sæc. XVII. A. C. 1698.

ſtructionem ediderat, ſimulque Cardinalis Sfondrati librum Romæ denuntiaverat, & anno ſequenti *expoſitionem fidei circa gratiam* tanquam hæreticam anathemate percuſſerat, Moliniſtarum ſimul & Janſeniſtarum calamos & odium in ſe concitavit. Prodiit hoc anno ex horum officina quidam libellus ſub hoc titulo: *Problema Eccleſiaſticum propoſitum Abbati Boileau de Archiepiſcopo Pariſienſi, cui credendum ſit, an Ludovico Antonio Noallio Catalaunenſi Epiſcopo Anno* 1695. *an vero Ludovico Antonio Noaillio Pariſienſi Archiepiſcopo Anno* 1696. In hoc libello Author præprimis ſupponebat eandem doctrinam contineri in Quesnelli reflexionibus a Noallio approbatis, ac quæ habetur *in expoſitione fidei* ab eodem damnata, nullumque diſcrimen reperiri, niſi quod gratiæ dogmata in expoſitione ad normam Catechismi per interrogata & reſponſa, in reflexionibus vero ad modum ſacrarum conſiderationum proponantur: id demonſtraturus Auctor parallelam inter præfatos duos libros, eorumque doctrinam duxit, afferens, Epiſcopum cum Archiepiſcopo combinari haud poſſe, quatenus eandem utriusque libri doctrinam ſimul approbavit condemnavitque: cum autem hoc problema in grave tanti Præſulis ob pietatem atque eruditionem celebratiſſimi probrum cederet,

Sæc. XVII. A. C. 1698.

ipsus tamen in propria causa judex esse renueret, Parlamentum Archiepiscopi patrocinium in se suscepit, ac præprimis d'Aguesseautus tum generalis Advocatus in publico Senatu perorans, hoc problema tanquam libellum famosum in suo ipso titulo injurias præseferentem depinxit, ac non sine magna verborum energia, orisque eloquentia exposuit, quod Author non modo fidem & religionem, sed ipsam quoque rationem & Præsulis sapientiam in dubium vocarit, eum nunc hæresis, nunc variationis insimulans, tanquam juratum Jansenistarum fautorem, ac incertæ, & dubiæ doctrinæ Præsulem, sibimetipsi repugnantem, hæreticum dum approbat, temerarium dum condemnat, & æque in semita veritatis, quam erroris cespitantem: His advocatus subjunxit: „Reverentia tanto „Præsuli adeo indigne habito debita „justam quidem excitat indignationem, „acrius tamen stimulat offensio po„puli, per me postulantis, ut adeo ef„frænis reprimeretur licentia, qua pas„sim scripta Episcopali dignitati inju„ria, seditiosi libelli ad dispergendum „Pastorem & gregem tendentes, illius „famam lacerantes, hujus animos ad „rebellionem, & disrumpenda submis„sionis, obedientiæ & fiduciæ vincula, „quæ

„quæ tamen ſolidiſſima ſunt poteſtatis „Eccleſiaſticæ fulcra, ſollicitantes in „vulgus ſparguntur, & in occluſis fa„ſciculis venenata pocula diſtribuuntur: „Ignorantur quidem Authores hujus „iniquitatis, ſufficit autem dixiſſe, quod „talis tantusque Præſul tam atrocis ca„lumniæ victima non ab aliis, quam „Eccleſiæ hoſtibus impeti potuerit &c.„ Hæc Advocati oratio tantum valuit in Senatorum animis, ut die decima Januarii anni ſequentis communi Parlamenti ſuffragio ſententia pronuntiaretur, vi cujus infamis hic libellus ante Pariſienſis Eccleſiæ fores dilaceratus, manu carnificis igni addiceretur: Hæc porro ſententia Pariſiis quinto poſt die executioni data eſt, & ſummus Pontifex die ſecunda Junii anno Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo Romæ hunc libellum proſcripſit. Poſtea accuratius inquiſitum in problematis Authorem, ac præprimis Janſenii fautores, ut Jeſuitas Archiepiſcopo adhuc magis exoſos redderent, hos in ſuſpicionem trahebant, & nominatim Patrem Gabrielem Daniel velut Authorem inſimulabant: cum autem hic datis ad Noallium literis, jurejurando affirmaſſet, ſe neque *reflexiones*, nec *expoſitionem* unquam legiſſe, fides ei eſt habita: paulopoſt tamen Pater Petrus Sovatre Jeſuita

Sæc. XVII. A.C. 1698.

Journal de l'Abbé d'Orſan. t. 1. p. 2.

Sæc. XVII. A. C. 1698

fuita in Belgio, eoquod hoc problema Bruxellis prælo ſubjici curaſſet, odioſæ hujus prolis parens creditus eſt: propterea a ſuis cuſtodiæ dabatur, minitans, niſi quantocius liberaretur, ſe palam facturum, quod P. Doucinus hoc problema fabricarit: Utut ſit, haud negari poteſt, quod Pater Gerberonius hunc libellum mirifice commendans, illum novis Auguſtini Diſcipulis attribuerit.

§. LIII.

Catholici in Anglia dire vexati.

Gottfrid Hiſt. Chron. cont. l. 1. pag. 556.

Poſtquam Puritani in Ryswicenſis pacis transactione Jacobi Regis cauſſam ab ipſis Gallis neglectam, Guilielmum vero Auriacum pro legitimo Rege agnitum fuiſſe compererant, omni metu ſoluti totam ſuam rabiem in Jacobi fautores, ceterosque Catholicos effuderunt, ac præprimis publico proclamate eorum manifeſtarunt nomina, quos ob confictum læſæ Majeſtatis crimen captos detinere, vel de fide Catholica ſuſpectos e Regno ejicere decreviſſent: inſuper alio decreto præceptum, ut omnes vel Catholici, vel de hac religione ſuſpecti, necnon alii, quibus hæreditas quædam ante decimum octavum ætatis annum obtigit, juramenta in fidei odium excogitata præ-

præstarent, secus e Regno eliminandi, ac hæreditate sua privandi: omnes vero Sacerdotes Catholici mox Regno expelli jubebantur, quapropter vi hujus decreti hoc anno plusquam septingenti, atque inter eos Clancartus & Alesburgus Comites, necnon Montgomerius Eques & biennio post centum Jesuitæ, centum quinquaginta Franciscani, aliique Religiosi ac Laici religione Catholici e Regno Angliæ ejecti fuerunt, in Scotia vero omnes Catholici dignitatibus, bonisque exuti, nisi Protestantium sectæ nomen darent. Præterea ei, qui ejusmodi Sacerdotem detegeret, centum sterlingicarum librarum pretium constituebatur, Sacerdotibus autem deprehensis perpetui carceris pœna indicebatur, ac denique proclamabantur perduellionis rei, qui sine venia ex Galliis in Angliam trajicerent. Hujus edicti præcipuus Author erat Burnetus, Præco Catholicis infensissimus, qui, quamvis tolerantiam plenis buccis creparet, palam tamen propugnare audebat, quod Princeps illos, qui religionem cum quiete & tranquillitate publica haud compatibilem profitentur, e Regno suo ejicere possit, imo & teneatur, certum autem esset, quod *quilibet Papista semper sit noxius subditus Principis Protestantici.* Sæc. XVII. A. C. 1698.

Sæc. XVII. A. C. 1698.

Verum Burnetus minime attendisse videtur, quod falso suo dogmate Principibus Catholicis Protestantes ejiciendi jus tribuerit, cum hi pari imo fortiore jure dicere possent, quod *Protestantium quilibet semper sit noxius Principis Catholici subditus:* non religio Catholica, sed sectæ recens inventæ, atque inde exortus eas tuendi, obsistentibus contradicendi, illosque sub fanatico novæ Religionis Zelo inique vexandi, armisque oppugnandi pruritus tot tumultus, bella, & seditiones concitant; nec enim fidei nostræ dogmata sunt cum quiete publica incompatibilia, sed ferme semper atroces calumniæ & commenta pro veritatibus divendita Protestantibus Catholicos vexandi obtentum præbuere: Nec hac tamen severitate in privatos contenti erant Puritani, sed insuper die octava Julii Principum Catholicorum Oratoribus inhibuere, ne deinceps Anglos, Scotos vel Hibernos subditos, aut Sacerdotes Catholicos ad privata Religionis Sacra in eorum Sacellis admitterent. Postquam vero Ludovicus XIV. Franciæ Rex Catholicos in Anglia tam inique oppressos compererat, vicissim Angli Regis Oratoribus, qui pro Hugonotis e Francia expulsis deprecabantur, ruditer respondit, hos Calvinistas esse Gallici Regis sub-

subditos, proin sine ullius exteri Principis injuria de iis decernendi jus sibi competere, & Angliæ Regem idem jus in suo Regno sæpius & non ita pridem exercuisse, dum omnes Catholicos Londino excedere jussisset, quin pro iis Francia intercessisset, quod tamen fortiore jure facere potuisset, eoquod Angli erga suos subditos Catholicos majore moderatione uti tenerentur, quam Principes Catholici erga suos subditos Protestantes, cum Angli Catholici nunquam veterem Regni religionem ejurare voluerint, e contrario autem Protestantes novam sectam in Catholicorum Regna invexerint: minor aut esset inobedientia eorum, qui unacum suo Principe religionem mutare recusarent, quam qui eo invito novam amplecterentur.

Sæc. XVII. A. C. 1698.

§. LIV.

Legatio Moscovitica ad Papam.

Hoc item anno Petrus Magnus Moscoviæ Dux raro hujus gentis exemplo exteras Europæ Provincias lustrare constituit, ac primo in Angliam, inde in Saxoniam, ac postea Viennam profectus, ubique summis honorum testificationibus excipiebatur; cum autem ex Hungaria Venetias, ac inde Ro-

Hist. cont. Chron. l. 12. pag. 525. Theatr. Europ. t. 15. Briet Annal. cont. pag. 997.

Sæc. XVII. A. C. 1698

Romam contendere parabat, accepto nuntio, quod Sophia ejus Soror a Clero ſchismatico incitata populos objecto Religionis immutandæ periculo ad ſeditionem commoviſſet, mox converſo in Poloniam itinere ad Regiam ſuam die quarta Septembris reverſus eſt: Equidem ex plurium populorum moribus, ſcientiis & artibus copioſum apparatum ad erudiendam ſuam Nationem ſecum in patriam retulit, prius tamen publicam tranquillitatem revocaturus, uſitata inter haſce gentes crudelitate intra paucas hebdomadas ex rebellibus Regni Proceribus, aliisque complicibus plusquam quater mille vel laqueo, vel carnificis ferro, ac rota, aut palo per ilia trajecto interfici juſſit. Quamvis autem ob inteſtinos hoſce motus ipſemet Romam venire præpediretur, præmiſerat tamen cum numeroſo comitatu Boriſium Petrowizium Czeremetem, qui literis Leopoldi Cæſaris, Ducisque ſui munitus, habita alloquii copia die ſeptima Aprilis Innocentii XII. ſummi Pontificis pedes deoſculatus eſt, ſimulque expoſuit; quod ipſemet Dux proxime adventurus, totaque ejus Natio ſeſe denuo cum Eccleſia Romana uniendi deſiderium ingens præſeferret: omni quidem honore, pompa ac decore Pontifex hunc Legatum excipi, ſplen-

splendidisque ac opulentis muneribus augeri voluit, promissam tamen unionem, forte quod nimis comperta esset Græca fides, haud magni facere visus est, nequidem in suo responso Ducem *Czari* titulo honorans, eoquod hoc nomen idem ac *Cæsarem* significet, latina autem Ecclesia præter Romanum, haud alium agnoscat Cæsarem. Sæc. XVII. A. C. 1698.

§. LV.

Innocentii XII. Pontificis contentio cum Leopoldo Cæsare ob feudum Farnesianum.

Jam anno priori die undecima Junii Leopoldi Cæsaris Legatus Romæ edictum publice affigi jussit, vi cujus omnes Imperii Vasalli in Italia degentes ad investituram vocabantur; vicissim vero die decima septima ejusdem Mensis Pontifex indicta læsæ Majestatis pœna, cunctis Pontificias ditiones incolentibus inhibuit, ne quicquam in jurisdictionis Apostolicæ præjudicium tentarent & insuper querelis apud Cæsarem effusis diversorum Principum opem implorabat, ac Principatum Albanensem tum venalem, quem Sabellius Princeps feudi Imperalis nomine possederat, quater millium scutorum pretio emit, habitoque Patrum Senatu Eccle- *Theatr. Europ. t. 15. pag. 503.*

Sæc. XVII. A. C. 1698.

Ecclesiæ Romanæ ditionibus perpetuo jure aggregabat: Vehementer reclamabat Cæsaris Legatus, aliorum tamen Principum opera effectum, ut hæc contentio facile componeretur, & Cæsaris Orator, qui Leopoldi Imperatoris literas nuperæ Zentensis victoriæ testes attulerat, a summo Pontifice perbenigne exciperetur: recruduit tamen eadem lis, dum idem Legatus Augustinum Chisium Principem per Cæsareum, ut vocant, *monitorium*, ob Principatum Farnesianum clientelare obsequium præstare jusserat: eo enim Pontificis interdictum opponente, Innocentius septendecim Cardinalium Congregationem erexit, in qua hunc Principatum Imperio haud obnoxium, proin Chisium Cæsareo mandato parere obstrictum non esse decidebatur: Hanc sententiam Papæ Nuntius Viennæ agens, Leopoldo significabat, cui tamen responsum, Cæsarem non minus in tuendis Imperii quam Pontificem in conservandis Ecclesiæ juribus sollicitum fore. Hoc responso Romam delato, Cæsaris Legatus Pontifici declarabat, præterfluxo bimestris termino Principem suo feudo excidisse, illudque a Cæsare alteri concessum iri, Principes autem Burgesium, Livium Odescalcum, Colonnam, & Prænestinum ob fidu-

fiduciaria sua prædia ad præstandum obsequium teneri Tandem post crebras utrinque altercationes, utriusque partis juribus nec plene satisfactum, nec valde derogatum est. Ceterum nullo ævo magis pacifica, felix, ac dives erat Ecclesia, quam dum ejus Antistites non gladium, sed nonnisi claves ad Christi Regnum tenebant, nec tanta hostium erat potentia, ut dum Ecclesia ab inferni portis tuta est, sui Capitis auctoritatem incolumitatemque sartam servandi necessitas Regnum de hoc mundo deposceret. Sæc. XVII. A. C. 1698.

§. LVI.

Protestantium querelæ contra Electorem Palatinum.

Quamprimum Joannes Guilielmus Palatinus Rheni Comes atque Elector imperii sni clavum moderari cæperat, jamjam Protestantes eundem sub consueto oppressæ sectæ obtentu vexare aggrediebantur: præprimis vero ex iis petulantiores, ac quietis impatientes, quos *Mennonitas* vocant, jam anno hujus sæculi nonagesimo primo seditiosos motus concitarunt, eoquod ab Electore Palatino, cum Anabaptistarum errores in Imperio haud toleratos profiterentur, merito vel sectam ejurare, vel patria

Hist. cont. Chron. l. 12. & 13. Schyn. Hist. Menn. pag. 161. Jehring. Theol. Menn.

Sæc. XVII. A. C. 1698.

patria excedere jussi essent: cum autem in Imperii legibus nullum sectæ suæ patrocinium invenire possent, ad fraudes & fallacias conversi, sua dogmata a seditiosis Anabaptistis longe diversa esse jactarunt, ac sub hoc malitiæ velamento adversus Electorem Palatinum non modo fœderati Belgii Ordinum, sed & Guilielmi III. Angliæ Regis opem tertio post anno imploraruntur: Horum etiam votis secundaturus Rex die undecima Augusti ex castris Montis S. Andreæ ad Electorem has dedit literas: „Charitas, qua omnes Christianos complector, relatio„nesque, quæ mihi factæ sunt de in„juriis, quas quidam *Protestantes*, qui „*Mennonitæ* vocantur, in regione vestra „Juliacensi patiuntur, me cogit, ut pro „ipsis apud Celsitudinem vestram El. „intercedam: Placeat ergo Celsitudini „Vestræ El. accuratam, exactamque „notitiam comparare de violentiis con„tra illos peractis, certusque sum, „Celsitudinem Vestram El. iis maxime „commotum iri, considerata eorum in„nocentia; jussuramque, ut a pœnis „ipsis intentatis liberentur, & resti„tuantur in plenam facultatum, bono„rumque possessionem. Eo facilius ad „hanc interceſſionem adduci me passus „sum, propter asseverationes, quæ „mihi

„mihi semper factæ sunt de obedienti, Sæc. XVII.
„pacificoque spiritu horum, qui omni- A.C. 1698.
„modam subjectionem, & obedientiam
„Magistratui exhibent, & laboriosam,
„pacificamque vitam degunt, absque
„renitentia ad onera Reipublicæ, in
„qua habitant, contribuentes, eidem-
„que se utiles præbentes & industria,
„& labore. Harum ergo rerum in-
„tuitu hanc commendationem perso-
„narum, & rerum eorum non potui
„recusare; pro certo habens, Celsitu-
„dinem Vestram Electoralem eos sua
„protectione dignos judicaturam, illos-
„que argumentis inviolatæ fidei vobis
„debitæ demonstrationes vestræ beni-
„gnitatis & Clementiæ demerituros esse.
„Id quod quacunque alia occasione
„agnoscam, qua potero testari, quan-
„tum sim.„

Guilielmus REX.

Has Regis preces insuper fœderatarum Belgii Provinciarum Ordines tam potenter suffulciebant, ut Elector pejora veritus, armatisque precibus expugnatus hunc in modum Guilielmo Auriaco die vigesima quarta Aprilis anno hujus sæculi nonagesimo septimo rescriberet: „Quemadmodum Celsitudo
„sua Electoralis maxima observantia
„colit Majestatem suam Britannicam,

Sæc. XVII. A. C. 1698. „Dominosque Ordines Generales, ita „Celsitudo sua Electoralis rogatu illo„rum concedere voluit *Protestantibus „Mennonitis*, eorum subditis, utpote „qui (sicut Celsitudo sua Electoralis *certior facta est*) *non sequuntur, eosdem fidei articulos confessionesque veteris illius Monasterienſium Anabaptistarum sectæ*, „ut domicilia, resque immobiles in „agro Juliaco, & Eiffeldio venditæ ipsis „restituantur ab Emptoribus in eo statu, „quo ea invenerunt, & ut liceat ipsis „illa, quam optime possunt, vendere: „recipiente sua Celsitudine Electorali „emptoribus compensare pecuniam, „quam pro illis dederunt.„

„Celsitudo sua Electoralis insuper „concedit restitutionem, & redditio„nem Calendariorum, documentorum, „librorumque tam scriptorum, quam „excusorum, prætereaque jubet ipsis *restituere Chirographum, vel Syngraphum, quam coacti fuerunt subsignare*, cum li„bertate sine impedimento libere ne„gotiandi in terris suis, sicut alii sub„diti vicinorum, &c.„

Adeo gratanter has literas Guilielmus omnium sectarum, excepta religione Catholica, fautor egregius susceperat, ut mox ex Castris Cochlebergensibus die decima quarta Julii Electori grates rependeret, datis hisce lite-

literis: „Celsitudinis Vestræ Electora- Sæc. XVII.
„lis declarationem, rogatu nostro, Do- A. C. 1698.
„mino Baroni de Kynskii in solatium
„Protestantium Mennonitarum, die
„vigesima quarta Aprilis ultima elapsi
„factam, nobis gratam fuisse, acce-
„ptamque, non possumus hisce non
„testari; flagitamus insuper Celsitudi-
„nem Vestram Electoralem, uti pro
„Authoritate sua velit, ut declaratio
„super memorata effectum suum in om-
„nibus & singulis articulis sortiatur;
„quo nempe facta sit restitutio omnium,
„quæ amiserint, rerum, fortunarum,
„& fundorum, utque eorundem Men-
„nonitarum Creditoribus satisfiat: Quod
„cum nobis accidit gratissimum, tum
„Celsitudini Vestræ Electorali, qua pa-
„ria vicissim officia referre possumus,
„nullam prætermittemus occasionem
„&c. De cætero Celsitudinem Vestram
„Electoralem Dei Opt. Maximi tutelæ,
„sincero animi affectu commendamus.„

Ex hac conniventia Lutherani ac Calviniſtæ Palatini audaciores facti, ut in Palatinatu suas pariter sectas exterorum potentia firmarent, literas ad Electorem Brandeburgicum anno hujus sæculi nonagesimo tertio dederunt, questi, quod Clerici Gallorum dominatu freti in Palatinatu & Spanheimensi Comitatu varias Ecclesias, ejectis

Sæc. XVII. A. C. 1698. Prædicantibus, ac proventibus ærario addictis, eripuissent: Enimvero Brandeburgicus die vigesima secunda Februarii datis literis Electorem Palatinum, & Ludovicum Badensem Principem per suos Oratores rogavit, ut damna Protestantibus illata repararent: verum Elector missis vicissim literis, hasce querelas nonnisi falsis turbidorum quorumdam subditorum relationibus initi, Brandeburgico demonstrabat: Nec tamen propterea cessarunt Protestantium motus; quamvis enim Elector hoc anno die vigesima nona Octobris edicto Weinheimii promulgato Catholicis, Lutheranis & Calvinistis ubique liberum, communemque usum Ecclesiarum, Scholarum, campanarum &c. indulsisset, nihilominus hi *Corpus*, ut vocant, *Evangelicum* Ratisbonæ incitarunt, ut illud nova Religionis gravamina die decima octava Novembris contra Electorem Palatinum exponeret: Has querelas rursus per Bözelarium Brandeburgici Electoris Oratorem die vigesima nona Januarii anno Christi millesimo septingentesimo recoxerunt, pacem Westphalicam a Palatino infringi criminantes: Verum his responsum, Palatinum, si religionem Catholicam tueri studuisset, nonnisi Protestantium exempla, necnon eorum principium: *Cujus est*

eſt Regio, ejus & ſit religio, ſecutum eſſe, nec unquam permiſſurum, ut ex ſubditis ſuis quidam Dei, honoris, conſcientiæ ac officii ſui immemores jura Majeſtatica, hisque in Eccleſiæ & Politiæ rebus annexa reſtringere, ſuoque Principi leges præſcribere valerent, de cetero autem falſa eſſe omnia, quæ de Clero Catholico expoſuiſſent, & merito Palatinum ob imputatam conſcientiæ carnificinam ſibi ſatisfieri, poſtulare, nec eum, Deo atque univerſo Orbe teſtibus, quicquam paci Weſtphalicæ adverſum in Palatinatu circa Religionis negotium attentaſſe, e contrario autem Proteſtantes pacem Religioſam non minus quam Weſtphalicam ſiniſtris, detortisque interpretationibus depravare &c. Accepto hoc reſponſo Bözelarius nil promptum, quod opponeret, habebat, ac propterea Aula Palatina excedens, Sectariorum jura *proteſtando* ſibi reſervavit: Brandeburgicus vero Elector, ut vicem rependeret, in Halberſtadienſi Principatu, cunctisque ſuis ditionibus Catholicorum bona ac proventus conſcribi juſſit: Palatinus autem tandem Lutheranorum importunitate ac petulantia expugnatus, eis die quarta Novembris *Conſiſtorium*, in quo ſuæ ſectæ negotia pertractarent, erigere indulſit.

Sæc. XVII. A. C. 1698.

Sæc. XVII. A. C. 1698.

§. LVII.

Epistolæ gratulatoriæ Innocent. XII. Pontificis ad Franciæ & Poloniæ Reges.

Quamvis Innocentius XII. summus Pontifex non sine magno animi sui mærore intellexisset, in Siamensi Regno uberrimæ messis spem, penitus emarcuisse, Virosque Apostolicos inde expulsos, Bondicherium profugere compulsos esse, dolorem tamen nonnihil temperabant Augusti Poloniæ Regis literæ, quas Lobzovii anno priori exaratas Barberinus Cardinalis summo Pontifici tradiderat; in iis enim Rex significabat, „quod jam a pluribus an„nis sectam ejurare decreverit, tandem „vero in manibus Christiani Augusti „Jaurinensis Episcopi publice Wratisla„viæ fidem Catholicam professus sit, „haud dubius, quin sicut Angeli super „peccatore pœnitentiam agente lætan„tur, ita & Sanctitas sua non sine animi „lætitia perceptura sit, quod veritatem & fidem Catholicam coram ho„minibus confessam, etiam coram Deo „Patre, & Filio, ejusque Vicario con„fiteatur; placeat igitur Sanctitati suæ, „testimonium hujus veritatis reddere, „ac quæ hucusque clam de ejus con„ver-

„verſione inaudiit, prædicare ſuper „tecta:„ poſtea Rex Pontifici exponebat, quod quidem Polonicæ Reipublicæ Proceres hujus Regni coronam ejus impoſuiſſent capiti, illam vero acceptare differat, donec a ſua Sanctitate benedictionem recepiſſet, palamque feciſſet, ſe obſequioſiſſimum Sacræ Sedis Filium eſſe. Ad has literas Pontifex die decima octava Januarii reſcribens, Regem amplis elogiis honorabat, ac Baronem de Ge Poloni Regis Oratorem ſummis honoribus excepit, etiamſi Franciæ Orator contra Daviam Apoſtolicum in Polonia Nuntium acerbe queſtus eſſet, quod contra Contium Franciæ Principem novi Regis electionem immodico Zelo promoviſſet: Verum flocci habebantur hæ querelæ; certo enim Pontifici compertum erat, quod hic Nuntius duntaxat ſectæ ejurationem a Rege factam, atque a Jaurinenſi Epiſcopo ſubſcriptam ſuo quoque teſtimonio firmaſſet: Augebatur inſuper ſummi Pontificis lætitia ob Religionis cauſſam a Galliarum Rege in Ryswicenſi pace promotam; quocirca eidem gratulatorias reſcripſit literas, eidemque fidei Catholicæ propagationem ulterius impenſe commendavit: ut vero grati ſui animi teſtimonium redderet, ad Biſuntinum Epiſcopatum

Sæc. XVII. A. C. 1698.

Sæc. XVII. A. C. 1698.

nominandi jus, antea Capitulo indultum, Regi conceſſit, necnon Cardinalem Bullionium Romæ multis cumulavit Beneficiis. Cum autem Pontifici haud incompertum eſſet, quod Cardinalis Radziewiskius Regni Primas, ac nonnulli Procerum alienos a Friderici Auguſti Poloniæ Regis obſequio animos retinerent, Paulutium ſuum antea Coloniæ Nuntium ad hoc Regnum decrevit, haud pœnitendo ſelectu; hujus enim Viri opera & dexteritate effectum, ut poſt varias tractationes Lovitii habitas utrinque in has reconciliationis leges conveniretur. I. Regina, priusquam in Poloniam veniret, fidem Catholicam amplecteretur. II. Prædicantes Lutherani e Regiis caſtris expellerentur. III. Rex electionum jura & ſuffragiorum libertatem ſervaturum ſe, idonee caveret. IV. Expenſas in ſui electionem factas non repeteret, & nationis copiis reſiduum æs militare numeraret. V. Kaminieckum & Podoliam ſuis copiis Regno recuperare ſatageret. VI. Officia & beneficia duntaxat Catholicis Polonis concederet, non excluſis Nobilibus antea ſibi adverſis. Acceptatis hiſce, aliisque conditionibus Papæ Nuntius Primatem ac primæ notæ Nobiles fœderationis ſocios ac Principes Varſaviam die vigeſima

sima secunda Maij ad Regem deduxit, a quo perbenigne excepti, fidei homagium exsolverunt, ac Regno exoptatam pacem reddidere. Sæc. XVII. A. C. 1698.

Sub idem ferme tempus sedente Ursino Cardinale Beneventano Archiepiscopo eruebatur urna, in qua Corpus sancti Bartholomæi Apostoli reconditum a nonnullis credebatur, unde idem Archiepiscopus desuper decretum assentientibus Episcopis sibi subjectis promulgavit, cujus tamen haud magna habebatur ratio, partim quod ejusdem sancti Corpus Romæ in Templo P. Franciscanorum ad Insulam repositum, passim crederetur, partim quod fidelium devotio in Deum in Sanctis suis mirabilem, non in ossa in Altaribus exposita tenderet. Denique summo Pontifici per Reipublicæ Oratorem nuntiatum est, quod Veneta classis inito prælio cum Turcis in Ægeo mari insignem victoriam die vigesima Octobris reportarit, pluraque barbarorum navigia aut discerpserit, aut fugarit.

§. LVIII.

Alberti Pauluccii Altieri Cardinalis obitus.

Luxerat hoc anno Sacrum Purpuratorum Collegium mortem Alberti *Lexicon Univ. Lit. A.*

Sæc. XVII. A. C. 1698

Pauluccii. Hic ab Æmilio Altierio adoptatus, præter hujus familiæ bona etiam nomen retinuit: Impuber adhuc Clericalem veſtem indutus, ac Cameræ Auditor nominatus, plura alia non minus honorifica, quam oneroſa obibat munia: cum autem ingenii excellentia, prudentia, eruditione, induſtria, ac copioſo rerum Eccleſiaſticarum uſu optime meritus eſſet, aliunde etiam fortunam cunctis ſuis cæptis propitiam haberet, præter opimas divitias, ac beneficia inſuper Romanam Purpuram & Cameræ Apoſtolicæ Præfecturam ab Alexandro VII. ad dies vitæ obtinuit; ac paulopoſt Legatione Avenionenſi, Triburtina Præfectura, ac delegata in omnes ditiones Pontificias poteſtate auctus, Ravenatenſis Archiepiſcopus nominatus eſt, pluribusque Sacris Congregationibus præfuit. Inter tot tamen blandientis fortunæ illecebras non defuere adverſitatum ſpicula; cum enim promulgato edicto Principum Oratoribus de mercibus Romam advectis, eorumque uſui non deſtinatis vectigal ſolvendi legem impoſuiſſet, hi apud Clementem X. Papam vehementer inſtabant, ut Cardinalis ſuo amoveretur officio: hanc tamen procellam ſola Alberti dexteritas diſſipare poterat; ipſus enim ore & calamo ſuam agendi rationem

Eggs Pnrp. doct. lib. 6. pag. 480.

nem tam ſtrenue vendicabat, ut exteri Principes, quos offendiſſe timebat, ſuæ prudentiæ Encomiaſtes haberet: Tandem vero Sacri Collegii Sub-Decanus die vigeſima nona Junii Romæ meritis plenus, ac Pontificiæ thiaræ digniſſimus anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto deceſſit, hæredem multarum opum relinquens Fratrem ſuum Angelum Marchionem. Sæc. XVII. A. C. 1698.

§. LIX.

Joannis Nicolai Conti deceſſus.

Hunc fatali mortis neceſſitate ſequebatur Joannes Nicolaus Conti, qui Poliani Ducis Filius ſeſe adoleſcens ſacræ militiæ dicabat, Romamque delatus cunctos honorum dignitatumque gradus emenſus eſt, usque dum Avenionenſis Pro-Legatus, Marchiæ Anconitanæ Prætor ac demum Romanæ Urbis Gubernator nominaretur: quo in muuere cum ſe maxime commendatum redderet, ab Alexandro VII. Cardinalium Collegio adſcriptus eſt, ac paulopoſt plurimum ſollicitante Chriſtina Suecorum Regina, Anconitanam Eccleſiam Epiſcopus regendam impetravit: Defuncto Clemente X. Papa, plurimorum ſuffragia in Contium collimabant, absdubio in Pontificem eligendum, *Palat. Faſt. Card. t. 4.*

Sæc. XVII. A. C. 1698.

gendum, nisi Cardinales Gallicis partibus additti eum nimis Cæsari faventem credidissent, atque alii nimiam Cognatorum copiam objeciissent: nihilominus tamen remunerator Deus hoc anno huic Cardinali meritorum gloria illustrissimo immortalitatis coronam beato fine imposuit.

§. LX.

Opinio de Humanitate Christi Remis revocata.

Argentre Coll. Jud. tom. 3. p. 2. fol. 401.

Eodem hoc anno die prima Augusti Pater Petrus Flavel Jesuita Rhemis in suo Collegio in publica disputatione, cui ipsus præerat, hanc propugnabat doctrinam: *Humanitas Christi non existit formaliter per existentiam Verbi. Ast a Verbo hypostatice sustentari probabilissimum est.* Hæc Thesis Lectores plurimum offendit, quamvis Præses nihil aliud intelligeret, nisi verosimilius esse, humanam naturam Christi a verbo hypostatice sustentari per quemdam physicum influxum, ita, ut probabilior opinio in hunc modum physici influxus caderet: Nihilominus indies ex hujus Thesis doctrina inter Theologos contentio atque offensio augebatur, quocirca Rhemensis Archiepiscopus Præsidi injunxit, ut eam publice retractaret:

mox

mox ergo die vigesima prima Augusti Rhemensis Collegii Rector unacum Patre Flavelo Archiepiscopum adiit, eidemque retractationis monumentum obtulit, quod etiam ad tollendam omnem offensionem Rhemis eodem tempore typis editum est. Sæc. XVII. A. C. 1698.

§. LXI.

Duo Cardinales ab Innocentio XII. creati.

Purpuratis hoc anno defunctis summus Pontifex duos alios die nona Decembris subrogavit, & quidem primo Jacobum Antonium Mirigiam patria Mediolanensem, tum Archiepiscopum Florentinum, quem jam ante triennium Purpuræ destinaverat, eum vero in *pectore*, ut vocant, servatum nonnisi hoc anno palam fecerat. Alter erat Fabritius Paluzzius, quem pariter anno priori in Cardinalem nominare decreverat, primum autem hujus anni die præfata, ex Polonia, quo eum tanquam Legatum miserat, reducem promulgavit.

§. LXII.

Innocentii XII. Pontificis Constitutiones.

Præter

Sæc. XVII. A. C. 1698.

Præter plurima decreta hoc anno emanata Innocentius XII. Pontifex edicti sui nuper contra spectacula promulgati executionem acriter urgebat, insuper Romæ Congregationem Cardinalium super disciplina Regulari erexit, confirmavitque, illam vero super Regularium statu quoad parvos Conventus ab Innocentio X. erectam abolevit; falso igitur ac temere ex Protestantibus Historicus quidam retulit, quod Pontifex a Regularium reformatione destiterit, eoquod hi prius altioris gradus Ecclesiasticos ad sanctiorem vitam esse revocandos opposuerint: num forte Congregatio *super disciplina Regulari* recens erecta nudum nomen ferebat, postquam ne aucto Congregationum numero rectus ordo interturbetur, prior Congregatio abolita est? an forte propter confictam hanc Regularium excusationem cessavit vigilantia illius Congregationis, quæ tollendis abusibus contra Regularem disciplinam invalescentibus semper insudat: nempe qui aliis obloqui assueti sunt, aut criminum umbras exaggerant, aut crimina fingunt. Præterea Pontifex die decima Augusti Auditoris, Thesaurarii, Camerarii, pluraque alia officia vendi, emique prohibuit, sed nonnisi meritorum præmia esse voluit: ab eodem Pontifice

Bull. magn. Innoc. XII. Const. Hist. Chron. cont. l. 13. p. 529.

tifice indictum fuisse silentium tam Jesuitis quam Carmelitis de origine sui Ordinis disceptantibus, jam supra retulimus: Denique prohibuit Pontifex Capuccinis, ne absque expressa sui Generalis facultate ad alium Ordinem v. g. Congregationem de la Trappe transeant. Sæc. XVII. A.C. 1698.

§. LXIII.

Variæ Sacrarum Congregationum decisiones.

Inter plures Sacrarum Congregationum Romanarum decisiones hoc anno Sacra Rituum Congregatio die quinta Julii Capitulo & Canonicis Cathedralis Collensis respondit, quod Recitatio Officii B.V. de monte Carmelo non possit transferri in Dominicam immediate sequentem post decimam sextam Julii, nec consuetudo triginta annorum habeat vim ad hoc, ut continuari possit recitatio Officii de Sancto in Ecclesia, in quo asservatur ejus Corpus, nisi de ejus identitate constet, & in Martyrologio descriptus sit, nec (excepto tempore Paschali & diebus infra Octavam Corporis Christi) in expositione vel depositione SS.Sacramenti versiculo: *Panem de cælo* &c. addatur: *Alleluja.* Sacra vero Concilii Congregatio die tertia *Const. Congr. Rit. Episc. Imm. &c.*

Au-

Sæc. XVII. A. C. 1698.

Augusti decidit, quod Episcopus non possit prohibere Parochis, ne extra eorum Parochias suorum Parochianorum confessiones, aut suorum non Parochianorum in eorum Parochiis excipiant, Abbas vero non habeat facultatem benedicendi Concionatores destinatos pro Ecclesia Monasterii, & aliis Parochialibus intra districtum Abbatiæ. Declaratum etiam a S. Congregatione Immunitatis die trigesima ejusdem Mensis, quod Ordinarii locorum non possint dare absolutionem cum reincidentia, quoties agitur de censuris promulgatis ex caussa jurisdictionis, Immunitatis &c. uti reservatis summo Pontifici: Die autem sexta Septembris Sacra Rituum Congregatio decidit, quod Episcopus debeat providere, ne nova sedilia in Ecclesia sine ejus licentia apponantur præcipue, si inde rumor excitetur: Emerserat etiam Messanæ casus, quod quidam Religiosus apud suos Consanguineos graviter decumbens Altare erigi, ac Sacrum Viaticum ab alterius Ordinis Religiosis sibi ministrari peteret, dubitatum, an id in vim communicationis privilegii alteri religioni concessi sine Ordinarii licentia fieri possit? & die vigesima ejusdem Mensis S. Congregatio Concilii respondit negando. Pariter ad varia dubia a PP. Capuc-

puccinis propoſita S. Rituum Congregatio reſpondit I. quod ſi Officia quædam unius anni eodem anno non poſſint celebrari, anno ſequenti celebrari valeant, II. in concurrentia, vel translatione duorum feſtorum ejusdem ritus, ſi unum ſit univerſale, alterum Ordinis proprium, prius fiat de univerſali, poſtea de particulari. Die autem decima quinta Novembris S. Concilii Congregatio ſtatuit, Eleemoſynam manualis Miſſæ, ſi nondum ſtatuta eſt, determinandam eſſe per Epiſcopum ſuo arbitrio. Denique die vigeſima ſecunda ejusdem Menſis S. Rituum Congregatio declaravit, quod Feſtum SS. Fabiani & Sebaſtiani una ſimul celebretur, licet titulus Eccleſiæ ſit duntaxat de S. Sebaſtiano, proin transferendum non ſit feſtum S. Fabiani. Sæc. XVII. A.C. 1698.

§. LXIV.

Diœceſanæ Synodi Namurcenſis decreta.

Jam anno Chriſti ſupra milleſimum quingenteſimum quinquageſimo nono Paulus IV. Pontifex Maximus petente Philippo II. Hiſpaniarum Rege in Namurcenſi urbe Epiſcopatum erexerat, cujus Antiſtites doctrina & pietate inclyti Clerum & plebem ſuum ſaluta- *Concil. Germ. t. 10. p. 216.*

Sæc. XVII. A.C. 1698. ribus inſtitutis ad exactam Divinæ legis obſervantiam incitabant: ex his numero undecimus erat Ferdinandus Comes de Berlo de Brus, qui hanc in rem plures Diæceſanas Synodos habuit, & quidem hoc anno in ſuo Palatio Feria quarta Majoris Hebdomadæ Congregatis expoſuit, quod Carolus II. Hiſpaniarum Rex iterato juſſiſſet, ut Innocentii XII. Conſtitutio ad Belgii Epiſcopos die vigeſima quarta Novembris ante biennium transmiſſa ad exigendum juramentum & ſubſcriptionem ſuper formula Alexandri VII. plene obſervaretur: id igitur ab omnibus fieri præcepit Epiſopus, qui etiam prohibuit, ne quis præſumat confeſſiones præſertim mulierum in Sacrariis ſine neceſſitate excipere: omnino etiam auferri voluit abuſum, quo recens conjugati a petulantibus quibusdam valde vexati fuerunt, niſi pecunia, vel potu ejusmodi vexationes redimerent: Monuit etiam Patresfamilias, & Ludimagiſtros, ut ſibi ſubditos mendicantes doceant in lingua vernacula Symbolum Apoſtolorum & *Pater noſter* & *Ave Maria* &c. recitare, ut tollatur abuſus, quo pauperes has orationes nonniſi lingua latina callentes, quid credant, vel orent, ignorabant: Parochis quoque injunxit, ut ſedulo advertant, ne

ne vagabundi, vulgo *Sabaudi*, dicti, libros prohibitos, lascivos, orationes vanas, imagines turpes, cantilenas impuras &c. divendant, aut futura vaticinari præsumant. Innovavit etiam D. Wactendonci Prædecessoris sui decretum, quo inhibitum, ne Nobiles sibi a Parocho vel celebrante aspergillum porrigi, & aquam benedictam propriis sibi manibus applicare præsumant. Sæc. XVII. A. C. 1698.

§. LXV.

Principum atque illustrium obitus.

Hunc annum præprimis vitæ suæ postremum habuit Joannes Godefridus de Guttenberg Herbipolensis Episcopus, ac Franciæ Orientalis Dux. Erat is jam ab unguiculis animum suum non modo eruditionis ubertate, sed præcipue omnium virtutum genere excolere assuetus, quibus etiam in exercitationibus sacris usque ad ultimum vitæ halitum consenuit: unde haud mirum, quod Præsul factus, Dei cultum, Religionis fervorem, morumque Sanctitatem in Clero, populoque suo promovere unice intentus fuisset: Præcipue unacum Philippo Guilielmo Palatino Electore indefessam junxit operam, ut fides Catholica in Palatinatus Rhenani *Pastor. Franc. red.*

Sæc. XVII. A. C. 1698.

oppidis sacræ suæ jurisdictioni subjectis restauraretur, eoque ex fine præter Clericorum Seminarium, etiam novam Parthenonem pro instituendis puellis Kizingæ, & Templum magnificum Fuhrbruckii erexit, ordinemque precum, psalmodiæ & Missarum per omnes diei noctisque horas ita distribuit, ut alternatim in Ecclesiis Divina Majestas jugiter laudaretur: Plura alia dignissimus hic Præsul præclare gessit, quibus apud suos æternum nomen, apud Deum immortalem gloriam die quarta Decembris consecutus est. Successorem anno sequenti habuit die nona Februarii Joannem Philippum de Greiffenclau. Die autem duodecima Januarii decessit Herrnhusii Ernestus Augustus primus Brunsvico - Hannoveranus Elector annos natus sexaginta novem, Ejusdem vero Mensis die vigesima secunda Fridericus Casimirus Curlandiæ Dux, & vigesima septima Aprilis Christina Schleswicensis Ducis conjux, necnon Joannes Georgius Isaaccensis Dux anno ætatis suæ trigesimo tertio die decimo Novembris obiere. His sese mortis comitem adjunxit Flavius Orsinus Bracciani Dux, qui improlis & pauper mortuus, Branciani Ducatum Livio Odescalchio Principi ante biennium vendere compulsus erat.

§. LXVI.

Sæc. XVII.
A. C. 1698.

§. LXVI.

Scriptorum religione Catholicorum deceſſus & opera.

Inter Scriptores Catholicos, qui ſui deſiderium, & præclara ingenii pignora Orbi literario hoc anno reliquere, præcipuum locum ſibi vendicat Sebaſtianus Tillemontius, qui virtutem, religionem ac ſanctimoniam materno cum lacte ſuxerat, & Sacerdos factus in literarum ſtudiis & pietatis exercitiis indefeſſus ſemper vitam non minus innocentem, quam pœnitentem duxerat: Scripſit quinque Tomos de Hiſtoria Imperatorum & Principum per ſex prima Eccleſiæ ſæcula & Documenta ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam horum ſæculorum ſexdecim voluminibus contenta, ſcripſit epiſtolam ad Patrem Lamy Oratorii Sacerdotem de ultimo Paſchate Chriſti & duplici captivitate S. Joannis Baptiſtæ, aliam epiſtolam ad Ranceum Abbatem de la Trappe, Reflexiones in diverſa capita doctrinæ moralis unacum epiſtolis aſceticis, præter alia nonnulla. Obiit doctiſſimus hic Vir ſexagenario major Pariſiis die decima Januarii. II. Le Blanc edidit diſſertationem de monetis Caroli Magni ſuorumque Succeſſorum Romæ cuſis,

Dupin nouv. Bibl. des Auth. Siecl. XVII. Niceron. fol. 17. pag. 332.

Sæc. XVII. A. C. 1698.

in qua demonstrare nititur, quod olim Franciæ Regibus dominium in Romanam urbem competierit, elucubravit etiam Historiam Generalem numismatum Gallorum. III. Petrus Thomas de Fossé, qui commentaria in Biblia a Sacyo inchoata prosecutus, publici juris fecit vitas Tertulliani atque Origenis, necnon S. Thomæ Cantuariensis, præter vitas Sanctorum Mensis Januarii & Februarii. Decessit Parisiis die decima quarta Novembris anno ætatis sexagesimo tertio. IV. Joannes Ciampinus patria Romanus, qui tractatus edidit de sacris ædificiis Constantini M. de Vice-Cancellariatu Romanæ Ecclesiæ, de lino incombustibili, de perpetuo usu azymorom in Ecclesia Latina, de abbreviatoribus Romanis, de S. Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellario, & de Cruce stationali: insuper posteris reliquit duos tomos veterum Monumentorum operis Musivi, examen libri Pontificalis Anastasii, dissertationem, an Romanus Pontifex baculo Pastorali utatur? explicationem duorum sarcophagorum baptismatis ritum indicantium, discursus super cometam Anni 1682. præter plurima alia: Vivere desiit Romæ die duodecima Julii annos natus sexaginta quinque. V. Petrus Talbotus Jesuita Archiepiscopus

scopus Dublinensis, qui elucubravit catechismum de religione & regimine, tractatum de natura fidei & hæresis, catechismum Politicorum, tractatus de efficaci remedio contra Atheismum & hæresin, & Primatu Dublinensis Archiepiscopatus, Historiam Iconocalastarum, Manichæismi & Pelagianismi, necnon Pugnam fidei & rationis cum renascente Pelagianismo & Manichæismo. VI. Carolus Bouquin Ord. FF. Præd. scripsit sermones Apologeticos Catholicæ Ecclesiæ contra Novatores, tractatum de origine, & utilitate Status Religiosi in Ecclesia, Institutiones Christianas, & Annum Apostolicum. Sæc. XVII. A.C. 1698.

§. LXVII.

Scriptores Acatholici hoc anno defuncti, eorumque lucubrationes.

Ex Scriptoribus Acatholicis paucos recensemus, ex quibus præcipuus est Joannes Henricus Heideggerus ex venenato calamo notus Calvinista, scripsit Historiam Papatus mendaciis & calumniis scatentem, exercitationes Biblicas, Corpus doctrinæ Christianæ, diatribam de Paschate emortuali Christi, apologiam de Augustanæ Confessionis cum fide Reformatorum consensu, anatomen Concilii Tridentini, enchiridion *Hoffman. Lex. Univ. Niceron. fol. 7. p. 205.*

Sæc. XVII. A. C. 1698.

Biblicum, Hiſtoriam Patriarcharum, pluraque alia ad quisquilias rejicienda. II. Joannes Caſparus Schade Lutheranus ac Pietiſtarum Parens, ſcripſit in ea verba: *quid oportet me facere, ut ſalvus fiam*, manuductionem ad Chriſtianismum, inſtructionem de modo legendi Biblia, præter alia quamplurima: obiit die vigeſima quinta Julii tanto apud ſuos odio, ut eadem die, qua ſepultus, ipſius ſepulcrum tam furioſe conculcaretur, ut ne veſtigium quidem illius ſupereſſet. III. Daniel Colberg ſcripſit ſciographiam Philoſophiæ moralis, diſcurſus de conſuetudine irrationali, de errore populari circa mores, de tolerantia diverſarum religionum in Politia, ſpecimen Hiſtoricum de origine & progreſſu hæreſum in Eccleſia, & Platonico - Hermeticum Chriſtianismum. IV. Claudius Brouſſon Calviniſta, qui ob ſeditioſos ſuos ſermones in Galliis rotæ ſupplicio die quarta Novembris promeritas dedit pœnas: ſcripſit Statum reformatorum in Francia, animadverſiones in Ameloti verſionem Novi Teſtamenti præter epiſtolas & varia opuſcula. V. Antonius Bynæus poſteris reliquit libros duos de calceis Hebræorum, ſomnium de laudibus critices, libros duos de Natali & circumciſione Domini, dilucida-

cidationem Psalmi CX. & vaticinii Jacobi, necnon librum de morte Christi. Sæc. XVII. A. C. 1699.

§. LXVIII.

Franciſci Feneloni Cameracenſis Archiepiſcopi liber de vita interiore.

Agitabatur hoc anno in Galliis graviſſimi momenti cauſſa, cujus eventus univerſi pene Orbis expectationem ſuſpenſam tenuit. Actores erant duo in Francia pietate ac eruditione illo ævo longe ſpectatiſſimi Præſules, Franciſcus Fenelon de Salignac de la Motte Cameracenſis Archiepiſcopus, & Benignus Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis. Ille maximo erga Deum & Religionem ſtudio incenſus, non modo Hugonotarum converſioni, ſed etiam nominatus Neo-Catholicorum Superior verbi Divini prædicationi indefeſſo ſtudio inſudavit, cunctasque diei horas aut propriæ, aut aliorum ſaluti promovendæ impendit: Scripſerat præter tractatum *de miniſterio Paſtorum*, etiam libellum *de educatione Filiarum* tantopere a cunctis deprædicatum, ut ipſemet Ludovicus Rex hujus Viri eruditionem, pietatemque admiratus, eundem Nepotibus ſuis, Burgundo, Andegavenſi, & Bituricenſi Ducibus Inſtructorem daret, ac poſtea ad Cameracenſem Archiepiſcopa-

Journal des ſcav. Anno 1726. Annal. de la Cour t. 1. Argentre Coll. Jud.

Sæc. XVII. A. C. 1699.

scopatum nominaret: cum autem nullis fortuna infestius iraſcatur, quam quos indulgentiſſima fovit, ita & Fenelonus vix tam ſublimem dignitatis gradum aſcenderat, cum graviſſima eum tempeſtas eo potiſſimum tempore exciperet, quo ſe certius ſacræ quietis portum attigiſſe crediderat: Habebat animum ſuum in rerum cæleſtium contemplatione ſemper defixum, ac propterea mirifice delectabatur conſortio illorum, qui pariter animum divinis ejusmodi exercitationibus paſcere aſſueti erant: quapropter ab anno hujus ſæculi nonageſimo ſecundo frequens eidem erat de Divinis ſermo cum Guynonia, quæ, ut ſupra memoravimus, ob contemplationem vitamque exſtaticam tum multorum æſtimationem, admirationemque in ſe rapuerat, multis vero ſuſpecta videbatur: Poſtquam ergo ejus cauſſa rigido Boſſueti, aliorumque Præſulum examini commiſſa fuerat, etiam Fenelonus huic Conventui intereſſe rogabatur, hic vero triginta quatuor illis articulis, quos Boſſuetus ex Guynoniæ ſcriptis tanquam erroneos extraxerat, ſicut & paſtoralibus literis, quibus idem Præſul Guynoniæ contemplationem rejecerat, ſubſcribere renuit, triticum unacum Zizaniis eradicari ratus: Hos igitur articulos, quibus

bus adhuc quatuor alios adjecerat, dilucidare aggressus, anno priori librum edidit, cui titulus: *Placita seu Regulæ Sanctorum de vita interiore:* Bossuetus vero postea eodem anno suum tractatum de Statibus orationis unacum literis die decima septima Martii datis ad Innocentium XII. transmisit, cui etiam Pontifex die sexta Maij peramanter rescripsit. Sæc. XVII. A.C. 1699.

§. LXIX.

Fenelonus tanquam Quietismi reus apud Franciæ Regem denuntiatus.

Vix Feneloni Archiepiscopi liber publicam lucem aspexerat, cum illico centum ora, centum calami adversus eum acrius quam contra Alcoronum decertarent: Fenelonum absonis Guinoniæ delirantis phantasmatibus patrocinari, ejus apologiam concinnare, damnatumque Molinosii Quietismum ex orco resuscitare, clamabatur ubique; quapropter Fenelonus, ut periculosi motus mala præverteret, prolixam oppido instructionem Pastoralem edidit, in qua libri sui doctrinam explicare, animosque in diversa raptos conciliare nitebatur: attamen oleum affudit igni, atque ex proprio suo armamentario nova

Sæc. XVII. A. C. 1699.

nova hostibus tela suppeditavit. Primis Bossuetus hanc Archiepiscopi instructionem confutavit & varia scripta circa hanc causſam edita colligens, suo adversario quatuor hæc dubia ex ejus libro dissolvenda proposuit. I. An licitum sit desperare, suæque æternæ salutis sacrificium facere. II. Utrum generaliter sit permissum, imo & possibile, habere amorem a spe salutis & desiderio propriæ beatitudinis abstractum eumque pro solo, qui perfectus & purus est, habere. III. An possit stabiliri certus status, in quo quis ferme semper agat ex instinctu, exclusis omnibus actibus propria industria & conatu exercendis. IV. An admittendus sit status contemplationis, a qua Divina attributa tam absoluta quam relativa, necnon Personæ Divinæ, imo ipsemet Christus Dominus per fidem præsens excludi possint. Pluribus adhuc aliis rationibus Bossuetus Fenelonii doctrinam & scripta impugnabat, ac Parisiensem Archiepiscopum, necnon Episcopum Carnotensem eo adegit, ut palam die sexta Augusti anno priori in sua *declaratione* detestarentur doctrinam, quam Fenelonus eis in suo monito ad librum *de Regulis* imputare videbatur. Insuper Bossuetus eundem vulgavit librum sub titulo *summa doctri-*

doctrinæ Archiepiscopi Cameracensis &c. in quo ejusdem interpretationes refellebat, Fenelonus tamen vicissim quatuor epistolis tam Episcoporum declarationem quam Bossueti summam confutavit; cum vero Bossuetus mutuis hisce velitationibus & contrario partium studio animos exasperari, nullum tamen malo remedium afferri cerneret, Franciæ Regem accessit, eidem exponens, a Fenelono Quietismi errores, & Guynoniæ deliria innovari: Ad hæc infremuit Rex, summopere dolens, quod Principes Nepotes suos, necnon Cameracensem Ecclesiam novo alterique Molinosio confidisset; mox igitur Archiepiscopi librum maturo examini subjici jussit: Eruuntur inde plures propositiones doctrinis, de quibus eo tempore tam Doctores in cathedris, quam fœminæ in gynæcæis, suas quisque censuras proferebant, oppido consonas. Enimvero Fenelonus librum suum ab omni erroris labe vindicare nitebatur, e contrario autem Bossuetus damna inde emergentia pro viribus exaggerabat: decernitur tandem ad conciliandos animos mutuum utriusque partis colloquium, Fenelonus autem rem longius protrahi, nec tamen componi prospiciens, Regem adiit, supplex, ut causam suam ad summum Pontificem de-

Sæc. XVII. A. C. 1699.

Sæc. XVII. A. C. 1699. devolvere, ac Romam proficiſci, ſibi liceret: Annuit quidem Rex, ut totum negotium Pontificis deciſioni relinqueretur, inhibuit tamen, ne Archiepiſcopus pedem e Francia moveret: paulopoſt per Bovillierum Ducem Fenelono addictiſſimum eidem ſignificari præcepit, ut ex Aula ad ſuam Diæceſin reverteretur, donec Pariſios redire juſſus eſſet: Comperta hac Regis voluntate Meldenſis Epiſcopus quantocius Abbatem Boſſuetum Nepotem ſuum unacum Theologo quodam Romam decrevit, Fenelonus vero ſuæ cauſſæ minime diffiſus, per literas ſeſe purgare nitebatur, in quibus expoſuit, quod in ſuo libro, amoris actum in ſeipſo continuo permanentem ac nunquam iterandum, nunquam ſtabilire intenderit nec alias virtutes exercendi neceſſitatem excluſerit, imo etiam rejecerit perpetuam contemplationem nulli interruptioni vel diſtractioni etiam involuntariæ obnoxiam, aut omnis voluntatis ad exercendos actus ſalutares conantis excluſivam, nec aliam admiſerit quietem præter illam pacem, qua ex Spiritus ſancti unctione anima ſimplicem & perfectam unionem cum Deo habere exiſtimat minus vero a perfectiſſimo etiam contemplationis gradu exulare fecerit ſpem ſalu-

salutis æternæ &c. Paucis post diebus Fenelonus librum suum latine redditum unacum hac explicatione atque Ascetarum sententiis ad Pontificem transmisit, cunctaque ejus judicio subjecit. Sæc. XVII. A. C. 1699.

§. LXX.

Cameracensis Archiepiscopi liber examinatus, damnatusque.

Non deerant, qui Bossuetum, prævalente animi aversione, in sua censura limites moderationis, exactique judicii excessisse, eumque ob immodicum Fenelonianam charitatis puritatem deprimendi æstum in oppositum defectum impegisse, ac nimium spem erexisse arguerent: hoc vitium Carnotensis Episcopus Bossueto palam exprobravit, rogavitque, ut cautius mitiusque ageret: quapropter Bossuetus pro sua, qua excellebat, animi docilitate multum postea de sua remisit sententia, quo prius amorem Dei super omnia sine respectu ad proprium commodum vel metum esse possibilem, negare videbatur: igitur ex Feneloni libro præcipue duodecim illas duntaxat extraxit propositiones, in quibus Authorem stabilire putabat habitualem, ac continuo permanentem amoris puri statum,

Argentre Coll. Jud. t. 3. p. 402. Collect. Concil. Hard.

Sæc. XVII. A. C. 1699.

ſtatum, qui ſpem ceterasque virtutes excluderet: Has autem aſſertiones per plures Sorbonæ Doctores cenſura perſtringi curavit; non paucis tamen ejusmodi cenſuram extorquendi modum culpantibus, ipſus eam ſupprimere adlaborabat: Rex vero Cardinalem Bullionium incitari juſſit, ut maturato Romæ judicio hæc cauſſa ad ſedandos motus in Galliis inde ortos brevi terminaretur: nihilominus ob rei gravitatem, tantique Præſulis auctoritatem hæc diſcuſſio Romæ octodecim tenuit Menſes; quamvis enim Pontifex confeſtim quosdam nominaſſet Conſultores, qui in Cubiculo Magiſtri S. Palatii rem mature examinarent, eorum tamen ſententiis in diverſum abeuntibus poſt habitas duodecim conſultationes nihil deciſum erat: nec magis expeditus erat conatus Congregationis Cardinalium, qui Pontificis juſſu in Conventu S. Mariæ ſupra Minervam congregati viginti & unam Seſſiones re indeciſa habuere: tandem his ſubrogata Congregatio poſt quinquaginta duas conſultationes non modo de propoſitionibus proſcribendis, ſed etiam de cenſurarum modo convenere: Horum judicio rurſus recognito, ſummus Pontifex die duodecima Martii hoc anno ſequens decretum edidit:

„Cum

„Cum alias ad Apoſtolatus noſtri „notitiam pervenerit in lucem prodiiſſe „librum quemdam Gallico idiomate „editum, cui titulus: *Explicatio Regularum ex ſanctis Patribus de vita Interiore per Franciſcum de Salignac Fenelon Cameracenſem Archiepiſcopum* &c. ingens vero „ſubinde de non ſana Libri hujusmodi „Doctrina excitatus in Galliis rumor „adeo percrebuerit, ut opportunam Paſtoralis vigilantiæ noſtræ opem efflagitaverit; Nos eundem Librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus noſtris „S. R. E. Cardinalibus, aliisque in S. „Theologia Magiſtris, mature, ut rei „gravitas poſtulare videbatur, examinandum commiſimus. Porro hi mandatis noſtris obſequentes, poſtquam „in quamplurimis Congregationibus „varias propoſitiones ex eodem Libro „excerptas, diuturno accuratoque examine diſcuſſerant, quid ſuper earum „ſingulis ſibi videretur, tam voce, „quam ſcripto nobis expoſuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram „nobis deſuper actis Congregationibus „memoratorum Cardinalium, & in „Sacra Theologia Magiſtrorum Sententiis, Dominici Gregis Nobis ab æterno „Paſtore crediti periculis, quantum „Nobis ex Alto conceditur, occurrere „cupientes, motu proprio, ac ex certa

Sæc. XVII. A. C. 1699.

Sæc. XVII A. C. 1699.

„ſcientia, & matura deliberatione No-
„ſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis
„plenitudine, Librum prædictum ubi-
„cunque, & quocunque alio idiomate,
„ſeu quavis editione aut verſione huc-
„usque impreſſum, aut impoſterum
„imprimendum, quippe ex cujus le-
„ctione & uſu fideles ſenſim in errores
„ab Eccleſia Catholica jam damnatos
„induci poſſent, ac inſuper tanquam
„continentem propoſitiones, ſive in
„obvio earum verborum ſenſu, ſive at-
„tenta ſententiarum connexione, teme-
„rarias, ſcandaloſas, male ſonantes,
„piarum aurium offenſivas, in praxi
„pernicioſas, ac etiam erroneas re-
„ſpective, tenore præſentium damna-
„mus, & reprobamus, ipſiusque Libri
„impreſſionem, deſcriptionem, lectio-
„nem, retentionem & uſum omnibus
„& ſingulis Chriſti fidelibus etiam ſpe-
„cifica, & individua mentione, & ex-
„preſſione dignis, ſub pœna Excommu-
„nicationis per contrafacientes ipſo
„facto absque alia declaratione incur-
„renda, interdicimus, & prohibemus:
„Volentes, & Apoſtolica Auctoritate
„mandantes, ut quicunque ſupradictum
„Librum penes ſe habuerint, illum
„ſtatim, atque præſentes literæ eis
„innotuerint, locorum ordinariis, vel
„hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tra-
„dere,

„dere, ac consignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non „obstantibus quibuscunque. Cæterum „Propositiones in dicto Libro contentæ, „quas Apostolici censura judicii, sicut „præmittitur, configendas duximus, „ex Gallico idiomate in Latinum versæ, „sunt tenoris, qui sequitur, videlicet.„

I. „Datur habitualis status amoris „Dei, qui est charitas pura, & sine ulla „admixtione motivi proprii interesse. „Neque timor pœnarum, neque desi„derium remunerationum habent am„plius in eo partem. Non amatur am„plius Deus propter meritum, neque „propter perfectionem, neque propter „felicitatem in eo amando inveniendam.

II. „In statu vitæ contemplativæ, „seu unitivæ amittitur omne motivum „interessatum timoris & spei.

III. „Id, quod est essentiale in dire„ctione animæ, est, non aliud facere, „quam sequi pededentim gratiam cum „infinita patientia, præcautione, & „subtilitate. Oportet se intra hos li„mites continere, ut sinatur Deus a„gere; & nunquam ad purum amorem „ducere, nisi quando Deus per unctio„nem interiorem incepit aperire cor „huic verbo, quod adeo durum est „animabus adhuc sibimet affixis, &

Sæc. XVII. A. C. 1699.

„adeo potest illas scandalizare, aut in „perturbationem conjicere.

IV. „In statu sanctæ indifferentiæ „Anima non habet amplius desideria „voluntaria & deliberata propter suum „interesse, exceptis iis occasionibus, „in quibus toti suæ gratiæ fideliter non „cooperatur.

V. „In eodem statu sanctæ indiffe„rentiæ nihil nobis, omnia Deo volu„mus. Nihil volumus, ut simus per„fecti, & beati propter interesse pro„prium, sed omnem perfectionem, ac „beatitudinem volumus, in quantum „Deo placet efficere, ut velimus res „istas impressione suæ gratiæ.

VI. „In hoc sanctæ indifferentiæ statu „nolumus amplius salutem, ut salutem „propriam, ut liberationem æternam, „ut mercedem nostrorum meritorum, „ut nostrum interesse omnium maxi„mum; sed eam volumus voluntate „plena, ut gloriam & beneplacitum „Dei, utrem, quam ipse vult, & quam „nos vult velle propter ipsum.„

VII. „Derelictio non est, nisi abne„gatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam „Jesus Christus a nobis in Evangelio „requirit, postquam extrema omnia „reliquerimus. Ista nostri ipsorum ab„negatio non est, nisi quoad interesse „proprium . . . Extremæ probationes, „in

„in quibus hæc abnegatio, ſeu ſui „ipſius dereliƈtio exerceri debet, ſunt „tentationes, quibus Deus æmulator „vult purgare amorem, nullum ei „oſtendendo perfugium, neque ullam „ſpem quoad ſuum intereſſe proprium, „etiam æternum.

VIII. „Omnia Sacrificia, quæ fieri „ſolent ab Animabus quam maxime „deſintereſſatis circa earum æternam „beatitudinem, ſunt Conditionalia .... „Sed hoc Sacrificium poteſt eſſe abſo„lutum in ſtatu ordinario. In uno ex„tremarum probationum caſu hoc Sa„crificium fit aliquo modo abſolutum.

IX. „In extremis probationibus pot„eſt animæ invincibiliter perſuaſum eſſe „perſuaſione reflexa, & quæ non eſt „intimus Conſcientiæ fundus, ſe juſte „reprobatam eſſe a Deo.

X. „Tunc anima diviſa a ſeipſa ex„pirat cum Chriſto in Cruce dicens: „*Deus, Deus meus, ut quid* dereliquiſti „me? In hac involuntaria impreſſione „deſperationis conficit ſacrificium ab„ſolutum ſui intereſſe proprii quoad æ„ternitatem.

XI. „In hoc ſtatu anima amittit om„nem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed „nunquam amittit in parte ſuperiori, id „eſt in ſuis actibus directis & intimis

Sæc. XVII A. C. 1699

„ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium „deſintereſſatum promiſſionum.

XII. „Director tunc poteſt huic ani„mæ permittere, ut ſimpliciter ac„quieſcat jacturæ ſui proprii intereſſe, „& juſtæ condemnationi, quam ſibi a „Deo indictam credit.„

XIII. „Inferior Chriſti pars in Cruce „non communicavit ſuperiori ſuas in„voluntarias perturbationes.„

XIV. „In extremis probationibus pro „purificatione amoris fit quædam ſepa„ratio partis ſuperioris animæ ab infe„riori . . . In iſta ſeparatione actus „partis inferioris manant ex omnino „cæca & involuntaria perturbatione; „nam totum, quod eſt voluntarium, „& intellectuale, eſt partis Superioris.

XV. „Meditatio conſtat diſcurſivis „actibus, qui a ſe invicem facile di„ſtinguuntur . . . . Iſta compoſitio „actuum diſcurſivorum, & reflexorum „eſt propria exercitio amoris intereſſati.

XVI. „Datur Status contemplationis „adeo ſublimis, adeoque perfectæ, ut „fiat habitualis, ita, ut quoties anima „actu orat, ſua Oratio ſit contempla„tiva, non diſcurſiva. Tunc non am„plius indiget redire ad meditationem, „ejusque actus methodicos.„

XVII. „Animæ contemplativæ pri„vantur intuitu diſtincto, ſenſibili, & „re-

„reflexo Jesu Christi duobus tempori- Sæc. XVII.
„bus diversis . . Primo in fervore na- A. C. 1699.
„scente earum contemplationis . . .
„Secundo, anima amittit intuitum Jesu
„Christi in extremis probationibus.

XVIII. „In statu passivo exercentur „omnes virtutes distinctæ, non cogi- „tando, quod sint virtutes, In quoli- „bet momento aliud non cogitatur, „quam facere id, quod Deus vult, & „amor Zelotypus simul efficit, ne quis „amplius sibi virtutem velit, nec un- „quam sit adeo virtute præditus, quam „cum virtuti amplius affixus non est.

XIX. „Potest dici in hoc sensu, quod „anima passiva, & desinteressata, nec „ipsum amorem vult amplius, quate- „nus est sua perfectio, & sua felicitas, „sed solum, quatenus est id, quod Deus „a nobis vult.„

XX. „In confitendo debent animæ „transformatæ sua peccata detestari, „& condemnare se, & desiderare re- „missionem suorum peccatorum, non „ut propriam purificationem & libera- „tionem, sed ut rem, quam Deus vult, „& vult nos velle propter suam gloriam.

XXI. „Sancti Martyres excluserunt „a statu animarum transformatarum „exercitationes virtutum.

XXII. „Quamvis hæc Doctrina (*de „puro amore*) esset pura & simplex per-

Sæc. XVII. A. C. 1699.

„fectio Evangelica in universa tradi-
„tione designata, antiqui Pastores non
„proponebant passim multitudini justo-
„rum, nisi exercitia amoris interessati
„eorum gratiæ proportionata.

XXIII. „Purus amor ipse solus con-
„stituit totam vitam interiorem, &
„tunc evadit unicum principium, &
„unicum motivum omnium actuum,
„qui deliberati, & meritorii sunt.„

„Non intendimus tamen per ex-
„pressam propositionum hujusmodi re-
„probationem alia in eodem Libro con-
„tenta úllatenus approbare. Ut autem
„eædem præsentes literæ omnibus fa-
„cilius innotescant, nec quisquam il-
„larum ignorantiam valeat allegare,
„volumus pariter, & Authoritate præ-
„fata decernimus, ut illæ ad valvas
„Basilicæ Principis Apostolorum, ac
„Cancellariæ Apostolicæ, necnon Cu-
„riæ Generalis in Monte Citorio, & in
„acie campi floræ de urbe, per aliquem
„ex Cursoribus nostris, ut moris est,
„publicantem, illarumque exempla ibi-
„dem affixa relinquantur, ita, ut sic
„publicatæ, omnes & singulos, quos
„concernunt, perinde afficiant, ac si
„unicuique illorum personaliter notifi-
„catæ, & intimatæ fuissent; utque ipsa-
„rum præsentium literarum transum-
„ptis, seu exemplis etiam impressis,

„manu

„manu alicujus Notarii publici subscri- Sæc. XVII.
„ptis, & Sigillo personæ in Ecclesia- A.C. 1699.
„stica dignitate constitutæ munitis,
„eadem prorsus fides, tam in judicio,
„quam extra illud, ubique locorum
„habeatur, quæ ipsis præsentibus ha-
„beretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Quamprimum Fenelonus has propositiones Romæ damnatas comperat, mox literis ad Papam datis hoc unicum efflagitabat, quatenus Papa dignaretur præcise determinare errores & sensum, quem in dogmatibus damnatis censura notasset, ut ejus subscriptio sit absoluta, seu absque omni restrictione: Insuper ut a suo Clero offensionem tolleret, in Congregatione Provinciæ Cameracensis declarabat, *quod fateri nequeat, contra conscientiæ suæ testimonium, credidisse unquam aliquem ex erroribus sibi imputatis, id solum se putasse, quod liber cum correctorio a se apposito errorem nec significare posset, nec fovere, se tamen suo renuntiare Judicio, ut Sanctissimi Domini Papæ Judicio se conformaret.*

§. LXXI.

Hoc Innocentii Papæ diploma jussu Regis in Galliis ubique receptum.

Sæc. XVII A. C. 1699.

Quamvis, quo consilio incognitum, in hoc Pontificis decreto cuncta fuerint omissa, cunctaque expressa, ob quæ aliás ejusmodi Pontificia diplomata in Galliis recipi aut rejici debuissent, nihilominus tamen præsens Innocentii decretum prætermissis ejusmodi formalitatibus communi applausu in Aula Regia acceptatum est. Ferebat aliás mos vix non in legem transiens, ut in Pontificum decretis in Franciam mittendis diserte Pontifex testaretur, quod Episcopi ejusmodi causam ad Papæ Tribunal in prima instantia ultro devolvissent, hæcque causa a Papa nonnisi post iteratas Regis Christianissimi sollicitationes fuisset assumpta, ejus Pontificis vero Constitutio non in forma *Brevis* expediretur, atque ad ipsos quoque Franciæ Præsules dirigeretur, sed hæc omnia in præsenti Pontificis Constitutione non fuerunt observata. Declarabat insuper Pontifex, quod hunc librum *motu proprio* (*) damnarit, & cuicunque, etiam *specifica & individua mentione & expressione dignis*, illius lectionem interdixerit &c. Hæc omnia, aut expressa aut omissa ceteroquin Pontificii decreti rejectionem

(*) Hæc clausula libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ contraria creditur.

nem in Galliis operabantur: nulla tamen harum solemnitatum, exilitatumque ratione habita Rex ejusque Senatus Innocentianum hoc *Breve* illico die quarta Augusti acceptarunt, omnesque Metropolitani jussu Regis pro acceptando hoc decreto Suffraganeos suos ad Synodum (*) congregarunt, ex quorum sententia Rex die quarta Mensis Augusti Pontificiam Constitutionem recipi præcepit, edito decreto, in quo referebatur, quod Pontifex tam a se, quam a suis deputatis diu & ma„ture discussum Feneloni librum dam„narit, & Constitutionis suæ exemplar „Delphino, suo in Francia Nuntio trans„miserit, ut eam Regi porrigeret, ejus„que protectionem pro illius executione „imploraret: Rex igitur eam reveren„tia Sacræ Sedi, ejusque capiti sum„mo Pontifici debita acceptarit, cun„ctisque Regni sui Metropolitanis in„junxerit, ut habitis suffraganeorum „Synodis hanc Constitutionem accepta„rent, ac utriusque potestatis concursu „novitates puritatem fidei labefactan„tes, atque ad Christianæ doctrinæ de„pravationem tendentes eo potentius, elimi-

Sæc. XVII. A. C. 1699.

(*) In hac Synodo ex parte Regis nullus Commissarius fuit præsens, etsi aliquem deputari Parlamentum instanter petiisset.

Sæc. XVII. A. C. 1699.

„eliminari poſſent: poſtquam igitur om-
„nes Regni Epiſcopi ipſeque Camera-
„cenſis Archipræſul doctrinam in Pon-
„tificia Conſtitutione tanquam Apoſto-
„licam debita Eccleſiæ capiti ſubmiſ-
„ſione ac veneratione agnoverant, ad
„eorum preces Rex utpote Chriſtianiſ-
„ſimus, ſemperque conſervandæ fidei
„puritati intentiſſimus, ac tam diu
„gratiarum ac proſperitatum continen-
„tem ſeriem Divinæ bonitati in acce-
„ptis referre obſtrictus, hanc Papæ
„Conſtitutionem ab Archiepiſcopis, Re-
„gnique Epiſcopis acceptatam recipiat
„promulget, eamque in toto Regno
„obſervari & executioni dari præcipiat,
„ſimulque præfatis Præſulibus injun-
„gat, ut nulla mora eam in ſuis Ec-
„cleſiis promulgari, ad acta referri,
„illiusque executionem urgeri curent.„
Inſuper non modo Feneloni librum, ſed cuncta in ejus defenſionem ſcripta Rex vendi, retineri, vel typis vulgari, ac deinceps in favorem damnatarum propoſitionum quædam ſcribi aut imprimi prohibuit, denique Pariſienſi Parlamento præcepit, ut hoc Regis edictum unacum Pontificis Conſtitutione, ſi in ea nihil Sacris Decretis, Canonibus, Regni juribus, aut Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus contrarium offenderit, ad acta referat.

Vix

Vix a sæculo auditum erat, Pontificis cujusdam decretum a Parlamento cum majore animi promptitudine omniumque consensu atque applausu fuisse acceptatum, quin imo Parlamenti Advocatus in sua oratione his utebatur verbis: „Nunquam utraque suprema potestas ad regendos homines a Deo ordinata tanto Zelo ac felicitate concurrisse visa est, nunquam veritas de errore tam integram reportavit victoriam .... quapropter huic Doctrinæ purissimæ, quam Ecclesiæ Caput, Divi Petri Successor, Christi Vicarius, & communis Pater per suam decisionem confirmavit, unanimi suffragio adhæremus.„ Sæc. XVII. A.C. 1699.

§. LXXII.

Glorioſa Feneloni Archiepiſcopi ſubmiſſio.

Hoc Regis mandatum jamjam prævenerat Fenelonus Archiepiscopus; quamprimum enim sui libri doctrinam Romæ proscriptam compererat, prior ipsus in sua Synodo hanc in rem convocata decrevit, Regi esse supplicandum, ipsusque supplicavit, ut cuncta in præfati libri defensionem scripta supprimi, Regio edicto præciperet: nec his contentus cunctos suæ Diæcesis Epi- *Abregé chron. de l'Hiſt. Eccl. t. 3. p. 498.*

Sæc. XVII. A. C. 1699. Episcopos, ut Constitutioni Pontificiæ sine omni tergiversatione adhærerent, hortatus est, data ad eos epistola sequenti.

„Franciscus Miseratione divina, & „S. Sedis Apostolicæ gratia Archiepi„scopus, Dux Cameracensis, S. Ro„mani Imperii Princeps, Comes Ca„meracesii &c. Clero sæculari, & Re„gulari nostræ diæcesis salutem & Be„nedictionem in Domino.

„Vobis Fratres charissimi nos to„tos debemus, quippe non jam nostri, „sed gregi credito devoti sumus. *Nos „Servos autem vestros per Jesum.* Sic af„fecti, quæ nos attinent super libello, „cui titulus: *Placita Sanctorum explicita,* „apertis præcordiis hic exponendum „esse arbitramur. „

„Tandem opusculum cum viginti „tribus Propositionibus excerptis dam„natum est Brevi Pontificio Martii duo„decima dato, quod jam vulgatum „legistis.

„Cui quidem Brevi Apostolico, „tam de libelli contextu, quam de vi„ginti tribus Propositionibus simplici„ter, absolute, & absque ulla, vel re„strictionis umbra adhærentes, libel„lum cum viginti tribus Propositioni„bus eadem præcise forma, iisdemque „qualificationibus simpliciter, absolute, „&

„& absque ulla restrictione condemna- Sæc. XVII.
„mus. Insuper & eadem pœna pro- A. C. 1699.
„hibemus, nequis hujus diœcesis li-
„bellum aut legat, aut domi servet.

„Cæterum, Fratres charissimi, quam-
„quam humiliatur Minister, haud de-
„erit Solatium; modo verbi Minister-
„rium, quod accepit a Domino ad san-
„ctificationem vestram, non sordescat
„in illius ore, neque eo minus grex
„apud Deum gratia crescat.

„Porro vos omnes ex animo ex-
„hortamur ad sinceram submissionem,
„& intimam docilitatem, ne sensim
„marcescat illa erga sedem Apostolicam
„obedientiæ Simplicitas, in qua præ-
„standa, Deo misericorditer adjuvante,
„ad extremum usque Spiritum vobis
„exemplo erimus.

„Absit, ut unquam nostri mentio
„fiat, nisi forte, ut meminerint ali-
„quando fideles, Pastorem infima Gre-
„gis ove se dociliorem præbendum du-
„xisse, nullumque obedientiæ limitem
„fuisse positum.„

„Oro Fratres charissimi, ut *Gratia Domini nostri* Jesu Christi, *Charitas Dei, & Communicatio Spiritus sancti maneat cum omnibus vobis.* Amen.

„Cum autem Atrebatensis Episco-
pus Fenelonum ob reverentiam redar-
guere neglexisset, hic ad eundem has
lite-

Sæc. XVII. A. C. 1699. literas cedro dignas dedit: „Sine pau-„lulum, Illuſtriſſime, ut tibi rudius „timiditatem, tuumque ſilentium ex-„probrem: quis me redarguet, niſi tu, „cum totius Provinciæ noſtræ ſis ſe-„nior: audacter & ſine omni reſpectus „timore omnia cordate edicere potes: „quæ nuperrime contra me acta ſunt, „ſentio quidem, ingenue tamen fateor, „me nunc majore frui tranquillitate, „quam ante quindecim dies. Tota „mea cauſſa eſt deciſa, & Judex meus „ſua deciſione meam exoneravit con-„ſcientiam: nil mihi reliquum eſt, niſi „ut me ſubmittam, taceam crucem-„que meam in ſilentio portem: imo „auſim dicere, in eo verſor ſtatu, qui „tanquam individuum comitem ſecum „conſolationem affert recti Cordis Viro, „qui nil niſi Deum reſpicit, & nihil a „mundo ſperat: Mandatum meum jam-„jam compoſui, in quo verba, quan-„tum potui, magis præciſa, minusque „affectata ſelegi, illudque jamjam pu-„blici juris feciſſem, niſi deſuper Regis „facultatem, quam per Barbezieuſium „petii, præſtolarer, ne circa Bullarum, „aliorumque actuum Juridicorum Ro-„mæ expeditorum receptionem Regni „conſuetudines violaſſe videar. Hæc „ergo fuit cauſſa, ob quam mandatum „meum promulgare diſtulerim: magnæ „molis

„molis opus est, haud diffiteor, semet- Sæc. XVII.
„ipsum deprimere, centies autem gra- A. C. 1699.
„vior moles meæ incumberet conscien-
„tiæ, si vel ad momentum Sacræ sedi
„resisterem, & plane capere non pos-
„sum, cur in tali occasione hæsitare
„deberem: patior quidem, sed nequi-
„dem momentum deliberationi indul-
„geo &c.„

§. LXXIII.

Ejusdem Epistola ad Innocentium XII.

Ut vero idem Archiepiscopus sinceram suam submissionem ipsi etiam Innocentio XII. Pontifici testatam redderet, has ad eundem dedit literas.

Sanctissime Pater!

„Audita Beatitudinis Vestræ de meo
„libello sententia, verba mea dolore
„plena sunt, sed animi submissio, &
„docilitas dolorem superant. Non jam
„commemoro innocentiam, probra, tot
„explicationes ad purgandam doctri-
„nam scriptas, præterita omnia omitto
„loqui. Jam apparavi Mandatum per
„totam hanc diæcesin propalandum,
„quo Censuræ Apostolicæ humillime
„adhærens, libellum cum viginti tri-
„bus Propositionibus excerptis simpli-
„cissime, absolute, & absque ulla vel
„restrictionis umbra condemnabo. Ea-

Sæc. XVII. A.C. 1699.

„dem pœna prohibens, ne quis hujus „Diæceſis libellum, aut legat, aut do„mi ſervet, quod Mandatum, San„ctiſſime Pater, in lucem edere decre„tum eſt, ſimul atque id mihi per Re„gem licere reſcivero. Tunc in me „nihil moræ erit, quo minus ad inti„mæ, & pleniſſimæ ſubmiſſionis ſpeci„men, per omnes Eccleſias, necnon „& per gentes hæreticas diſſeminetur. „Nunquam me pudebit, a Petri Suc„ceſſore corrigi, cui Fratres confir„mandi partes commiſſæ ſunt, ad ſer„vandam ſacrorum verborum formam. „Igitur libellus perpetuum reprobetur. „Intra pauciſſimos dies id ratum fa„ciam. Nulla erit diſtinctionis umbra „leviſſima, qua decretum eludi poſſit, „aut tantula excuſatio adhibeatur. Ve„reor equidem, uti par eſt, ne Beati„tudinis Veſtræ ſollicitudini omnium „Eccleſiarum occupatæ moleſtior ſim: „verum ubi Mandatum ad illius pedes „brevi mittendum, ut ſubmiſſionis ab„ſolutæ ſignum acceperit, meum erit „ærumnas omnes ſilentio perferre, ſum„ma cum obſervantia, & devoto animi „cultu ero in perpetuum.„

Sanctiſſime Pater, Beatitudinis Veſtræ,

Humillimus, obedientiſſimus, & devotiſſimus Servus & Filius.

Fr. Archiepiſcopus, Dux Camerac.

Paulo-

Paulopoſt mandatum ſuum, quo cunctis ſuis Suffraganeis Pontificiæ Conſtitutionis obſervantiam injunxit, ad eundem Papam transmiſit, adjunctis hiſce literis. Sæc. XVII. A. C. 1699.

Sanctiſſime Pater!

„Mandatum, quod jam per hanc „Diæceſin propalatur, ad Beatitudinis „Veſtræ pedes humillime ſiſto, ut cer„tior fiat, me Apoſtolico Brevi, quo „libellus de *Sanctorum placitis* &c. dam„natus eſt, pleniſſime, ſimpliciſſime, „& absque ulla reſtrictione adhærere. „Ex ſcriptis Apologeticis per biennium „excuſis, ni fallor, innotuit, me in „edendo libello illuſioni patrocinari nul„latenus voluiſſe, imo fuiſſe infenſiſſi„mum inſuper, ut iisdem ſcriptis de„claravi. Nihil certe piguiſſet ad pa„cem componendam ab eo tuendo de„ſiſtere. Verum Sanctiſſime Pater, „Religio vetuit, ne alienæ ſententiæ „reluctante conſcientia obſequerer, ad „repudiandum uniformem, ut mihi „tum videbatur, tot Sanctorum cujus„que ætatis ſermonem, niſi Sedis Apo„ſtolicæ Authoritas accederet. Etenim „teſtis eſt cordium Scrutator, & Ju„dex Deus, id potiſſimum mihi cordi „fuiſſe, ut Sanctorum experimenta & „dicta in libelio ſimpliciter relata tem-

Sæc. XVII. A. C. 1699.

„perarentur, unde arbitrabar, me ab„unde conſuluiſſe, ne textus unquam „trahi poſſet in ſenſum alienum ab eo, „quem in Apologeticis ſcriptis, can„dide & conſtanter aſſerui. Verum „tamen, Sanctiſſime Pater, meum eſt „credere, mentem meam in eo libello „male eſſe explicatam, meque in cau„tionibus adverſus errorem adhibendis „propoſito arduo excidiſſe. Ad hoc „fatendum facile me movet tanta Au„thoritas, quam ſuſpiciens, tantulas „ingenii vires nihili facio. Igitur ni„hil queror, nihil poſtulo. Sanctiſſime „Pater; hoc unum mihi ſolatio erit, „ſcilicet, tribulationem, humili & obe„dienti animo quoad vixero perferre, „Eadem prorſus erit ſemper Deo dante „erga ſedem Apoſtolicam reverentia & „devotio, idem conſtans erga Eccle„ſiam Matrem ac Magiſtram amor fi„lialis, easdem preces ſingulis diebus „fundam, ut piiſſimus Pontifex gregem „Dominicum fructuoſe, pacifice, ac „diutiſſime paſcat. Æternum ero in„fima cum obſervantia & Religioſo a„nimi cultu.„

Sanctiſſime Pater, Beatitudinis Veſtræ,

Humillimus. obedientiſſimus. & devotiſſimus Servus & Filius.

Franc. Arch. Dux Cameraci.

Ita

Sæc. XVII. A. C. 1699.

Ita nempe Fenelonus, dum de casto puroque Divini Sponsi amore ob nimiæ devotionis excessus perperam disseruisse visus est, postea vaticano obsequens oraculo, simul Sponso & Sponsæ Ecclesiæ plurimum placuit, ac insigne prorsus exemplum, quomodo Sedis Apostolicæ decisioni obediendum, cunctis reliquit, simulque Jansenii fautores confudit, qui, quamvis pertinaci apertaque rebellione cum hæreticis Ecclesiam impugnare renuant, detortis tamen interpretationibus debitam obedientiam eludere, & simulata subjectione Apostolici gladii aciem hebetare moliuntur: E contrario autem Fenelonus Pontificis, Clerique Gallicani judicio simpliciter, absolute, & sine omni restrictione cum summa reverentia suum judicium subjecit, cunctisque suarum propositionum correctionibus, temperamentis, & moderationibus antea propositis nuntium misit, nec deinceps unquam pro doctrinæ suæ defensione calamum arripuit, quamvis haud temere, uti & non paucis visum, opponere potuisset, durius secum actum, ejusque librum ob argumenti sublimitatem valde obscurum, & potissimorum, qui illum pervolvissent, intellectu superiorem, vitæque interioris semitam iis duntaxat esse cognitam, qui illam

Sæc. XVII. A. C. 1699.

diuturnæ, propriæque experientiæ magisterio ac ductore, calcassent, proin doctrinam in hoc libro contentam in sensu per Auctorem intento rudium imo & doctorum aciem potius perstringere, quam voluntatem depravare potuisse, utrique autem periculo obviatum fuisse propria Authoris explicatione &c. Ast Fenelonus a cunctis ejusmodi effugiis longe alienus, audito Apostolicæ tubæ sono mox acie excessit, longe magis glorioſam reportans victoriam, quam illi, qui hac in causſa contra victum se triumphasse gloriabantur: Haud injucundum erit addere elogium Steyaertii Vicarii Apostolici, Decani, ac Lovanienſis Doctoris, qui Cameracenſis Archiepiſcopi mandatum Lovanii publicis typis imprimi curans, his verbis usus est: „Aberrare scriben„do ab amussi veritatis, in rebus præ„sertim tam sublimibus, sane huma„num est; sed errorem ostensum cor„rigere ea generositate, ut hic Illust„rissimus Antistes (quo, ut de quodam „Lovanienſi nostro aliquando dictum „fuit, *nihil doctius, nihil humilius*) hoc „vero supra hominem esse videri potest, „& hucusque exemplum res ea desidera„verat. Cæterum ut utamur sententia, quæ apud C. Tacitum est: *Pro „quo exemplum quærimus, id olim pro „exem-*

„*exemplo erit.* Hunc in finem hoc Man- Sæc. XVII.
„datum Archiepiſcopale, ſic tanquam A. C. 1699.
„mirandum, & *incitandum humilitatis*
„*exemplum*, magno cum fructu reim-
„primetur.„

Ita demum cauſſa Cameracenſis Archiepiſcopi finita eſt, ſicut autem nulla vexatio ingruit ſola, & adverſa fortuna uni & ſemel obeſſe, raro contenta eſt, ita non modo Fenelonus ab Aula, Franciæ Clero, ſuis agnatis, & Facultate Pariſienſi tanquam perniciosiſſimi libri Author acerbiſſime habebatur, imo ipſum ejus quoque mandatum velut captioſum minusque ſincerum carpebatur, ſed etiam omnes ejusdem Amici, eique faventes Regis gratia exciderunt; unde nemo ſeſe Feneloni amicum aut defenſorem profiteri audebat, exemplo per ſæculum & ultra haud audito in Archiepiſcopo generis nobilitate, vitæ innocentia, & eruditionis ubertate longe præſtantiſſimo.

§. LXXIV.

Humilis revocatio Patris Germani Beſcheferi.

Hujus celebratiſſimi Præſulis exemplum Pariſiis imitatus videbatur P. Germanus Beſcheferus Jeſuita. Hic die decima quarta Decembris in di-

Sæc. XVII. A. C. 1699.

sputatione publica, quam in sui Collegii Aula tenuit, hanc propugnavit Thesin: *Unum peccatum sæpe est pœna alterius peccati, non tamen per se, sed per accidens, quatenus nempe obcæcatione punitur, & obduratione, cum Deus prius desertus peccatorem deserit. Tres sunt desertionis gradus; Primus gratiam uberiorem, secundus minorem aliam, tertius vero omnem omnino excludit, peccata gravia primo & secundo desertionis gradu in hac vita puniuntur: nulla autem puniri desertione summa, ita ut Deus opem gratiæ omnem peccatori subtrahat, magis videtur opinioni Augustini congruere, & aperte docet Author libri de vocatione gentium. Eorum, qui ajunt peccatores nonnullos ita deseri a Deo, ut ab interiore illius luce penitus secludantur, & priventur omni motu; non una est opinio; alii enim errant, dum asserunt peccatori plane obcæcato, & indurato peccata nihilominus imputari, alii tolerabilius sentiunt, dum negant.*

Vix absoluta erat disputatio, cum illico non pauci hac doctrina offensi ad Noallium Parisiensem Archiepiscopum graves deferrent querelas: Hic ergo propositam thesin per suos Theologos exacte discuti præcepit, ex quorum judicio usque ad annum sequentem protracto, ut publicæ offensioni ex hac doctrina obortæ satis fieret, eam Jesuita retra-

retractare, mentemque suam declarare jussus est: Igitur Collegii Parisiensis Rectore, & Novitiatus superiore præsentibus Pater Germanus die tertia Aprilis coram Archiepiscopo palinodiam cecinit, ac plena submissione sequentem obtulit declarationem. Sæc. XVII. A. C. 1699.

„Delatis ad Illustrissimum ac Reverendissimum Ecclesiæ Principem Archiepiscopum Parisiensem querelis super quadam positione mea de obcæcatorum & obduratorum peccatis ex Thesi, quam die 14. Decembris Anni 1699. propugnavi: hanc mentis meæ explicationem eidem Illustrissimo Præsuli summa, qua par est, animi submissione obtuli, paratus deinceps, quoties occasio tulerit, quam maxima potero, obsequii mei argumenta pari cum fiducia, reverentiaque exhibere: ut intelligant omnes, quantum tribuam judicio, atque Authoritati Sapientissimi Antistitis, quem summo Ecclesiæ bono inter Sacræ Doctrinæ Custodes atque Interpretes Divina dispositio constituit.„

„Primum itaque profiteor, nunquam in ea me sententia fuisse, ut crederem eos, qui vocantur obcæcati, & obdurati, non peccare amplius, vel sua illis peccata minime imputari a Deo: imo me semper tenuisse, &

Sæc. XVII. A. C. 1699.

„nunc etiam tenere, ex Scriptura & „Patribus certo constare, quod pec„cent, & quod peccata illis imputen„tur. Simul agnosco positionem meam „ita generalibus verbis conceptam „fuisse, ut justam hujus explicationis „postulandœ causſam præbuerit.„

„Profiteor insuper, quantumvis mihi „persuasum sit, obduratos nequaquam „omni carere interiori gratia, quæ ad „implenda præcepta sufficiat, haud „propterea voluisse me ulla censura no„tare illos, qui nec pauci sunt, nec „infimi Nominis, Theologos e Catho„licis, quos contra in opinione æque „in Ecclesia permissa versari certum „est, neque cum in prædicta positione „dixi errare illos, aliud a me intel„lectum esse, quam quod fallantur.„

„Cujus sententiæ meæ pariter & sin„gularis adversus Illustrissimum ac Re„verendissimum Ecclesiæ Principem „obsservantiæ, ac submissionis, ipso be„nigne assumente perpetuum hoc ex„stare monumentum volui manu mea „subscriptum.„

P. Germanus Beschefer.

§. LXXV.

Sæc. XVII. A. C. 1699.

§. LXXV.

Pax Carlovizienſis inter Cæſarem & Turcas.

Germania per nuperas inducias utcunque pacata, Angliæ & Sueciæ Reges Batavique, ut Cæſarem ad pacem cum Sultano ineundam inducerent, nullum non moverunt lapidem; eapropter a Turcis, qui iteratis cladibus quidem fracti, præ pudore tamen pacem exorare horrebant, ſollicitati jam anno priori Legatos ſuos Conſtantinopoli Viennam decrevere, ut ibidem pro Turcis agerent: In medio victoriarum curſu Leopoldo intempeſtiva videbatur pacis tractatio; cum tamen ex adverſa Hiſpani Regis valetudine vicinam mortem, ac inde oriturum abſdubio graviſſimum bellum proſpiceret, dubium armorum ſucceſſum certæ paci poſthabuit. Conveniunt ergo apud Carlovitzium ignobile in Sirmiis pagum Mediatores, & quidem Cæſaris nomine Wolfgangus Comes Oettinganus, & Leopoldus Comes Schlikius, decernebantur a Polono Malachovius Palatinus Posnanienſis, a Moſcho Bogdanovizius, a Venetis Carolus Ruzzinus Eques, ab Anglis Guilielmus Pagettus & denique a Batavis Jacobus Colye-

Wagner Hiſt. Leop. lib. 10. *Theatr. Europ. t.* 15. *Hiſt. du Princ. Eug. tom.* 1.

Sæc. XVII. A. C. 1699.

Golyerius. Legatus a Sultano erat Reis Mehemet Effendi Imperii Ottomanici Cancellarius, qui a secretis habebat Alexandrum Scarlatum Mauro-Cordatum. Prosperi successus omen, auguriumque erat Turcarum promptitudo, qua nondum intellecto Oratorum adventu jamjam inducias promulgabant: patefacta hunc in modum pacis janua de utriusque partis conditionibus ac postulatis agi cæptum, ac præprimis Turcæ insperata impudentia Transylvaniam repetierunt; rejecta autem horum petitione acrior erat contentio de præscribendis Temesiani finibus, ubi tamen post diuturnas altercationes tandem conventum, ut Cæsari Transylvania asseratur & læva ripa Turcicum, dextera Cæsareum dominatum circumscribat: postea Cisdanubianus Sirmii limes ad Savii & Danubii ostia, necnon Croaticus ad Unnam descriptus est, & Caminecium cum Podolia & Uckrania Polonis assertum: Minus autem faciles sese Turcæ exhibebant Moscho Kerezam repetenti, quocirca hic insciis ceteris biennii inducias iniit, interim Constantinopoli de hac controversia transacturus: hunc quoque cuneum solvendo inextricabili nodo circa Peloponesium limitem adhibuere Veneti, ita tamen, ut pax a ceteris rata non

Sæc. XVII. A. C. 1699.

non haberetur, donec ipsi vel pace vel induciis transegissent, postmodum tamen data est eis Morea, Leocadia, Ægina, San-Maura, cunctaque loca per Dalmatiam usque ad Castellum novum occupata, Turcis reddito Lepanto. His ita conventis communi assensu vigesima secunda Januarii dies tanquam hujus negotiationis meta designabatur, ac demum composita de Dalmaticis finibus contentione Pax præprimis Cæsarea ad viginti quinque annos, dein Polonica, ac postremo Veneta a Conciliatoribus præfata die subscripta est. Ceterum in Religionis Catholicæ bonum nonnulla pariter sancita fuere, & quidem in articulo decimo tertio pacis cum Cæsare pactæ concluſum, ut hæc Religio ubicunque antea fuerit culta, etiamnum libere exerceretur, & quicquid a Sultanis unquam in gratiam Catholicorum vel ex pacto vel edicto indultum fuisset, denuo concessum intelligeretur, proin collapsas Ecclesias sarcire, divinumque cultum sine omni vexatione vel tributo etiam Palæstinæ exercere liceret. Eadem libertas pariter Catholicis asserta est in instrumento pacis inter Polonos, Venetos & Turcas stabilitæ. Hæc denique pax Viennæ promulgabatur, non sine ingenti omnium lætitia, cujus veluti præ-

Sæc. XVII. A. C. 1699

præsaga erat Wilhelmina Amalia Joannis Hanoverani Ducis Catholici Filia, ac Regia Josephi I. Romanorum Regis Sponsa, quæ die vigesima quarta Februarii Viennam solemni pompa ingressa erat.

§. LXXVI.

Calvinistarum tumultus in Galliis.

Gottfrid. Hist. cont. Chron. p. 541. l. 13. Briet. annal. cont.

Adhucdum Ludovicus XIV. Franciæ Rex Hugonotas ab erroris semita ad veritatis viam reducere conatus est, huncque in finem die septima Januarii edictum promulgari jussit, vi cujus omnes, qui e Gallilis profugerant, amplissimis pollicitationibus ad reditum sollicitabantur, illis vero, qui adhucdum sectæ suæ immortui in Francia hærebant, indicta triremium pœna die undecima Februarii inhibuit, ne Regno excederent: Non pauci tamen reperiebantur, qui aut pœnarum metu, aut melioris fortunæ spe fidem Catholicam se amplexos simulabant, clam tamen atque in secretis conventiculis Calvinianæ sectæ exercitiis vacabant: nullibi tamen majore impudentia Deo, Ecclesiæ, ac Principi suo insultarunt, quam Vectiæ inferioris Occidaniæ oppido; ad hanc enim urbem nundinarum occasione magno numero confluentes,

tes, in variis ædibus insuperhabito Magistratus interdicto conventicula agebant, rituque Calviniano sacris intererant, detecti autem a militibus ex improviso adventantibus unaomnes in fugam acti sunt, deprehenso nonnisi unico Prædicante, qui in carcerem raptatus est: Quamprimum vero Hugonotæ metu soluti e fuga redierant, mox insequenti nocte conjurationem inter se conflantes, armisque muniti carceres effringunt, ac Prædicantem suum inde liberant, tamque ingentem in urbe tumultum concitant, ut ægre Regiorum Ministrorum auctoritas, militumque terror fanaticos hosce pacis publicæ perturbatores compescere valeret: cumque ejusmodi conventus, seditiones ac tumultus Hugonotæ in omnibus ferme Provinciis excitarent, & tam pœnarum severitatem, quam benevolentiæ gratiam libere ac præfracte eluderent, ipsimet jus necessitatemque Regi imposuere, ut e Regno suo eliminaret religionem, cujus assecla omni tempore quietem publicam interturbare, calamitatesque, quibus hoc Regnum ob hujus sectæ intemperiem toties involvebatur, rursus inducere intenti essent.

Sæc. XVII. A. C. 1699.

§. LXXVII.

Sæc. XVII. A. C. 1699.

§. LXXVII.

Josephus Saenz de Aguirre Cardinalis obitus.

Dupin Bibl. nouv. Siecl. XVII. Niceron. t. 4. pag. 23. Mem. des Homm. Illust. t. 3. pag. 225.

Eodem hoc anno Purpuratorum Collegium luxerat insigne decus, Josephum Saenz de Aguirre Cardinalem. Hic Lucronii in Hispania ex nobili familia ortus a teneris totum sese pietati literisque dicabat, ac vitæ solitariæ desiderio incensus, Ordinem S. Benedicti in patria sua profitebatur. Eminuit inter suos integritatis ac sapientiæ præstantia: unde cuncta Ordinis sui munia gradatim emensus, atque ad Salmanticensem Cathedram promotus & laurea decoratus, Theologiam, sacrasque literas incredibili Auditorum applausu & frequentia per annos amplius viginti interpretatus est. Demum vero Salmanticæ Censor S. Inquisitionis necnon Abbas S. Vincentii Patrum suffragiis electus, ob præstantissimum librum suum de Cathedra Petri ab Innocentio XI. Presbyteris Cardinalibus accensebatur: nec tamen otiose Purpuram gessit, nec tunc eruditum suum calamum abjecit; quippe Siciliæ Regni Protector, in variis Patrum cætibus apostolica semper libertate suam sententiam exposuit, ac præclara eruditionis,

tionis, juſtitiæ, ac prudentiæ ſpecimina edidit, necnon Pontifici ſtimulum addidit, ut Michaelem Molinos, ejusque errores proſcriberet. Denique legationibus, aliisque pluribus in Eccleſiæ utilitatem præſtitis obſequiis inſignis, die decima nona Auguſti Romæ prope ſeptuagenarius ex apoplexia deceſſit, ſepultus ibidem in Eccleſia S. Jacobi Nationis Hiſpanicæ. Sæc. XVII. A. C. 1699.

Edidit notitiam Conciliorum Hiſpaniæ & novi Orbis, Collectionem maximam Conciliorum omnium Hiſpaniæ, epiſtolarumque decretalium, necnon plurium monumentorum ad illa ſpectantium cum notis & diſtinctionibus, defenſionem Cathedræ S. Petri adverſus declarationem Cleri Gallicani, Theologiam Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis commentariis illuſtratam, diſputationes de virtutibus & vitiis, Philoſophiam moralem & ſcholaſticam, ludos Salmanticenſes ſeu Theologiam florulentam, Defenſorium Gerſonis, tractatus de oratione & meditationibus S. Anſelmi & de Victore Chriſtiano in patriam pergente, commentaria in Ariſtotelem ad Nicomahum, præter plurima alia opuſcula. Adſcribitur etiam eidem tractatus *de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ* &c. *Authore N. C. S. Theologiæ D.* hoc tamn opus ex cal-

Sæc. XVII. A. C. 1699.

mo Nicolai Charas profluxisse, postea constitit.

§. LXXVIII.

Alphonsi Aquillar de Corduba Cardinalis extrema.

Aut. Bibl. Hist. Vid. supra pag. 446.

Hunc a summo Pontifice Innocentio XII. Romana Purpura fuisse decoratum, hoc autem anno nondum obtento suæ electionis diplomate Madriti anno ætatis suæ quadragesimo sexto decessisse, jam supra memoravimus.

§. LXXIX.

Joannis Delfini Cardinalis fata.

Palat. fast. Card. t. 4. Merc. Hist. de l'Ann. 1699. Vid. supra lib. 210. §. 66. t. 65. pag. 600.

Hujus quidem Cardinalis decessum ad Annum 1688. rejecimus, meliora autem edocti, errorem nostrum corrigimus: constat enim illum hoc anno Utini decessisse. Erat is ad Venetæ Reipublicæ nominationem Romana Purpura decoratus, atque ob suam prudentiam, rerum experientiam, eruditionem, pietatemque apud omnes ferme Principes & præcipue Galliarum Regem tanti habitus, ut post Alexandri VIII. obitum absdubio Pontificia Thiara honorandus crederetur; obstabant tamen vehementer Hispani, atque inter eos præprimis Negronius Car-

Cardinalis, qui scripto per Conclave divulgato Purpuratorum animos tam potenter a Delphino alienos reddidit, ut hi Ecclesiæ disciplinam labefactari, & numerosos ejusdem Affines Regiminis summam sibi solis vindicaturos veriti, unaomnes eadem nocte sua suffragia in alium transferrent: Delphinus tamen nihil inde commotus, relicta Urbe Romana Utinum secessit, ubi etiam annos natus octoginta duos obiit, relictis pluribus ingenii sui monumentis, inter quæ celebrantur ejusdem Dialogi de rebus naturalibus, & dissertationes in Tacitum de vita Agricolæ, in Salustii conjurationem Catilinæ &c. Sæc. XVII. A. C. 1699.

§. LXXX.

Septem Cardinales ab Innocentio XII. creati.

Præter hos adhuc alii duo Cardinales hoc anno obiere; horum ergo sedes impleturus Pontifex, septem Prælatos Sacro Purpuratorum Collegio die decima quarta Novembris adscripsit, quorum primus erat Nicolaus Radolowichus patria Neapolitanus, Chiariensis Archiepiscopus, quem Pontifex jam dudum in *pectore*, ut ajunt, asservabat, nominabatur Presbyter Cardinalis

Sæc. XVII. A. C. 1699.

ad titulum S. Bartholomæi in Insula. II. Josephus Arginto Mediolanensis, ibidemque Archiepiscopus, ac tum Apostolicus in Hispaniis Nuntius. III. Andreas Sancta-Crucius Romanus Anconitanus Archipræsul, & in Aula Cæsaris Nuntius Pontificius Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ de Populo. IV. Daniel Marcus Delfinus patria Venetus, Brixiensis Episcopus, necnon in Galliis Papæ Nuntius, Presbyter. Cardinalis tit. S. Susannæ, V. Marcellus d'Asti Romanus, Urbinatis Pro-Legatus Presbyter Cardinalis tit. S. Martini in Montibus. VI. Joannes Maria Gabrieli de Citte, Castelli natus; Congregationis Cistercienſium Præpositus Generalis, Presbyter Cardinalis tit. S. Pudentianæ. VII. Sperellus Sperelli patria Assisiensis, S. Officii Assessor, cujus electionem Papa primum die vigesima quarta Novembris promulgaverat: optabat Presbyter Cardinalis titulum S. Joannis ante Portam Latinam.

§. LXXXI.

Lutheranorum tumultus contra Catholicos Wormatiæ concitatus.

Theatr. Europ. t. 15.

Jam anno priori Catholici pro more in Ecclesia ad S. Joannem Wormatiæ die vigesima nona Decembris solemne

lemne celebrabant festum, ac publicam omnium Ordinum instructo agmine per præcipuas Urbis plateas incedentium Deo gratulationem habebant: quantocius Magistratus Lutheri secta imbutus id Catholicis inhibere præsumpsit, cum autem hi in suo Religionis exercitio turbari ægre ferentes, supplicationem minime interrumperent: mox Lutherani in Sanctissimum Sacramentum, quod circumferebatur, necnon in Catholicos illud comitantes saxa & lapides projecerunt, multosque vulnerarunt; hanc violentiam repellere haud poterant Catholici, utpote inermes, & nonnisi precatoriis suis coronis muniti, ubi vero rustici, qui Sacerdotis Sacram Hostiam deferentis latus utrinque stipabant, sclopos suos nullo globo oneratos, ut terrorem incuterent, in circumfusam petulantiorum turmam exonerarunt, tunc densissimus lapidum grando horrendis blasphemiis & convitiis intermixtus Catholicos misere dispersos, qua saluti locus erat, aufugere compulit. Aberat tum Franciscus Ludovicus Wormatiensis ac simul Wratislaviensis Episcopus, cui suprema in Urbem jurisdictio competit, ac Magistratus eidem quotannis in Cathedrali Ecclesia juramentum fidelitatis præstare tenetur, ad hunc igitur Canonici,

Sæc. XVII. A. C. 1699.

Sæc. XVII. A. C. 1699.

& Catholicorum Primores queſtum accedunt, qui totam illatæ injuriæ ac violentiæ ſeriem integra fide Principum Catholicorum Oratoribus Ratisbonæ congregatis expoſuit: inſuper Electoris Palatini Judices ac Prætores, qui Alzeiæ ſuam Curiam habebant, tantam Lutheranorum proterviam indignati, Senatoribus Urbis ſignificarunt, ut de violata publicæ plateæ ac commeatus libertate rationem reddituri, die decima ſeptima Martii Pledersheimii comparerent: Tum vero Lutherani, neſcio quæ privilegia, pacta, libertates, ac conventiones opponere, novitatem rei objicere, factumque excuſare, & quod ſemper eis magis familiare, culpam in Catholicos rejicere certabant, perinde acſi publicam violentiam, quam a nemine laceſſiti innoxiis intulerunt, ulla lex aut pactum honeſtare poſſet: nihilominus Proteſtantes in Ratisbonenſibus comitiis horum patrocinium in ſe ſuſceperunt, miſſisque Wratislaviam literis Epiſcopum rogarunt, ut Magiſtratus & Civium jura ſarta ſervare velit, pacemque ab inquietis quibusdam turbari haud permittat: His vero Epiſcopus pro ea, quam Catholicos Præſules decet, moderatione die vigeſima ſeptima Aprilis reſpondit, quod habita deprecantium reverentia, ac reddendæ

pacis

pacis ſtudio omnes injurias, convitia, violentias & damna Clero & Catholicis ob nuperam ſupplicationem illata condonare & vindictam, promeritasque pœnas remittere paratus ſit, dummodo Magiſtratus, ac civium Primores, prout antea petitum, criminis ſui culpam demiſſe deprecarentur: quo facto priſtina tranquillitas vix reddi cæperat, cum Lutherani ſtimulante fanatico ſectæ Zelo, Catholicosque opprimendi ardore novos tumultus biennio poſt concitarent. Sæc. XVII. A. C. 1699.

§. LXXXII.

Wormatienſis Capituli diſſidium cum ſummo Pontifice.

Levior quædam contentio hoc item anno exorta erat inter ſummum Pontificem & Wormatienſe Capitulum Cathedrale: occaſio autem inde nata eſt: Nominabatur ab Innocentio Papa ad præfatæ Eccleſiæ Canonicatum Jacobus de Boville, proſapia quidem Nobilis, natione tamen Gallus: hujus autem nominationi obſtiterat Capitulum Cathedrale, eoquod hujus Eccleſiæ ſtatutis cautum eſſet, nullum, niſi natione Germanum, ac vetuſta ejusdem Nationis nobilitate conſpicuum aſſumi poſſe: Lis ad Bennincaſam Papæ Vicarium

Sæc. XVII. A C. 1699. carium defertur, ſententia autem in favorem præfati Jacobi pronuntiatur, ejusque executio Canonicis ſub anathematis Pontificii comminatione injungitur: his autem juri ſuo firmius inſiſtentibus, Remalcus Fabri Ord. S. Benedicti Malmedienſis Abbatiæ Prior, nequidem exſpectato Pontificis mandato die octava Junii præfatum Capitulum Cathedrale in Eccleſia ſua ſacro fulmine percuſſit: Huic ſententiæ ulterius obſiſtere ſibi religioni ducebant Canonici, qui etiam datis literis Moguntinum & Trevirenſem Archiepiſcopos, ceterosque Catholicos Imperii Principes interpellabant, quatenus Eccleſiæ reconciliari, a ſummo Pontifice impetrarent: quo obtento hac in re nil ultra actum eſt.

§. LXXXIII.

Sacrarum Congregationum deciſiones.

Cum hoc anno Innocentius XII. Papa crebris afflictaretur morbis, præter Bullam contra Fenelonium vix alia reperitur; ejus tamen juſſu atque auctoritate Sacræ Congregationes plura promulgarunt decreta, & quidem die vigeſima prima Februarii Sacra Rituum Congregatio declaravit, quod ſi Epiſcopus Roccheto indutus ad adorandum San-

Sanctiſſimum Altaris Sacramentum Regularium Eccleſias accedit, hi genuflexorium cum ſtrato & pulvinari eidem præparare tenerentur, & ſi id denegarent, cenſuris adſtringi poſſent: nulla autem Canonicorum aſſiſtentia Epiſcopo debeatur, ſi ad Eccleſiam Rocheto indutus accedit vel Concionem audit, ſecus vero quando cum Paramentis Sacris incedit. Accuſabantur Piſtorienſis & Pratenſis Eccleſiæ Parochi, quod ob diverſitatem opinionum Sacrum pro populo in diebus feſtivis applicare negligant, igitur propoſita fuerat Sacræ Concilii Congregationi hæc quæſtio: *An Parochus Miſſam celebrare, & applicare teneatur pro Parochianis, in diebus Dominicis & feſtis ſive habeat congruam ſive non*, die autem vigeſima quarta Aprilis reſponſum eſt, confirmante Pontifice, eum teneri: Promulgavit etiam Pontifex pro futuro anno Jubilæum univerſale, conſuetas tamen cæremonias pro aperienda Porta Sancta ipſus ob gravem corporis infirmitatem obire haud poterat, quocirca Cardinale Cibo Collegii Decano pariter decumbente, Cardinalis Bullionius Pro-Decanus hoc munere die vigeſima Decembris functus eſt, plusquam quinquaginta Peregrinorum millibus jam tum præſentibus. Die autem vi-

Sæc. XVII. A. C. 1699.

Sæc. XVII. A. C. 1699.

gesima prima Martii a S. Rituum Congregatione decisum legimus, quod Regulares obtenta ab Ordinariis licentia instituendi supplicationes per oppida, si statuam aut alicujus sancti reliquias circumferunt, uti possint Pluviali, licet id in licentia non fuerit expressum. Eodem ferme tempore summo Pontifici nuntiatum, Jesuitas e Siamensi Regno ejectos, ac Pondicherium profugos, ibidem Malabaricas Parochias Capuccinis eripuisse, in Sinis vero acrius quam unquam circa ritus sinenses decertari: utrumque ergo hoc negotium Pontifex in speciali Congregatione serio discuti jussit. Die autem undecima Aprilis S. Concilii Congregatio decidit, quod Theologo & Pœnitentiario Canonicis non competat præcedentia super alios Canonicos, non obstante consuetudine contraria: Eadem quoque Congregatio die decima sexta Maij declaravit, quod Episcopi non possint pœnam excommunicationis latæ sententiæ infligere contra Clericos negotiatores, possint tamen servata Concilii forma in Regulares animadvertere, qui in privatis Domicellarum Oratoriis Missas diebus exceptis, vel postquam eadem die ibi jam celebrata est Missa indulta, celebrant: Præterea die undecima Julii a S. Congregatione Rituum

tuum deciſum eſt, quod Canonici in celebratione Miſſæ non poſſint uti candelabro minori, ſervanda tamen ſit conſuetudo, qua Regulares vel Confraternitates, non obſtante diſtantia unius milliaris ad Proceſſiones convenire conſueverunt: dignitates autem nunquam debeant Canonicis celebrantibus inſervire. Pariter in favorem Capituli Collegiatæ Civitatis Foggianæ Sacra Concilii Congregatio die decima quarta Novembris reſpondit, ob aeris intemperiem tolerari poſſe, quod Matutinum non ab ortu ſolis, ſed hora integra poſt ſolis ortum incipiatur. Denique die octava Decembris Sacra Inquiſitionis Congregatio cenſuit, quod illi, qui anathematis ſchedas lacerant, aut deturpant, graviter peccent, utpote cenſurarum contemptores, proin tanquam de hæreſi ſuſpecti a S. Officio puniri valeant.

Sæc. XVII. A.C. 1699.

§. LXXXIV.

Principum atque Illuſtrium obitus.

Inter plures Principes hoc anno defunctos ſummi doloris argumentum, ac turbandæ rurſus Europæ prodromus exſtitit funeſta mors Joſephi Ferdinandi, qui Bavariæ Electoris Filius primogenitus, atque ab Hiſpaniæ Rege ditionum

Mem. Hiſt. & Chronol. La Clerc t. 3. p. 431. Theatr. Europ. t. 15.

Sæc. XVII. A. C. 1699. num ſuarum Regnorumque Hæres deſignatus, ex levi aliquot dierum morbo non ſine propinati veneni ſuſpicione Bruxellis die ſeptima Februarii deceſſit. Non minori luctu parentabatur Ulyſſipone Mariæ Sophiæ Eliſabethæ Petri Luſitani Regis Conjugi, quæ ſingulari in Deum pietate, & amantiſſimæ indolis prærogativa inſignis, in ipſo ferventis ætatis flore triginta trium annorum die ſecunda Auguſti obiit. Sequentis Menſis die ſecunda ibidem ultimam diem Hafniæ clauſit Chriſtianus V. Danorum Rex anno ætatis ſuæ quinquageſimo tertio. Princeps erat otii pacisque impatiens, unde doloſa Holſato - Gottorpienſis Ducis detentione bellum in proprias terras ſuas induxit, ex quo parum gloriæ, multum damni, & præter bellandi ſatietatem nil emolumenti retulit. Succeſſorem habuit Fridericum IV. Filium ſuum. Die autem octava Septembris Mutinæ mortalitatem exuit Lucretia Barbarina Palæſtrinæ Ducis Filia, & Franciſci Eſtenſis tertia Conjux, necnon Rainaldi Mutinenſis Ducis Mater: Præter hos inſuper fatis ceſſere Georgius Erneſtus Princeps Saxo - Meiminganus, Carolina Joanna Saelfeldenſis Ducis conjux, Chriſtina Wirtenbergenſis Duciſſa, ac ipſemet Dux Georgius, necnon

non Albertus III. Saxo - Coburgensis Dux. Sæc. XVII. A. C. 1699.

§. LXXXV.

Synodi Metenſis Diœceſanæ decreta.

Hoc item anno Henricus Carolus du Chambout de Coislin Metenſis Epiſcopus die prima Julii Synodum Diœceſanam congregavit, in qua ſtatuta & Canones a Prædeceſſoribus ſuis editos atque in unum volumen compilatos rurſus innovavit, promulgavitque & habita præſentis temporis ratione addidit quædam, ex quibus præcipue ſequentes Canones notari merentur: ſtatutum igitur; ut dierum, qui ex feſtis Proſeſti facti ſunt, officia peragantur, nihilque pro eorum celebratione exigant Parochi. 2. Parochianis injunctum, ut Miſſæ Parochiali ſaltem ex tribus Dominicis uni adſint. 3. Prohibitum, ne ſupplicationes extra Parochiæ fines fiant. 4. Ne unctiones fiant intincto pollice, ſed bacillis ex ſtanno vel argento in eum uſum comparatis, 5. declaratum, ut ſi quis noluerit proprio Parocho confiteri in Paſchate, petat ab eo facultatem ſine ulla difficultate concedendam, confitendi alteri Sacerdoti approbato, a quo teſtimonium confeſſionis ſuo Parocho con- *Concil. Germ. tom. 10.*

Sæc. XVII. A. C. 1699.

consignet. 6. Præceptum Parochis, ne pueros septennio majores sine confessione mori sinant. 7. Ut imagines risum potius quam devotionem excitantes in Ecclesiis non permittant, & vestibus indecoris indutas exuant, cum nimiam simplicitatem & rusticitatem redoleant. 8. Decernebantur honoraria pro Parochis, ubi statutum, quod pro S. Viatico, extrema unctione, sacramento pœnitentiæ & sepulcro effodiendo in cæmeterio, nihil exigant. 9. Sine necessitate vel licentia carnibus vescentes in diebus jejunii Sacramento Eucharistiæ in Paschate priventur.

§. LXXXVI.

Scriptorum religione Catholicorum decessus & opera.

Dupin Bibl. des Auth. t. 18. p. 197. Journal des Scavans l'An. 1686. Niceron t. 1. pag. 449. & tom. 10. pag. 364. Vid. t. 64. pag. 420. & 699.

Currente anno pluribus doctrina, ac scientiarum conspicuis Scriptoribus invida mors calamum excussit, quos inter æterna memoria dignus est Antonius Pagi Ord. FF. Minorum S. Francisci, qui quatuor tomis criticum Historico - Chronologicum in Annales Card. Baronii edidit unacum dissertatione Hypatica de Consulibus Cæsareis, quæ a suo Nepote P. Francisco Pagi itidem Minorita suæ Historiæ adjecta fuit,

fuit, scripsit etiam Dissertationem de Consulatu Imperatorum Romanorum, præter sermones de sanctis & diversis, necnon vindicias Regularum Coss. Cæsareorum. Obiit die quinta Junii annos natus septuaginta quinque. II. Joannes Gerbais Sorbonæ Doctor, ac Regius Professor, de cujus fatis jam sæpius mentionem insperſimus: Edidit instante Clero Gallicano suam dissertationem de causſis majoribus ad Caput Concordatorum de causſis, cum appendice quatuor monumentorum, quibus Ecclesiæ Gallicanæ libertas circa Episcopalium judiciorum formam vindicatur, quod tamen opus ab Innocentio XI. Anno 1680. die decima Octava Decembris proscriptum fuit: Insuper typis vulgavit ordinationes universi Cleri Gallicani circa Regulares, tractatum pacificum potestatis Ecclesiæ & Principum circa impedimenta matrimonii, epistolam ad insignem Virum circa comœdias contra P. Caffaro Theatinum, epistolas tres ad Benedictinum circa peculium Religiosorum ad Parochias vel Episcopatus evectorum, tractatus Panormitani circa Concilium Basileense, & epistolam ad Nobilem Matronam circa vestium ornamenta. Decessit Gerbaisius die decima quarta Aprilis annos natus septuaginta. III. Ludovicus Ferrand

Sæc. XVII. A. C. 1699.

Sæc. XVII. A. C. 1699

rand Parisiensis Senatus Advocatus elucubravit Conspectum sive synopsin libri Hebraici, qui inscribitur: *Annales Regum Franciæ & Regum Domus Othomanicæ*, reflexiones in religionem Christianam circa Prophetias Jacobi & Davidis de Adventu Messiæ, Commentarium in Psalmos, responsionem ad Apologiam pro reformatione, reformatoribus & reformatis, tractatum de cognitione Dei, de matrimonio, de Trinitate & de creatione mundi, præter duas epistolas, in quibus ostendit Sanctum Augustinum fuisse Monachum. Vivere desiit sexagenario major die undecima Martii IV. Claudius Etiennot Benedictinus Congr. S. Mauri scripsit Fragmenta Historica circa Provinciam Aquitaniæ, Antiquitates Benedictinas in Diæcesi Bituricensi, seu fundationes Asceteriorum, Abbatum &c. Abbatissarum catalogos, & chronicon Cazalense. V. Franciscus Feu Theologiæ Doctor Parisiensis Facultatis elucubravit duos Tomos cursus Theologici, opuscula de Missa Parochiali, de Eucharistia pro Neo-conversis, & Horas Divinas. VI. Vincentius Placcius scripsit de scriptis & Scriptoribus Anonymis, & Pseudonymis, de Pseudo-magnanimitate Aristotelica, de existimatione, censuraque mentium alienarum,

Philo-

Philosophiam moralem, de necessitate revelationis Divinæ, de actionibus, de immortalitate animæ naturaliter demonstrata, de arte excerpendi, de inclinatione hominis ad pacem, non ad bellum, de jure naturali usurarum, pluraque alia. Sæc. XVII. A. C. 1699.

§. LXXXVII.

Quidam Scriptores Acatholici hoc anno denati, eorum lucubrationes.

Ex Scriptoribus Acatholicis obiit, I. Franciscus Mercurius de Helmont, qui scripsit cogitationes super quatuor prima capita Geneseos, alphabetum naturæ & nonnulla alia. II. Joannes Henricus Knoblach posteris reliquit tractatum de Apide Ægyptiorum idolo, de effigie Jesuitarum a Thuano expressa, de excidio Antichristi 2. Thess. 2. v. 8. prænuntiato, & vindicias Bibliæ Lutheri. III. Georgius Henricus Hæberlinus vulgavit specimen Theologiæ practicæ, tractatus varios de benevolentia Dei generali & speciali, de principio fidei seu Scriptura Sacra, de unione Sacramentali, de justificatione hominis, de unione fidelium cum Christo, de Sacramento Initiationis, de Chiliasmo hodierno, de satisfactione Christi, *Lud. Schol. Hist.*

Sæc. XVII. A. C. 1700.

de tolerantia Christianorum fratrum, de Papismo irreconciliabili, Conspectum locorum Theologicorum: Theologiam Corinthiacam, Calicem Eucharisticum, jus Dei in creaturas, fœdus operum, Philantropiam Dei, pluraque alia. IV. Joannes Lansdacius scripsit Jonam, Joelem, & Obadiam illustratum, Biblia Hebraica, Philologum Hebræum, Synopsin Hebraicam, & Chaldaicam, compendium Biblicum, Novum Testamentum Græcum, clavem Græcam novi Testamenti, & alia quædam opuscula.

§. LXXXVIII.

Sorbonæ censura contra Religionem Sinensium.

Gonzalez relat. de la Persec. de la Chine p. 12. Lettr. Hist. Argentré Coll. Jud. t. 3. p. 156. Briet. Annal. cont. p. 1003.

Ineunte anno Domini millesimo septingentesimo Romæ in Generali Congregatione Romanæ Inquisitionis majori, quam unquam ardore agitata est controversia de veneratione Confucii Philosophi Sinensium Legislatoris, defunctorumque parentum: Habebantur crebræ consulationes circa dubia ex Maigroti Vicarii Apostolici decreto extracta, necnon circa varios hujus gentis usus, ac ritus, quos aliqui tanquam superstitiosos omnino damnandos, alii vero ut cultus mere politicos Neophytis per-

permittendos esse censebant: Inde vero tam Romæ, quam alibi excitabatur scribillandi prurigo, & quamplurimi, velut muscæ turbido tempore acrius mordentes, calamo mordaci, ac dente maledico aut horum rituum assertores, aut illorum adversarios pro suo quisque affectu vehementius carpebant, pariter Cardinalium studia acuebat Sinensis Imperatoris epistola, a plurimis Sinensibus subscripta ac juramento firmata, & a Jesuitis Romam missa; hi enim hoc anno Imperatori libellum supplicem porrigebant, in eoque controversos ritus tanquam licitos depingebant, atque ab eo responsum eorum desideriis propitium obtinebant, summo Pontifici exhibendum. Augebatur autem præprimis contentionis ardor, dum quidam Jesuita ex Sinarum Imperio reversus, *Historiam de edicto Imperatoris Sinensis* ante biennium Parisiis eo fine edidit, ut Societatis suæ Missionarios de iis, quæ ad gentis hujus genium & veteranos cultus spectant, instrueret: Jam vero ibidem alius liber, cui titulus: *relatio de Statu præsenti Sinensis Ecclesiæ* anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo, & demum hoc anno Leodii quædam epistolæ de ritibus Sinensibus in Societatis favorem prodiere: cum au-

Sæc. XVII. A. C. 1700.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

tem in illis propositiones gravi censura perstringendas reperiri, non pauci crederent, ac præcipue Auctor Historiæ incautius Sinensibus talis probitatis cultum attribueret, ut per bis mille annos veram in Deum naturali lumine cognitum fidem conservasse crederentur, proin hujus gentis saluti Sanguis Christi, ejusque merita velut inutilia fuisse viderentur, hinc contra hunc errorem, pluresque alios in præfatis libris contentos præ ceteris acrius Clerici Congregationis Missionum exterarum insurrexere, ac Mense Aprili ad summum Pontificem epistolam ab omnibus hujus Congregationis Sacerdotibus subscriptam transmiserunt, in qua acerbissimis verbis in Societatem invehentes, apud Sacram Sedem quasdam propositiones ex præfatis libris extractas denuntiarunt, hancque epistolam suam Sorbonæ Doctoribus in pleno consessu exhibuerunt: quapropter die prima Julii Salomon Prioux Facultatis Theologicæ Doctor in Sorbonæ comitiis prædictos tres libros detulit, exposuitque, quasdam propositiones censoria animadversione dignas in iis reperiri: mox igitur petente Guilielmo Le Bas præfatæ Facultatis Syndico, octo Sorbonæ Magistri nominantur, qui hosce libros attente pervolverent, sedulo

Sæc. XVII. A.C. 1700.

sedulo examinarent, ac desuper proxime referrent. Hi demum privatis, pluribusque consultationibus per integrum mensem inter se habitis multa in his libris reprehensione digna reperiri censuere, quapropter Abbas de Boileau ex hisce Deputatis antiquior quasdam propositiones ex præfatis libris excerptas unacum censurarum notis, quibus essent perstringendæ, exhibuit, easque communi judicio, ac concordi consensu damnandas esse retulit, hæc subjungens: *Res Facultati est cum secta hominum literatorum, quibuscum collidi, Sorbona semper horrori habuit, hi etiam Regem sua malitia. & Principes suis mendaciis hucusque lactarunt* &c. Nimis acerba erat hæc oratio, quapropter Du-Mas Sorbonæ Doctor, dum Syndicus circa Deputatorum relationem suffragia colligi petebat, vehementer sese opposuit, caussatus, hasce propositiones jamjam ad summi Pontificis Tribunal delatas fuisse: nihilominus plurimorum calculo decisum, in examine inchoato ulterius esse procedendum. Habentur ergo triginta omnino congregationes, quin Jesuitæ caussam suam defendere solliciti essent: tandem vero quasdam harum propositionum explicationes in Sorbonæ comitiis exhibuerunt: ast sero nimis; quippe die decima octava Mensis

Sæc. XVII. A. C. 1700. Octobris centum sexaginta Doctores suas pronuntiarunt sententias, ac quinque propositiones ex præfatis libris excerptas, omnino damnandas censuerunt, subjectisque censuris perstrinxerunt.

Erant autem propositiones sequentes.

I. „Sinensis populus veri Dei cogni„tionem ferme per bis mille annos con„servavit, tantoque fervore coluit, ut „Christiani non modo, quod imitarentur, „sed & quo instruerentur, haberent.

Censura. Hæc propositio est falsa, temeraria, scandalosa, erronea, sanctæ religioni Christianæ injuriosa.

II. „Si Judæi gloriari poterant, quod „Deo Templum longe ditissimum ac „magnificum præsentia & Redempto„ris precibus sanctificatum consecrarint, „non minus glorioſum est Sinensibus, „quod Templum totius Orbis antiquis„simum Creatori consecrarint.

Censura. Hæc propositio est falsa & temeraria.

III. „Non minus pura erat Sinensium „doctrina Moralis, quam eorum Re„ligio: Sinenses purissimas morum le„ges conservarunt, dum interea Eu„ropa, & totus ferme mundus in er„rore & corruptione contabuit: Veri „Dei cognitio, quæ per plura sæcula „post Kam-Vam Imperatoris regimen, „&

„& valde probabiliter diu poſt Confu- Sæc. XVII.
„cium perduravit, non in primæva ſua. A. C. 1700.
„puritate conſervabatur; tandem enim
„Idololatria animos corrupit, indeque
„tanta erat morum pravitas, ut fides,
„cum deinceps nonniſi majoris mali
„occaſio eſſet, juſto Dei Judicio a Si-
„nenſibus auferretur.„

„Præter internum cultum etiam
„minimos ritus exteriores ſumma re-
„ligione exercebant.

„Tchouen - Hio quintus Sinarum
„Imperator Presbyteros ſeu Mandari-
„nos Eccleſiaſticos in variis Provinciis
„nominabat, ut ſacrificiis præeſſent.

Confucius ad Filium ſuum dixit: Sancti primum rebus facilioribus aſſuevere.

„Quondam hujus Regionis Philo-
„ſophus Confucio dixit: Tu es cujus-
„dam ſancti Nepos.

„Confuccius ſuum Avum, qui tum
„in odore Sanctitatis vixerat, in omni-
„bus imitari ſtuduit: mortuus ab uni-
„verſo Imperio lugebatur, & ab illo
„tempore tanquam Sanctus eſt ho-
„noratus.

„Ob ejus humilitatem & modeſtiam
„non tam Philoſophus per rationem
„efformatus quam Homo a Deo ad re-
„formandum novum hunc mundum
„inſpiratus credebatur.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

„Refertur, quod Conjux Tiko Si-„narum Regis, cum infæcunda esset, „durante Sacrificio a Deo prolem tanto „ardore petierit, ut paucis post diebus „conciperet, & postea filium eniteretur, „ex cujus familia quadraginta Sinarum „Imperatores numerati sunt.

„Hæc Principis pietas cælum com-„movit, & aer nubibus gravis tempore „opportuno mox pluviam tam copiosam „dedit, ut abundantissima messis esset.

„Vou - Vam tertiæ stirpis Fundator „juxta veterem morem ipsus Sacrificia „obtulit, & ejus Frater coram Divina „Majestate prostratus pro ejus sanatione „oravit, vitamque suam in Sacrificium „Deo obtulit, dummodo ejus frater „sanitati restitueretur; exauditus a Deo „post has preces mortuus est.

„Hoc exemplum manifeste probat, „quod Religionis spiritus apud Sinenses „fuerit conservatus, & quod ibidem „adhuc observarentur principia puris-„simæ charitatis, quæ perfectio & cha-„racter Religionis est. Sinenses vete-„res erant pleni cognitione, ausim di-„cere, Spiritu Dei.

Censura. Doctrina his propositioni-bus contenta, quatenus moralis Di-sciplinæ puritatem, morum sanctitatem, fidem, cultum Dei veri internum, & ex-ternum, Sacerdotes, sacrificia, Sanctos,

ac

ac homines inſpiratos a Deo, mira- Sæc. XVII.
cula, ſpiritum Religionis, puriſſimam A.C. 1700.
charitatem, quæ Religionis eſt perfectio & character, & ſi auſim dicere, *inquit Auctor*, Spiritum Dei apud Sinas olim per duo annorum millia vel amplius permanſiſſe dicit, falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, impia, Verbo Dei contraria, hæretica, Chriſtianæ fidei & Religionis everſiva, virtutem Paſſionis Chriſti & Crucis ejus evacuans.

IV. „Sinenſes de prudenti gratiarum „diſpenſatione inter univerſi Nationes „facta non habent, quod querantur; „non enim alia eſt natio, quæ amplio„res gratias recepit.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria, erronea, & Verbo Dei contraria.

V. „Sinenſis Imperator religionem „Chriſtianam non reſpiciat tanquam „alienigenam, quia quoad ſua principia „& articulos fundamentales eſt eadem „cum veteri religione, quam literati „& primi Imperatores Sinenſes profeſſi „ſunt, adorantes eundem Deum, quem „Chriſtiani adorant, & cum ipſis agno„ſcentes Deum tanquam cæli terræ„que Dominum.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa & erronea. Pronuntiata hac cenſura Facultas decla-

Sæc. XVII. A. C. 1700. rabat, *ſuæ mentis non eſſe, probare cætera, quæ in præfatis libris continentur.*

§. LXXXIX.

Cleri Gallicani comitia.

Vid. ſupra §. 37. pag. 415. Argentre l. c.

Habebat hoc anno Clerus Gallicanus ſolemnem Conventum Pariſiis in Palatio Regio S. Germani, in cujus auſpiciis ſequentem epiſtolam encyclicam ad Cardinales, Archiepiſcopos, univerſumque Clerum directam die prima Octobris promulgarunt: „Exſtitit „is pridem decor Chriſtianæ Diſcipli„næ, quam Beatus Paulus cap. 4. Epi„ſtolæ ad Philippenſes commendaret „his verbis: *de cætero fratres, quæcun„que ſancta, quæcunque bonæ famæ, ſi quia „virtus, ſi qua laus diſciplinæ hæc cogi„tate.* Hæc enim eſt illa pulchritudo „juſtitiæ; hoc veri ſtudium; is ſpendor „Sanctitatis; hæc amabilitas morum; „hæc Chriſtiani nominis fama, quæ „ad Chriſtum omnia facile pertraheret; „neque aliud fuit, quo ſcandalum Cru„cis, quo prædicationis ſtultitia magis „nobilitari poteſt. Quare, cum ad ex„trema ventum eſt tempora, in quibus „decor priſtinus, imminuta fide, re„frigeſcente charitate, labente diſci„plina, morum corruptelis, ac denique, „ut fit, fallacium opinionum illuvie „de-

„deleri videbatur; id egerunt omnes „pii, atque ipsa præsertim Ecclesia „Gallicana, ut moralis Theologiæ di„gnitatem vindicarent. Huic igitur „operi, ut jam vel maxime salutares „admoveatis manus, & nostra judi„cia vestra consensione firmetis, com„munis officii ratio, & Charitatis vin„culum, & Collegii nostri unitas, & „auctoritas suo quodam jure postulant. „Et quidem doctissimæ ac celeberrimæ „Theologicæ facultates, maxime vero „Parisiensis cum Lovanienſi conjuncta, „etiam interrogantibus Episcopis, pro „officio suo glisscentem novandi libidi„nem repressérunt. Compresbyteri quo„que nostri Parochalium Ecclesiarum „Rectores, cæterique Doctores in am„plissimis civitatibus constituti, ad no„stra usque tempora non cessarunt ex„altare vocem suam in plateis Sion, at„que Episcopos in altiore specula col„locatos assidue efflagitationibus inci„tarunt; qui quidem eorum vocibus, „& ipsa rei necessitate commoti pro loci „sui auctoritate, valentiore manu *gla„dium spiritus* assumpserunt, *quod est* „*verbum Dei*, ad dirumpenda *Cervicalia*, „*& pulvillos* inani arte consutos *sub omni* „*cubito manus;* ne infelices animæ in „morte obdormiscerent, ac per falsæ „pacis somnium ad æterna supplicia „ra-

Sæc. XVII. A. C. 1700.

„raperentur. Neque tantum fratres „noſtri, Apoſtoli Eccleſiarum, gloria „Chriſti, in ſuis quisque diæceſibus „aſcenderunt ex adverſo, ſed & pleni„tudo exercitus Iſrael, ipſi nempe con„ventus Cleri Gallicani, in Chriſti no„mine rite adunati, de fide & moribus „ediderunt præclara conſtituta, gra„vesque Cenſuras, quarum haud exi„guam partem commemorandam, re„petendamque cenſuimus. Nec tacere „poſſumus, religioſiſſimi Patres, me„morabilem ſententiam, qua maximus „& doctiſſimus cætus Anno 1655. & „ſequentibus, Pariſiis congregatus, „graviſſimo judicio ſuo condemnavit „perverſam, ac falſi nominis ſcientiam, „qua inſtructi homines *non jam accommodarent mores ſuos ad Evangelicæ Doctrinæ normam, ſed & ipſam potius regulam, ac ſancta mandata, ad cupiditates ſuas inflecterent, & detorquerent, novaque inani Philoſophia Chriſtianam diſciplinam in Academicas quæſtiones ac dubias, fluctuantesque ſententias verterent.* Hæc illi: qua „ſententia verſatilem illam, ac noxiam „opinionum flexibilitatem, hoc eſt, „ipſum mali caput conterebant. Illud „vero judicium, ſancti *Caroli Borromæi* „commonitionibus ad Miniſtros Pœni„tentiæ datis præfixum, ad collegas „ſuos Eccleſiarum Gallicarum Epiſcopos „trans-

„transmiserunt, ac deplorata sæculi Sæc. XVII.
„cæcitate id quoque indoluerunt, quod A. C. 1700.
„in ipso comitiorum exitu oppressi ne-
„gotiis, congrua medicina grassantes
„morbos propellere non potuerint. Qui-
„bus sane verbis ea remedia non omi-
„sisse prorsus, sed in opportuniora tem-
„pora distulisse, eamque provinciam
„secuturis conventibus demandasse visi
„sunt. Hanc paternam velut hæredi-
„tatem Cleri Gallicani cœtus An. 1682.
„Parisiis congregatus exceperat, sed
„Conventu interrupto, ne salutaris Con-
„silii memoria intercideret, Sapientis-
„simi Patres pravarum Propositionum
„Indiculum texuerunt, antequam di-
„scederent, ac per Ecclesias mitti vo-
„luerunt, ut futuris conventibus velut
„digito indicarent, quid tum Gallicana
„pararet Ecclesia, aut quid a posteris
„exspectari par esset, Ex his profecto
„liquet, Episcopis Gallicanis ad Dei
„gloriam semper intentis, non animum
„unquam, sed opportunitatem defuisse,
„quam nacti occulta quadam divini Nu-
„minis providentia opus in manus re-
„sumpsimus, hoc vel maxime tempore,
„quo fratres nostri a fide Catholica de-
„vios, Maximo Rege præeunte, revo-
„care nitimur ad Ecclesiam, cum nihil
„sit, quo magis optimi ac Religiosissimi
„Principis studia adjuvare possimus,
„quam

Sæc. XVII. A. C. 1700.

„quam si demus operam, ut Christia-
„næ de moribus Regulæ Castitas &
„honestas, magis magisque in dies,
„nec tantum decretis atque sententiis,
„verum etiam factis, & executione eni-
„tescat; quippe qua vel maxime ad
„Christum omnia trahi, atque etiam
„infideles ab extremo orbe ad fidem
„converti solere diximus. Nec defutu-
„ram speramus Ecclesiæ laboranti eam,
„quæ semper adfuit, Regiam auctori-
„tatem. Extant nostris temporibus
„(seu Anno 1644.) Rege ipso præsente,
„Regii Consilii suprema judicia de
„coercendis erroribus, qui ad Ecclesiæ
„ac Reipublicæ exitium publice doce-
„rentur, castigatis quoque, ac repres-
„sis eorum Auctoribus. Neque quid-
„quam est boni utilisque consilii, quod
„*Ludovici Magni* temporibus non ex-
„spectari possit; aut est quidquam hu-
„jus Regni gloriæ ac splendori con-
„gruentius, quam, ut Religionis &
„Disciplinæ puritas Sanctitasque flo-
„reat. Hujus ergo rei gratia nos in
„Spiritu sancto, & in Christi nomine
„adunati, ejusque ope freti; non tam
„novum opus aggredimur, quam sancta
„decreta, quoad fieri potuit, colligi-
„mus, ordinamus, adhibitis notis,
„certisque principiis indicatis, quibus
„instructi cooperatores nostri Sacra-
„men-

„mentorum adminiſtri, errores ſubinde „in Eccleſia renaſcentes non modo per- „ſpicere, ſed etiam facile confutare „poſſint. Hoc opus non tam noſtrum, „quam veſtrum, veſtris quippe auſpiciis, „veſtro ſpiritu geſtum, Sanctiſſimi, & „Religioſiſſimi Con - Sacerdotes, ve- „ſtræ pietati, Veſtræ fidei commenda- „mus, hoc in tutela, præſidioque ve- „ſtro ponimus, hoc fidele depoſitum „cum cæteris egregiis Monumentis ve- „ſtrorum cætuum componendum, & „in communes Eccleſiarum uſus adhi- „bendum relinquimus, ut in Chriſto „Jeſu, quo uno confidimus, Eccleſiæ „Gallicanæ, imo etiam Catholicæ glo- „ria inclareſcat. Valete in Domino.„

Sæc. XVII. A. C. 1700.

§. XC.

Hujus Conventus decreta.

Horum Præſulum ſollicitudinem præcipue occupabat laxioris doctrinæ eliminandæ ſtudium, quapropter præter quamplurimas propoſitiones jam a ſummis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. proſcriptas, inſuper alias poſt horum Pontificum deceſſum a Janſeniſtis & laxioribus Caſiſtis in Francia diſſeminatas cenſuris confixere: *Eoquod*, inquiebant Præſules, *incredibile dictu ſit ex peſſimis principiis, tota licet*

Sæc. XVII. A. C. 1700.

licet reluctante Ecclesia, quanta malorum incrementa provenerint; subtilioribus ingeniis in id unum intentis, ut eo quisque se vel maxime Theologum videri velit, quo plura ejusmodi inventa in probabilitatis auctoritatem adduxerit. Verum, hæc constabilire, aut per eam speciem mentes infirmorum in falsam & noxiam securitatem inducere, nihil est aliud, quam animas perdere, ac doctrinas, & mandata hominum, vanasque traditiones, exemplo Pharisæorum, divini mandati loco obtrudere. Quare tot errorum experientia victi, necesse habuimus, ipsam malorum radicem exscindere, eam scilicet opinandi rationem, quæ ignota sanctis Patribus, tanta de rebus maximis dissidia peperit, &c.

Præmissa hac exhortatione Præsules Gallicani in centum viginti septem ejusmodi propositiones censuram vibrarunt; ac præprimis inter has damnarunt sequentes, quarum prima erat: *Axioma illud*: facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam, *non modo verissimum, & sanctis literis, Conciliis & Patribus maxime consentaneum est sed etiam per illud significatur obligatio, quam habet Deus dandi gratiam facienti &c.* II. *Quia opera solius naturæ viribus elicita, sterilia & meriti intrinsece & Theologice supernaturalis incapacia sunt, ideo Deus obligatur conferre gratiam facienti &c. nec id oritur ex*

ex bonitate talium operum, ſed ex pacto &c. Utramque hanc propoſitionem Clerus hac cenſura notavit: *Hæ duæ propoſitiones, qua parte cauſſam diſcernendi inter juſtos & non juſtos in opera mere naturalia referunt, Semipelagianismum inſtaurant, mutatis tantum vocibus. Pactum autem, quod inter Deum & Chriſtum aſſeritur, commentum eſt temerarium, erroneum, nec ſolum tacente, ſed etiam adverſante Scriptura Sacra, & SS. Patrum traditione prolatum.*

Poſtea Clerus damnavit propoſitionem P. Honorati de evidentia Religionis tanquam impiam, blasphemam, erroneam, & inimicis Religionis Chriſtianæ faventem: uti jam ſupra meminimus. Præterea ſequentes proſcripſit Propoſitiones. I. „Attritio ex metu „gehennæ ſufficit, ſine ulla dilectione „Dei ſive ſine ullo ad Deum offenſum „reſpectu. *Cenſura.* Hæc propoſitio, quo a diſpoſitionibus neceſſariis ad abſolutionem excluditur quilibet ad Deum offenſum reſpectus, temeraria eſt, ſcandaloſa, pernicioſa & in hæreſin inducens. II. „Tridentinum definivit, attritionem, „quæ non vivificat animam, quæque „ſupponitur ſine amore Dei eſſe, ſuffi„cere ad abſolutionem. *Cenſura.* Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, Concilio Tridentino contraria, & in hæreſin

Vid. p. 418

Sæc. XVII. A. C. 1700.

inducit. III. „Si peccatores consum-„matæ malitiæ, cum blasphemant, & „flagitiis se immergunt, non habent „conscientiæ stimulos, nec mali, quod „agunt, notitiam, non peccant. *Censura.* Hæc propositio est falsa, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blasphemias & alia peccata excusat. IV. „Omnia hodie melius sunt exami-„nata, & ideo in morali materia liben-„tius sequor juniores, quam seniores. *Censura.* Hæc propositio temeraria est & erronea, Patribus & antiquis Doctoribus contumeliosa &c. Damnatis hisce pluribusque aliis propositionibus Clerus sententiam suam circa dilectionem Dei in Sacramento pœnitentiæ, & usum probabilium opinionum declarans, ita asseruit: *De dilectione Dei, sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ est laboriosus Baptismus, requisita, ne necessariam Doctrinam omittamus, hæc duo imprimis ex Sacrosancta Synodo Tridentina monenda, & docenda esse duximus: Primum, ne quis putet, in utroque Sacramento requiri, ut præviam, contritionem eam, quæ fit Charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti,* antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliat, *ut ait Synodus Tridentina Sess. XIV. Cap. IV. Alterum ne quis putet, in utroque Sacramento secu-*

rum

rum se esse, si præter fidei & spei actus, non incipit, diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, *sicut statuit eadem Synodus Tridentina Sessione VI. Cap. VI. Neque vero satis adimpleri potest utrique Sacramento vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi & maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia sese excitat, ac provocat. Placet etiam caveri a Sacramentorum administris, ne in Pœnitentiæ Sacramento, aliisque Sacramentis conferendis, sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: Neve pœnitentes ipsorum fidei animam suam committentes, admonere cessent, ut in pœnitendo inchoatæ saltem dilectionis Dei ineant viam, quæ sola secura sit, graviter peccaturi in hoc Salutis discrimine,* vel eo solo, quod certis incerta proponant, *sicut docet S. Augustinus Lib. I. contra donatistas Cap. 3. & 5. Hæc quantum ad primum Caput, quod est de dilectione Dei in Sacramento Pœnitentiæ requisita,* postquam declaravit Conventus „Cleri Gallicani, alterum deinde Ca„put, quod est *de Probabilium opinionum usu,* explanat his verbis: *Absit vero, ut probemus eorum errorem, qui negant, licere sequi opinionem inter probabiles pro-*

Sæc. XVII. A. C. 1700.

Sæc. XVII. A.C. 1700.

babiliſſimam; ſed ad rectum uſum opinionum probabilium, has regulas a jure præſcriptas agnoſcimus. Primum, ut in dubiis de Salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo ſeſe offerunt rationum momenta, ſequamur, quod tutius, ſive quod eſt eo in caſu unice tutum; neque id Conſilii, ſed præcepti loco habemus, dicente Scriptura: qui amat periculum, in illo peribit, *hæc prima* Regula. *Altera ut circa probabiles de Chriſtiana doctrina ſententias ſequamur id, quod Viennenſe œcumenicum Concilium circa infuſas tam parvulis, quam adultis in Baptismo virtutes decrevit his verbis:* Nos hanc opinionem tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem duximus eligendam. *Quod Concilii judicium eo magis ad regendos mores pertinere conſtat, quo magis ex ipſo fidelium Sanctitas ac Salus pendet. Ex hac igitur Regula fit conſequens: Primum, ut in rebus Theologicis ad fidei, & morum dogmata ſpectantibus, Theologos quidem etiam modernos audiamus, ſi tamen conſonas ſanctis Patribus ſententias tradant. Deinde, ut, ſi ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur curſus, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur auctoritas: denique, ut nemini liceat eligere eam ſententiam, quam non veritati magis conſentaneam duxerit.*

Quod

Sæc. XVII. A.C. 1700.

Quod ergo in praxi eam nobis liceat ſequi ſententiam, quam nec ipſi probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis, ac notis Auctoribus poſtremo demum ſæculo proditum, & ab iisdem pro regula morum poſitum, repugnat huic effato a Patribus celebrato: Quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus; *nec habere poteſt Chriſtianæ Regulæ ſecuritatem. Hoc initium malorum eſſe, atque omnium ante dictarum corruptelarum Caput, & doctrinæ conſecutio, & ſeries temporum oſtendit. Hoc ab Anteceſſoribus noſtris, viris fortibus ac religioſis, cenſorie notatum, hoc ſæpe reprehenſum, hodieque reprehendi, nullo incuſante, imo, bonis probantibus, diffiteri nemo poteſt. Nos quoque iis de cauſſis, has novas ſententias, in ſalutis negotio periculoſas, re diligenter inſpecta, ſumma ope caveri, ac prohiberi oportere cenſuimus ac cenſemus. Placet autem illa prudentia, ut ante omnia cuſtodiamus, & in tuto collocemus id, quod* unum eſt neceſſarium, *Luc. X. fiatque illud Dominicum Cap. X. Matthæi:* Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, *qui protecto, quod præcipuum eſt, capite, ſibi conſulunt: Neque quisquam in dubio Salutis ad actum proſiliat, niſi ipſo dubio, non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis inſtinctu, ſed ex recta ratione depoſito, dicente Scriptura:* Rationabile obſequium veſtrum, *Epiſt.*

Sæc. XVII. A. C. 1700.

ad Rom. cap. 12. *& iterum:* Sapiens timet, & declinat a malo, ſtultus tranſilit, & confidit, *Proverb. cap.* 19. *Poſtremo audiatur, Apoſtolicum illud:* omnia probate, quod bonum eſt, tenete, *Epiſt.* 1. *ad Theſſalonienſes cap.* 5. *& iterum:* omne, quod non eſt ex fide, *id eſt, ex conſcientia, ſive ex perſuaſione,* peccatum eſt, *Epiſt. ad Rom. cap.* 14. *denique, ut ait idem Apoſtolus Paulus:* teſtimonium reddente illis Conſcientia ipſorum, *non aliorum, ſed ipſorum, & ſua.*

Poſtea Clerus Gallicanus Innocentii XII. Conſtitutionem contra librum Fenelonii Cameracenſis Archiepiſcopi editam communi omnium ſuffragio comprobavit: ac de prompta hujus Archipræſulis ſubjectione ita diſſeruit: *Hoſtes Eccleſiæ tam ſubita mutatio perculit, ſed Eccleſia, quæ gratiam obedientiæ conjunctam eſſe novit, in Archiepiſcopi illius ſubmiſſione Chriſtianæ humilitatis, atque Eccleſiaſticæ ſubordinationis effectum agnovit: Unus eſt primus Epiſcopus, aſt Petrus ab ipſo Chriſto Jeſu Prælatus, ut totum ovile paſcat, Una eſt Eccleſia Mater, conſtituta ad docendas alias, & Eccleſia Chriſti in hac veritate fundata, tanquam ſuper Petram immobilem atque inconcuſſam:* cum autem jamjam die quinta Auguſti ex quadam ſupplicatione

tione Carnutensis Capituli contra suum Episcopum duæ propositiones fuissent extractæ, atque ad Cleri Gallicani comitia delatæ, hinc Generalis hujus Conventus jussu eæ maturo Theologorum examini subjicebantur: Erant autem sequentes: Sæc. XVII. A. C. 1700.

I. *Nulla differentia inter Episcopos & Presbyteros exstitit primis Ecclesiæ temporibus.*

II. *Nonnisi post Apostolos ea disciplina in Ecclesia instituta est, ut inter Presbyteros quidam Presbyter ceteris præficeretur, & Episcopi cognomen præcipue haberet.*

Quamvis Carnutensis Ecclesiæ Capitulum hasce propositiones improbaret, ac contestaretur, eas nequaquam jussu Capituli, sed duntaxat per imprudentiam cujusdam privati Auctoris fuisse insertas, nihilominus Clerus Gallicanus de hisce propositionibus hanc pronuntiavit censuram. *Hæ duæ propositiones, quæ Presbyteros Episcopis æquiparant, ac fere solis nominibus ipsos distinguunt, falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, erroneæ & schismaticæ Aerii hæresin instaurant, Hierarchiam Ecclesiasticam Divina ordinatione institutam confundunt, traditioni Apostolicæ, & sacrosancti Concilii Tridentini decretis adversantur.*

Eodem Religionis Zelo Clerus Gallicanus damnavit propositiones tum de

Sæc. XVII. A. C. 1700.

gratia, de virtutibus Theologicis, aliisque rebus ad moralem disciplinam pertinentibus, tum etiam de observandis Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutionibus circa quinque Propositiones damnatas; deferebantur enim ad hæc comitia varii Jansenistarum libri, quorum unum hunc præseferebat titulum: *Augustiniana Ecclesiæ Romanæ doctrina*, alius contra Sfondrati nodum editus sub titulo: *Dispunctio*, necnon tertius qui inscribebatur: *Panegyris Janseniana*, ex hisce igitur libris Præsules quatuor hasce propositiones extraxerunt.

I. „Jam tandem Ecclesiæ & Regnorum Principes ex hoc clarissimo argumento agnoscunt, *Phantasma Jansenii* quæsitum undique, sed nuspiam repertum, præterquam in laborante quorumdam Phantasia.„

II. „Constitutione Innocentii X. nihil aliud actum, quam ut renovarentur & exacerbarentur disputationes ... In eandem viam pertractus est Alexander VII. ut homo ab hominibus facile impellendus in eas res, quæ parum ejus officio convenirent. . . . Innocentius quoque XII. cum ex officio teneretur, claram proferre sententiam, generalibus æquivocisque verbis adhibitis, dat locum existimandi, se non ausum esse clarius lo-

„qui,

„qui, tanquam errare metuentem . . . , Sæc. XVII.
„atque illud *in ſenſu obvio* ejusdem Pon- A. C. 1700.
„tificis, magis adhuc generale eſt &
„vagum, quam verba Alexandri VII.
„*in ſenſu a Janſenio intento* . . . . Epi-
„ſcopi denique Gallicani libertates Ec-
„cleſiæ Gallicanæ ſub earum aſſeren-
„darum ſpecie labefactarunt ſuper ſu-
„ſcipienda Conſtitutione Innocentii X.
„contra Janſenium. „

III. „Aliquam huic malo medicinam
„attuliſſe videbatur Innocentius XII.
„in Brevi ſuo 6. Februarii Anno 1694.
„Verum mitigatione illam præſumptam
„non parum extenuavit Brevi dato die
„24. Novembris anni 1696. ubi Ponti-
„fex diſerte negat, Conſtitutionem aut
„Formularium Alexandri VII. Brevi
„ſuo alterata aut reformata . . . in
„aliqua minima ejus parte . . . Nec
„placet eorum opinio, quæ ex ipſo
„primo Brevi aliquid mitigationis circa
„factum tentavit exſculpere . . . Sed
„& nihilo majorem in quæſtione juris
„progreſſum factum eſſe jam quoque
„convenit oſtendere. „

IV. „Circa condemnationem Augu-
„ſtini Janſenii opus eſſet collatione re-
„gulari habita, vel coram Judicibus
„a Romano Pontifice, vel a Rege da-
„tis . . . . nondum omnes interierunt,
„qui ſciunt deliberationes (de Janſe-

Sæc. XVII. A. C. 1700.

„niano negotio) quas nunc Episcopi „ut Regulas suarum hodiernarum de„liberationum (circa novum Quietis„mum) sumunt, Cleri Gallicani æter„num fore præjudicium.„

Has autem propositiones Clerus Gallicanus sequenti confixit censura: „Hæ quatuor propositiones, quibus in„quieti homines Innocentii X. & Ale„xandri VII. Constitutiones Innocentii „quoque XII. Brevia æquissima, & ab „omnibus approbata, aperte contem„nunt, Episcopos Gallicanos, rebus „judicatis adhærentes, incessunt ma„ledictis, & caussam hanc de integro „retractari postulant, tanquam tot Con„stitutionibus Apostolicis, etiam ac„cedente Ecclesiarum consensione, caus„sa nondum finita foret, falsæ sunt, „temerariæ, scandalosæ, contumeliosæ „in Clerum Gallicanum, summos Pon„tifices, & in Universam Ecclesiam, „schismaticæ, & erroribus condemna„tis faventes.„

Denique hanc propositionem: *Impletur præceptum Christi, sicut Baptismo ita & Communione sacrilega* damnavit tanquam doctrinam temerariam, scandalosam, erroneam, impietati & sacrilegio faventem, & Ecclesiæ præceptis illusoriam.

§. XCI.

Sæc. XVII.
A. C. 1700.

§. XCI.

Hujus Conventus Gallicani exitus.

Hanc demum ſuam declarationem hi Præſules ſequenti adhortatione abſolverunt: „Monemus Compresbyteros noſtros, ſive Sæculares, ſive Regulares, quicunque Epiſcoporum auctoritate, vel verbum Dei prædicant vel Sacramenta adminiſtrant: *Ne ullo unquam tempore viam Salutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit; in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti ſinant, plebemque Chriſtianam ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, in rectam ſemitam evocent.* Quæ Chriſti verba ab Alexandro VII. (in Præfatione ſui Decreti dati die 24. Septembr. An. 1665.) inculcata, altis animis inſidere optamus, & oramus, ſperamusque in Domino, fore, ut quicunque hactenus laxiores illas ſententias, nulla certe ratione, ſed alii alios ſecuti docuerunt, docere ipſas jam deſinant, quippe quas & Epiſcopi, ipſique Romani Pontifices reprehendunt: Hæretici vero, immerito illi quidem, ſed tamen pro more ſuo Eccleſiæ imputent, atque invidiæ vertant, filii quo-

Sæc. XVII A. C. 1700.

„quoque sæculi ut vanas rideant. Quare „inanem, Deoque, & hominibus exo„sam Sophisticen aliquando aversati, „auctore sancto *Hieronymo* in cap. 3. „*Michææ* Prophetæ, ad recta se confe„rant: *ut, qui prius populum blandimentis decipiebant, postea vero annuntiando deterreant, & ad rectam revocent viam; & qui causſa erroris fuerant, incipiant mederi vulneribus, quæ intulerunt, & esſe occasio sanitatis.*

§. XCII.

Adversa Bullionii Cardinalis fata.

Hode Hist. de Louis XIV. lib. 53. Vitæ Card. pag. 203. Mem. Hist. & Chron.

Experiebatur hoc anno acerba novercantis fati incommoda Emanuel Theodosius Cardinalis Bullionius. Hic dudum Ludovici XIV. Franciæ Regis gratia potitus, ac pinquissimis Abbatiis aliisque amplissimis favoribus auctus erat, fortuna autem sensim vultum contrahente Regis gratia & benevolentia excidit; cum enim ejus Nepos Ludovicus Princeps Turrenius insscio Rege in Hungaria contra Turcas militaret, ac propterea in Franciam reverti prohiberetur, hac severitate necnon Sedanensis Principatus jactura exacerbatus Cardinalis, incautius Regi obloqui cæperat, quo comperto Rex gravem offensionem, indignationemque ad-

adversus eum concepit, ac præprimis, eidem, dum Leodiensem Episcopatum, cujus Ecclesiæ erat Præpositus, prensabat, significari jussit, ut omnem hujus Episcopatus spem missam faceret, caveretque, ne Fürstenbergii Cardinalis electioni ullatenus obsisteret: Insimulabatur insuper a suis æmulis, quod cum Hispano Rege clandestina cuderet consilia; quapropter Rex eidem carceris terrores, & pericula denuntiari jussit, quibus tamen deprecante Jacobo II. Angliæ Rege exemptus erat. Adspirabat Bullionio benignior fortunæ aura, dum ipso præcipue impellente Cardinalis Ottobonus Gallis apprime addictus Romana Tiara honoratus erat; tum enim in Franciam reversus, tam ipse quam ejus propinqui in pristinam Regis benevolentiam recipiebantur, ac Bullionius Romam redux tanquam Franciæ Legatus hujus Regni negotia procurabat: nec diu tamen nova hæc fortuna firmo stetit vestigio; rursus enim stimulante æmulorum invidia apud Regem accusabatur, quod mandati Regii limites prætergressus, Nepotem suum Alvernienſem Abbatem ad Argentinensem Episcopatum promovere intentus, *Eligibilitatis* ut vocant, *Breve* pro Rohanensi Abbate impetrare, remissius adlaborasset: Hæc accusatio refricuit recens

Sæc. XVII. A.C. 1700.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

recens obductam Regiæ indignationis cicatricem, tantumque apud Regem valuit, ut per Ludovicum Grimaldum Monacienſem Principem Bullionio in mandatis daret, quatenus nulla mora ad Cluniacenſem ſuam Abbatiam Roma excederet, quominus vero Bullionius Regio pareret mandato, obtendebat, Cardinālem Cibo ſacri Collegii Decanum morti proximum eſſe, in urbe igitur ſibi perſiſtendum, ut mox eo defuncto hujus dignitatis poſſeſſionem accipere poſſet: Verum hac excuſatione in debitæ obedientiæ transgreſſionem verſa, omnibus ſuis proventibus, dignitatibus & honorum titulis die undecima Septembris regio edicto exutus eſt. Nil tamen inde territus reſpondit, malle ſe tanquam pauperem Cardinalem Romæ vivere, quam ſeſe irati Regis arbitrio committere; nihilominus ab ipſo ſummo Pontifice Regis mandato obtemperare, atque ad exilii ſui locum emigrare juſſus, ad Cluniacenſem Abbatiam contendit, ubi aliquamdiu hærens ad varias Regni urbes proficiſcendi veniam obtinuit, dummodo triginta leucis ab Aula & Pariſienſi urbe abeſſet: Aſt honorificæ captivitatis pertæſus, ex Francia profugere conſtituit, ac die vigeſima ſecunda Maij Atrebato in Belgium, ac

inde

inde per Germaniam atque Italiam Romam venit: Hujus fugæ fama Parisios delata, mox Parlamrntum Regis jussu Cardinalem in jus vocavit, eumque læsæ Majestatis reum ac propterea in perpetuum Regno proscriptum, omnibusque suis bonis exutum declaravit, eoquod Regi inobediens e Regno ad Regis hostes transiisset, seque Principem liberum, nec Regi subjectum esse in suis literis ad eundem Atrebato datis professus esset: Insuper alio Parlamenti decreto magnificum illud Mausoleum, quod pro familiæ suæ Principibus in Cluniacensi Abbatia errexerat, destructum, soloque æquatum est. Hæc Regis severitas adeo summo Pontifici & Sacro Purpuratorum Collegio displicuit, ut Pontifex in publico Patrum Senatu Parlamenti edictum tanquam nullum irritumque declararet, datisque ad Regem literis, ac interminata anathematis pœna illud a Parlamento revocari peteret. Reclamabat insuper Parisiis Nuntius Apostolicus contra Parlamenti sententiam, ejus factum approbante ipso Pontifice: tota tamen res in hisce minis stetit, ac Bullionius Romæ Pontificis patrocinio tutus, adversantis fortunæ ludibria usque ad obitus sui diem rara animi magnitudine elusit: Interposuit suas partes apud

Sæc. XVII. A. C. 1700.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

apud Franciæ Regem Clemens XI. Pontifex, ejusque postulatis Ludovicus annuit, ac propterea Papa die septima Maij anno sequentis eidem datis literis grates rependit. Levior, minusque diuturna erat Regis indignatio contra Cardinalem Delphinum, Apostolicum Papæ Nuntium; cum enim hic Romam reversurus, Regiis Principibus honorifica salutatione valediceret, Rex, ut idem obsequii genus spuriis ejusdem prolibus præstaret, petebat, secus Regis alloquio privandus, Nuntius vero id præstare recusans, potius insalutato Rege ex Galliis Romam redire jussus est: Verum Ludovicus, qui neo-electi Pontificis mentem suis consiliis haud absonam fore sperabat, facile placatus, a suo petito destitit, ac Nuntium ad alloquium admisit.

§. XCIII.

Alderani Cibo Cardinalis obitus.

Eggs suppl. Purp. Doct. pag. 573.

Hunc annum vitæ suæ postremum habuit Alderanus Cibo Cardinalis ex pervetusta Massæ & Carrariæ Principum progenie ortus. Hic adolescens Clericali militiæ adscriptus & inculpatæ vitæ fama clarus ab Innocentio X. Papa Apostolici Palatii Præfectus, ac Ravennæ & postea Ferrariæ, atque Urbini

Urbini Legatus renuntiabatur, ubi proſcriptos, ac perditæ vitæ homines promerita ſeveritate ac pœnis compeſcuit, atque incolis optatam tranquillitatem reddidit. Annum agebat ætatis ſuæ trigeſimum ſecundum, cum ab eodem Pontifice Cardinalibus Presbyteris accenſeretur, decimo autem poſt anno ab Alexandro VII. ad Æſinum Epiſcopatum nominatus, ibidem Diæceſanam Synodum habuit, ejusque decreta oppido ſalutaria typis edidit. Mortuo hoc Pontifice ab ejus Succeſſore Innocentio XI. inter primarios ſecretioris conſilii Adminiſtros electus, rara ſuæ in rebus gerendis dexteritatis ſpecimina edidit, pluribusque Patrum cœtibus aggregatus, prudentiam, eruditionem, ſuamque integritatem multis argumentis comprobatam reddidit, tandem ſacri Collegii Decanus, atque Oſtienſis Epiſcopus die vigeſima ſecunda Julii annos natus octoginta ſeptem Romæ fatis ceſſit. Sæc. XVII. A.C. 1700.

§. XCIV.

Franciſci Bonviſii Cardinalis deceſſus.

Sequenti Menſe Auguſto eandem æternitatis viam ingrediebatur Franciſcus Bonviſius Cardinalis, patria Lucenſis. Hic juvenis adhuc Chigio *Merc. Hiſt. Palat. faſt. Card. t. 4.*

Sæc. XVII. A. C. 1700.

Cardinali a secretis, sollicitante ejus patruo Hieronymo Bonvisio ab Alexandro VII. Papa Domesticis aggregatus, paulopost ob ingenii præstantiam a Clemente X. primo Coloniam, ac postea in Poloniam Sedis Apostolicæ Nuntius decernebatur, ubi post Michaelis Regis obitum nuptiis inter ejusdem viduam & Lotharingiæ Ducem conciliatis, in proxima Regis electione Austriacæ Domus commoda egregie promovebat: inde ad Cæsaris Aulam vocatus, & Pontificia ibidem legatione functus, per integros duodecim annos Leopoldo Cæsari tam in Viennensi obsidione, qaam toto Turcarum bello luculenta præstitit obsequia, mira enim in pertractandis publicis negotiis dexteritate, rerum experientia, Historiæ, aliorumque Politicarum scientiarum cognitione eminebat: unde meritorum copia incitatus Innocentius XI. Bonvisium Romana Purpura decoravit, eumque Lucensi Archiepiscopatui præfecit, quam Ecclesiam Bonvisius insigni vigilantia per plurimos annos ad Cleri gregisque sui salutem rexerat, donec ibidem die vigesima quinta Augusti laboris sui præmium beato fine a Deo reciperet. Ceterum huic Cardinali a nonnullis crimini datur, quod nimis sollicite existimationi hominum sese vendi-

venditarit, aliosque aſpernatus ſit, atque in juventute ſua morum licentiæ plus æquo indulſerit: utut autem ſit, negari haud poteſt, quod poſtea hoſce nævos, ſi unquam in eo reperti fuerint, aſſiduo virtutum ſtudio, vitaque ad probitatis normam compoſita eluerit. Sæc. XVII. A. C. 1700.

§. XCV.

Franciſci Maildachini Cardinalis extrema.

Eodem hoc anno vivis valedixit Franciſcus Maildachini Cardinalis, qui a Donna Olympia ejus Amita multis, falſis tamen encomiis deprædicatus ab Innocentio X. Papa anno ætatis ſuæ vigeſimo ſexto Cardinalis Diaconus nominabatur, quamvis literarum ignarus, facie deformis, ingenio hebes, ac ipſius quoque Romani idiomatis expers eſſet: unde ob crebros imbecillitatis ſuæ nævos univerſo Cardinalium Collegio exoſus, ab ipſo ſuo Fratre deſpectui habebatur: Adultior tamen factus, atque in Galliis aliquamdiu moratus, animum nonnihil excolere cæpit, nihilominus exiſtimatione jamjam amiſſa, apud ſummos Pontifices, ceterosque Cardinales adeo nullius ferme momenti erat, ut etiam Innocentius XI. & Alexander VIII. præciperent, ne Maildachi- *Cornar. Relat. de la Cour de Rom. Mercur. Hiſt. Juſta Stat. Purp. n. 15. pag. 66.*

Sæc. XVII. A. C. 1700.

dachinus unquam ad classem Cardinalium Episcoporum admitteretur, proinnunquam Decanus cum sacri Collegii dedecore fieri posset: quinimo Alexander VII. Papa eum ob turpe quoddam facinus Roma excedere jussit, quamvis illum postea ibidem tolerare a Galliarum Rege compulsus esset, eoquod in conclavi Gallicæ factioni faviſſet. Inter tot nævos celebratur tamen tanquam Vir arcani tenax, obsequiosus, ac ferme ad prodigalitatem liberalis, tandem vero Neptunii die decima tertia Junii anno ætatis suæ septuagesimo nono vivere desiit.

§. XCVI.

Tres Cardinales ab Innocentio XII. Papa creati.

Foresti Mapp. mund. t. 2.

Inter creberrimas, quibus Innocentius Papa durante suo Pontificatu jactabatur molestias ac tædia, subinde sacra quadam consolatione ejus animus recreabatur, hocque anno ingens gaudium præseferebat, dum ei nuntiatum, quod Maria Elisabetha Ducissa Bipontina atque Adolphi Joannis Ducis Filia Parisiis hæresin ejurarit: insuper pio Seni lacrimæ præ gaudio manarunt, ob ingentem multitudinem hominum ac Principum, qui ad celebranda Jubilæi Uni-

Universalis sacra Romam confluxerant. Aderant inter alios Jacobus, Alexander & Constantinus defuncti Polonorum Regis Filii, necnon Cosmus III. Magnus Etruriæ Dux, cui summus Pontifex *Regiæ Celsitudinis* titulum & Monticellensis Ducatus reditus, ac insuper sedem S. Stephani Papæ & Martyris sanguine conspersam dono dedit: Eodem ferme tempore, ut Cæsari, Galliarum & Hispaniæ regibus gratificaretur, Romana Purpura decorabat Joannem Philippum Comitem de Lamberg Passaviensem Episcopum, postea Presbyterum Cardinalem tit. S. Sylvestri, cujus Frater Comes de Lamberg, revocato Martinizio Comite, Cæsaris Legatus hoc anno die decima tertia Januarii Romam venerat, ab omnibus perbenigne ac honorifice exceptus. Alter erat Ludovicus Antonius de Noailles Parisiensis Archiepiscopus Cardinalis Presbyter tit. S. Mariæ ad Minervam, ac tertius denique Franciscus Borgia natione Hispanus, ac Toletanus Canonicus, & Calaguritanus Episcopus.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

§. XCVII.

Innocentii XII. summi Pontificis obitus.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

Theatr. Europ. t. 15. pag 857. Briet. Annal. cont.

Jamjam per integrum ferme annum Innoc. XII. Pontifex Maximus diuturna ægritudine fatigatus erat, incredibili tamen animi vigore tam decrepitæ ætatis miſerias, quam morborum violentias ſuperabat, ac ineunte hoc anno Medicorum ſolertia & ope tam firmam reconvaleſcendi ſpem concipiebat, ut ſanæ mentis uſu fretus per jocum nonnullis Cardinalibus in familiari colloquio diceret, eos nimis præfeſtine Romam ad ſacra comitia convolaſſe, eorumque quosdam Pontificatus aucupandi ſpe turgidos, ipſo adhuc vita ſuperſtite, mundo valedixiſſe: Poſtquam autem die trigeſima prima Julii ad propellendos immodicos ſolis æſtus glaciatis fructibus veſcebatur, inde in febrin incidit, cujus continuis acceſſionibus adeo conſumebatur, ut quamvis integri ſenſus, cunctisque negotiis ad extremum usque diem par eſſet, die tamen vigeſima ſeptima Septembris non ſine magno Urbis, omnium proborum ac præcipue pauperum luctu, naturæ debitum ſolvere cogeretur, poſtquam Sacris Eccleſiæ Sacramentis rite munitus, Cardinales tum præſentes ad Apoſtolicarum Conſtitutionum obſervantiam, dignique Succeſſoris electionem gravibus verbis hortatus erat. Annum agebat ætatis ſuæ octogeſimum ſextum

sextum nondum plene expletum, Pontificatus sui nonum præter duos Menses, & quindecim dies. Corpus ejus in Basilica D. Petri reconditum fuit in simplici monumento, quod sub hac inscriptione: *Innocentius XII. P. M. electus* 12. *Julii* MDCXCI. *mortuus est An. Christi* .... etiamnum vegetus, vivusque exstrui jussit, illud tamen plures post annos Vincentius Petra Cardinalis marmoreis statuis, aliisque ornamentis magnifice condecorari curavit.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

§. XCVIII.

Hujus Pontificis gesta in Pontificatu.

Tantus virtutum cumulus, tantaque erant glorioſissimi hujus Pontificis merita, ut in ejus laudum præconiis excedere æquitas, deficere injuria foret: Primordia sui Pontificatus jamjam æternæ gloriæ memoria digna reddebat sua lege contra Nepotismum, a quo tantopere abhorrebat, ut nemo in universa Italia Nepotem, affinem aut propinquum, etsi bene meriti non deessent, ad minimum etiam beneficium ab Innocentio exaltatum, aut dono auctum numerare posset. Adeo erat æquitatis studiosus, ut Aulæ Romanæ officia pecuniis mercari severe inhiberet, & nonnisi Viros solo meritorum suffragio

Hist. du Tems t. 4. num. 20. Quesnel Præfat. ad mem. I. pag. 12. Misson. Itiner.

Sæc. XVII. A.C. 1700. ad Purpuram natos Patrum Senatui adscriberet: Eminuit in eo Religionis Catholicæ latius propagandæ studium, unde nullis sumptibus, nullique labori pepercit, ut missiones ad Æthiopes, & Sinenses promoveret, necnon dissidia in Sinis ob ritus exorta, utpote fidei dilatandæ obstacula, e medio tolleret; censuras suas etiam contra Jansenismum tam prudenter moderabatur, ut errorem profligaret, simul tamen effrænem aliorum libidinem ex quovis non Molinista Jansenistam fabricandi damnaret, novasque interpretationes super Jansenii propositiones severissime inhiberet: unde merito ab ipsomet Quesnello alias Pontificibus parum affecto celebratur: *Vir vere pacificus, instructus Ministris a partium studio alienis, qui visus est integra fide agere intuitu veritatis, utilitatisque Ecclesiæ.* Eodem incitatus Religionis studio Innocentius pro extirpando Mahometismo tricies centena aureorum millia in arce S. Angeli reposuit, ac Christianis Principibus fœdere adversus Turcas junctis largas pecuniarum suppetias, necnon Venetis multas triremes subsidio misit, quin pauperum, quos suos Nepotes vocabat, oblitus esset, pro his enim duo Xenodochia multis impensis erexit, utque Romanis civibus, aliisque pauperibus

peribus prægravia mitigaret vectigalia, duo levioris census telonia non sine maximo civium commodo, & ingenti rerum omnium ubertate instituit, multaque alia tam ad morum & Ecclesiasticæ disciplinæ regulas, quam ad majorem Urbis Romanæ amplitudinem & decorem promovendum utilissime perfecit. Præ ceteris insigne æquitatis & justitiæ specimen edidit sua Constitutione, quam, ut meminimus, die sexta Februarii anno 1693. ad Mechlinienſem Archiepiscopum dederat; cum enim Molinistæ Carolum Hispaniæ Regem eo induxissent, ut Bavariæ Duci tum Belgii Gubernatori in mandatis daret, quatenus omnes, quos ipsi pro Jansenistis venditabant, a cunctis Officiis amoveret, ac vi hujus mandati plures falso accusati graves violentias paterentur, Innocentius comperta hujus vexationis iniquitate præfato Archiepiscopo severe inhibuit, ut nullum *nisi servato juris ordine* de hæresi Jansenıana convictum insectaretur: Ceterum cuncta præclare gesta ad hujus Historiæ angustias reducere, haud possibile foret, dixisse sufficiat, nequidem oculatissimos Protestantes in Innocentio, quod reprehenderent, inveniſſe.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

§. XCIX.

Cardinales pro eligendo novo Pontifice Conclave ingressi.

Vita Clemen. XI. in Bull. magn.

Peractis de more funebribus, duodecima post Innocentii Papæ obitum die seu nona Octobris inchoata sunt pro more in Vaticano ad successorem deligendum comitia: Intererant initio nonnisi triginta octo Cardinales, quibus altera die Cardinalis Bullionius S. Collegii Decanus, pluresque alii accessere, quos inter tamen tot Viri meritorum præstantia longe clarissimi reperiebantur, ut quis alteri præferendus esset, aliquamdiu Cardinales dubii hærerent, unde contigit, ut jamjam quadrageſima tertia dies ab inchoatis comitiis præterfluxisset, quin adhuc Cardinales suis suffragiis in unum conspirarent: Postquam vero nocte, quæ diem vigesimam tertiam Novembris præcesserat, nuntium de obitu Caroli Hispani Regis receperant, in hac rerum vicissitudine nil magis, quam supremum Nauclerum prudentia, & animi magnitudine inclytum, Ecclesiæ navi necessarium duxerunt, quapropter talis Viri electionem maturantes in Joannem Franciscum Cardinalem Albanum oculos animumque conjecere: An-

Annuebant ſuis quoque ſuffragiis cuncti Cardinales, quos Zelantes vocant, his pariter acceſſere alii Ottobono Cardinali adhærentes: altero igitur die jamjam in proxima ſcrutatione præfatus Cardinalis Albanus quadraginta ſuffragia ſolus tulerat: Huic ergo ceteri quoque Purpurati ſumma ac plane inſueta animorum ſtudiorumque conſenſione ſupremam Eccleſiæ dignitatem offerunt, ac ceteris æmulis, etſi ætate multum ſuperiores eſſent, prætermiſſis eundem in Papam proclamant, quamvis quinquageſimum primum ætatis ſuæ annum vix exceſſiſſet, præteritisque temporibus ſenectus prævalidum ſuffragium in Pontificum electionibus eſſe conſueviſſet. Sæc. XVII. A. C. 1700.

§. C.

Joannes Franciſcus Cardinalis Albanus in Papam electus, & Clemens XI. nominatus.

Communi Purpuratorum conſenſu peracta electione, ſolus Cardinalis Albanus ſe tanto honore indigniſſimum, tantoque oneri imparem reputabat: quocirca fuſis largiter lacrimis copioſisque precibus Tiaram Pontificiam in digniorem ſe transferri non modo rogabat, ſed & præcipiebat, utque Purpura- *Miſſon. Itin. append. pag. 379. Act. Lippſ. Epiſt. fam. Zalusky tom. 2.*

Sæc. XVII. A. C. 1700.

puratos ad ſua vota eo validius inclinaret, eo etiam utebatur argumento, aſſerens, ſe tenero nimis affectu amplecti familiam ſuam, proin vereri, ne ſuperatus ab hoc amore Bullam contra Nepotismum nuper editam, ſuoque olim chirographo ac juramento firmatam non ſine perjurio, omniumque offenſione violaret: Integrum triduum non ſine raro modeſtiæ exemplo tenuit Albani cunctatio, deprecatio, ac conſtans repugnantia: nec ullo pacto ejus animus expugnari potuiſſet, niſi ex Theologis celeberrimi eidem demonſtraſſent, quod ſpectata Electorum in propoſito firmitate, ex qua Dei voluntas ſat luculenter pateret, diutius factæ electioni ſine gravi noxa obſiſtere haud poſſet: Tandem ergo horum conſiliis ceſſit, ac inter ſuſpiria & lacrimas manus ad Eccleſiæ clavum admovit, atque in honorem S. Clementis Papæ & Martyris, cujus memoria eo die recolebatur, Clementis XI. nomen aſſumpſit. Nondum erat Epiſcopali dignitate inſignitus, quocirca a Cardinali Bullionio Epiſcopus conſecratus, die octava Decembris Pontificia tiara ſolemni ritu inter feſtivas Urbis & Orbis acclamationes coronatus eſt. Vix Pontificatum auſpicatus erat, cum illico ſuis Conſanguineis denuntiaret, ſe de Con-

Sæc. XVII. A. C. 1700.

Constitutione Prædecessoris sui contra Nepotismum ne latum unquem discessurum. Haud silentio prætereundum videtur, a probatæ fidei Scriptoribus referri, quod statim post Innocenti XII. obitum Andreas Chrysostomus Zaluscki Warmiensis Episcopus omnium Cardinalium nomina separatis schedulis inscripserit, easque in urnam conjici & per Nepotem suum, quinquennem puerum unam extrahi jusserit, solum autem Francisci Albani nomen tribus vicibus ex urna a præfato puero extractum fuerit.

§. CI.

Hujus Pontificis gesta ante Pontificatum.

Natus erat Joannes Franciscus Urbini die vigesima tertia Julii anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo nono ex illustri ac prædivite Albanorum familia: Nondum attigerat tertium ætatis annum, cum jamjam Helena Mosca Matre sua orbatus esset: a suo tamen Patre Carolo, cui sedula Filii sui educatio maxime cordi erat, undecim annos natus Romam perductus, ibidem liberalibus disciplinis, eloquentiæ præfertim, moxque gravioribus Philosophiæ & Theologiæ, ac utrius-

Sæc. XVII. A. C. 1700.

utriusque Jurisprudentiæ ſtudiis operam dedit, paulopoſt Doctorali laurea decoratus: Græcum etiam idioma tam feliciter didicit, ut non minus græce, quam latine doctiſſimus haberetur, adoleſcens quoque tam ſacras in Templis, quam morales in publicis Academiis, necnon in Collegio Urbano orationes & diſſertationes de rebus ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantibus non ſine maximo Auditorum applauſu, & admiratione habebat, ac ipſimet Proteſtantes Græcam ejus latinamque eruditionem adeo venerati ſunt, ut eam Norimbergenſes aureis, argenteisque numismatibus nomini ejus inſcriptis celebrarint. Vigeſimum ætatis annum emenſus, inter Canonicos S. Laurentii in Damaſo cooptatus erat, ubi indefeſſo ſtudio Concilia, Patres, & Hiſtoriam Eccleſiaſticam pervolvit, ac vaſta hac eruditione conjuncta cum ſumma eloquii facilitate apud omnes, præcipue apud Chriſtinam Sueciæ Reginam & Cardinalem Franciſcum Barberinum ſibi ingentem conciliavit laudem, ſingularemque exiſtimationem, quam ſpectata ejus virtus nulla vitiorum fæce contaminata, atque eximia morum innocentia, vitæque integritas mirifice auxit. Ne ergo tam raræ dotes ſuo uſu ac præmio carerent, ab Inno-

Innocentio XI. utriusque Signaturæ Referendarius, Sacræ Congregationis rebus Consistorialibus præpositæ Consultor, necnon Reatinæ Urbis, dein Sabinensis Provinciæ, ac postremo Urbis veteris Gubernator renuntiabatur: Administratis maxima cum laude hisce Præfecturis, Romam urgente Cardinale Barbarino revocatus, & Vaticanæ Basilicæ Vicarius, & Judex nominatus, ad causas cognoscendas animum adjecit, eo plane successu, ut qui antea celeberrimi Oratoris nomen, ita nunc integerrimi jureconsulti famam sibi compararet: Postea Vaticanæ Basilicæ Canonicatu auctus, atque Apostolicorum Diplomatum Secretarius ab Innocentio XI. constitutus, gravissimum hoc munus usque ad sui exaltationem tanta prudentia, atque indefessa laboris assiduitate obibat, ut gravissimorum Ecclesiæ negotiorum, atque in administranda Republica rationum aut particeps, aut arbiter existeret: Quantum porro Alexander VIII. ejus meritis & virtuti tribueret, luculenter ex eo colligitur, quod Pontificatus sui initio illum Romana Purpura honoraret, quam tamen Albanus non otiose portabat, nil antiquius, nil enixius in votis habens, quam Religionis Catholicæ incrementum, & Sedis Apo-

Sæc. XVII. A. C. 1700.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

Apostolicæ honorem. Amicis præterea, ac præcipue literatis vacuas a negotiis horas dicabat, hosque promovebat, illos protegebat, istos juvabat, eisque non raro præmia & beneficia, etiam irrequisitus a summis Pontificibus procurabat: neminem necessitate pressum a se dimisit, quin ei vel opem præstitisset, vel saltem ejus molestiam solatio imminuisset: unde illius Palatium non minus, quam ipsum Vaticanum frequentabatur, nec minor numerus Aulam ejus, quam ipsius Pontificis ornabat, omnibusque, & maxime afflictis Albani Domus asyli vicem præstitit: pluribus etiam omnium Ordinum familiis clam subsidia præbuit, alios æris alieni pondere pressos sua liberalitate sublevavit, dotibus assignatis securam reddidit Virginum pudicitiam: Nobilem quemdam Virum, quem ad expungenda debita bis mille Imperialibus indigere noverat, ipsus adiit, eique pecuniam ultro numeravit, & afflictissimo cuidam duodecim aureorum millia sine beneficii fænore obtulit. His pluribusque aliis præclare gestis tantam omnium existimationem amoremque sibi conciliavit, ut supremo Ecclesiæ Imperio dignus, imo & proximus a cunctis haberetur, quorum vota supremum quoque Numen

ad

ad maximam Eccleſiæ gloriam, populique ſalutem tandem exaudiit. Sæc. XVII. A.C. 1700.

§. CII.

Principum molimina in dividenda Hiſpaniæ Monarchia.

Cum Caroli II. Hiſpaniarum Regis infirmitas magis indies ingraveſceret, proin omnis ſuſcipiendæ prolis ſpes abeſſet, Franciæ & Angliæ Reges, necnon Batavi de futuro Succeſſore anxiis agitabantur curis, ac primo inclinabant in Joſephum Ferdinandum Bavariæ Ducem, eoquod hic ex Anna Antonia, cujus Mater Margaretha Thereſia Philippi IV. Hiſpaniarum Regis Filia, & Carolus Rex eundem ante biennium totius Monarchiæ Hiſpanicæ teſtamenti tabulis hæredem ſcripſiſſet, natus eſſet: Huic etiam favebant Ferdinandus Portocarrerus Cardinalis ac Toletanus Archiepiſcopus, Proceres, Regiusque Senatus: Jamjam omnia ad trajiciendum in Hiſpaniam Principem Bavarum parabantur, cum ſeptennis anno priori, ut memoravimus, Bruxellis triſti morte extingueretur: Comperto hoc fato Leopoldus Imperator Harrachium Comitem ad Hiſpaniæ Regem decrevit, eo conſilio, ut Rex Carolum Auſtriæ Archiducem Cæſaris Fi-

Hodæ Hiſt. de Louis lib. 53. Wagner vit. Leopold. lib. 16. Theatr. Europ.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

lium ex Maria Thereſia pariter Hiſpani Regis Sorore progenitum Hiſpaniæ hæredem ſcriberet, cum poſt Bavari obitum ejus jus nulla ex parte controverſum eſſet: Aſt Carolus Rex ſe deſuper deliberaturum reſpondit, nec antea deliberandi, quam vivendi finem fecit: Inſuper Auſtriacis parum favebant Proceres, totis viribus obſtabant Galli, Angliæ Rex autem & Batavi obtendebant timorem belli, quod Galli, ut jus ſuum contra Auſtriam proſequerentur, absdubio moturi eſſent; Ludovicus enim Franciæ Rex totus in eo erat, ut everſo Archiducis jure, Borbonio Principi Filio ſuo ex Maria Thereſia itidem Hiſpaniæ Regis Sorore nato Monarchiam Hiſpanicam aſſereret, quamvis præfata Maria Thereſia, dum Franciæ Regi nupſerat, juri ſuo in Hiſpaniæ ſucceſſionem ſolemni pacto renuntiaſſet, ejusque ceſſio per publicas pacis Pyreneæ tabulas, ac Philippi IV. Teſtamentum confirmata fuiſſet. Jam dudum Galli, Angli & Batavi Oratores ſub ſpecioſo belli prævertendi obtentu Hiſpanam Monarchiam diviſerant, & quidem primo in arce Loenſi Delphino utramque Siciliam, Sardiniam, Etruſci portus, Finarium cum Cantabria, Archiduci Mediolanum, & Bavaro tunc nondum mortuo reliquam Hiſpaniam,

niam assignabant: paulopost Archiduci Hispaniæ Regnum cum America, & Delphino Navarram, Mediolanum, & Belgium adjecere, ac denique hoc anno die tertia Maij insuper Delphino Herculeum, Orbitellum, Plumbinum, Portumlongum, Telamonium, Fontarabiam, & SS. Sebastiani & Stephani oppida, Lotharingiæ Duci Mediolanum, cetera vero Archiduci attribuebant. Has partitiones Franciæ Rex ratas habere simulabat, reipsa tamen, Cæsare semel ab hæreditate excluso integram Hispaniæ Monarchiam spe suisque consilis devoraverat: Minus etiam Innocentio XII. Pontifici probabantur hæc divisionis pacta, sibi per Monaciensem Principem Oratorem Gallicum exposita, ac ipsemet Carolus Hispaniæ Rex vehementissime querebatur, quod exteri Principes sibi adhucdum vivo vestes exuere, de suis bonis testandi facultatem eripere attentent, *etiamsi forte*, inquiebat Rex, *Deus subditorum meorum pro Regni hærede supplicantium preces & vota exaudire detrectet, mihi tamen liberum sit, ejusmodi hæredem nominare, qui sese contra hosce usurpatores tuendo par erit.*

Sæc. XVII. A. C. 1700.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

§. CIII.

Caroli II. Hiſpani Regis obitus.

Theatr. Europ. t. 15. Hiſt. de la Cour de Madrid.

Poſt acerrimas concertationes inter ipſos præcipuos partitionis Authores prævaluit Gallica factio, quam etiam Portocarrerus Cardinalis, quamvis ampla verborum jactantia ſe totum Cæſari addictum fingeret, egregie firmabat, ipſe etiam Rex nupera populi ſeditione territus, ac aliunde in omnem, quo eum Miniſtrorum turba impulerat, partem verſatilis, hunc Cardinalem pro parente colebat, atque ab ejus ore pendebat: Hujus igitur dexteritate factum, ut ipſo Rege præſente in frequentiſſimo Senatu omnium ſuffragiis decerneretur, ad evitandam Monarchiæ diviſionem nil magis conducere, quam ſi Franciæ Rex rogaretur, quatenus alterutrum ex Delphini Filiis Regis Caroli Nepotibus in Hiſpaniam mitteret, qui tamen Regnum ante Regis obitum non contrectaretur. Tacitus aſſedit Rex, dum Galli & Hiſpani Proceres de Regno ſuo ita diſponerent: obſiſtit acriter Regina, & Harrachius Cæſaris Orator, qui apud eandem inſtabat, ut Regem Maritum ſuum permoveret, quatenus Generis ſui memor Archiducem ſcriberet Hæredem:

redem: ad hæc Rex velut e somno expergefactus datis ad Cæsarem literis fidem fecit, se alienissimum esse a suorum consiliis, adeo ab omni æquitate, conscientia, & decoro alienis: Postrema Septembris die ad morbi vehementiam tanta facta est accessio, ut de Regis vita Medicorum judicio conclamatum esset: Tum vero tanto incitatius Gallorum fautores ad pertexenda cæpta festinarunt: obseptum tenetur Regium conclave, nulli præter Reginam, Patrem de la Torres Confessarium, Medicos & Portocarrerum aditus patet, Proceres ante januam alternas agunt vices, seni excubitores præter morem ad interioris januæ fores appositi Harrachio Regem alloquendi copiam denegant: Soli Portocarrero ad Regis animum voluntatemque pervius erat accessus, hic ergo Borbonicæ Domus jura Regi animis sensibusque omnibus pene destituto tanta verborum copia ac sermonis importunitate obtrudebat, ut Rex molestiam redempturus tertia Octobris die Testamentum confici consentiret: mox igitur sexta ejusdem diei hora meridiana advocatur Ubilla, qui solus cum Rege agens, supremæ voluntatis tabulas conscripsit, sua nomina apponentibus Portocarrero, & Borgia Cardinalibus,

Sæc. XVII. A. C. 1700.

Sæc. XVII. A. C. 1700. libus, Castilliæ & Arragoniæ Præfectis, necnon Medinnacælio, Beneventio, & Infantadi ac Sestæ Ducibus. Vigesima ejusdem Mensis die Codicillus Testamento adjiciebatur, quo Philippus Andegavensis Dux, secundo genitus Delphini Filius, eoque fors improle Dux Bituricensis, ac illo etiam sine liberis decedente Carolus Austriæ Archidux universæ Monarchiæ Hæres instituebatur: ita tamen ut nullo unquam tempore Hispania cum Gallia conjungeretur: Confecto hoc testamento a Gallis subornato, Rex citatis passibus ad æternitatem properabat, ac tandem die prima Novembris decessit anno ætatis trigesimo nono, Regni trigesimo quinto. Erat Princeps Religionis studio præclarus, moribus integerrimus, ac fidei conjugalis cultor eximius, adversæ tamen fortunæ injuriis tam domi quam foris jactatus, bellisque implicitus, aut Belliducum ignavia, aut nervi bellici inopia plurimas urbes & Provincias amisit, ac suo demum testamento atrociſſimi belli flammas accendit.

Ceterum in Hispania, usque dum Andegavensis adventaret, Procerum Senatus erigebatur, qui regimini præesset, hos inter ipsa etiam erat Regina Vidua, quæ tamen utpote Cæsareæ parti

parti addicta Madrito intra sex dierum angustias excedere jussa est, unacum Patre De las Torres defuncti Regis Confessario, quia palam testabatur, Regem morti proximum vehementer esse questum, quod vi ac fraude ad subsignandum Testamentum sibi suppositum adactus fuerit: nihilominus tamen Proceribus auro Gallico corruptis Philippus Andegavensis Dux die quarta decima Novembris apud Hispanos in Regem proclamatus est. Sæc. XVII. A. C. 1700.

§. CIV.

Aliorum Principum atque Illustrium decessus.

Præter Hispaniæ Regem pari fato sublatus est Georgius Dux Wirtembergico-Monte-Belligardensis anno ætatis suæ septuagesimo tertio, quem eadem mortis necessitate sequebantur Wilhelmus Gloceſtriæ Dux, Duciſſa Condæa, Guilielmus Annæ Stuartæ, postea Angliæ Reginæ Filius, Clara Augusta Wirtenbergensis Duciſſa, Eberhardina Sophia Frisiæ Princeps, & Joachimus Ernestus Holsatiæ Dux, ac demum die tertia Julii Sylvester Valerius Venetæ Reipublicæ Dux, cui Aloysius Mocenigus subrogatus est.

Sæc. XVII.
A. C. 1700.

§. CV.

Synodi Diæceſanæ Eichſtettenſis decreta.

Hoc item anno Joannes Martinus ab Eyb Eichſtadianus Epiſcopus die decima Novembris Diæceſanam celebravit Synodum, in qua pro animarum Paſtoribus ad munus ſuum ritu exequendum tradidit præcepta, ſimulque Parochis injunxit, ut ſæpius pauperculos moneant, quatenus cordate petant Sacramenta, cum ea eis, gratis ſint adminiſtranda: vetuit quoque, ne ſponſalia mutuo etiam conſenſu ſine ſcitu Epiſcopi diſſolvantur, nec etiam aqua Baptismatis pro medicina, vel alia quacunque de cauſſa aliis præbeatur: minus vero Parochi ſe ultra duos dies & unam noctem ſine Decani præſcitu a ſua Parochia abſentent, aut frequenter tabaccum Sacerdotes e fiſtula hauriant. Denique Sodalitatem S. Roſarii inſtitui præcepit, ut populus ad frequentiorem Confeſſionis & Communionis uſum incitaretur.

§. CVI.

Quædam Clementis XI. Pontificis Maximi Conſtitutiones.

Inter

Sæc. XVII. A.C. 1700.

Inter plures Conſtitutiones, literasque Apoſtolicas Clemens XI. Pontifex hoc anno Bullam Prædeceſſoris ſui de abolendo Nepotismo innovavit, ſimulque Jubilæum univerſale ad imploranDum Dei auxilium pro felici Eccleſiæ regimine indixit, ac die trigeſima Novembris literas dedit ad Leopoldum Cæſarem, in quibus ſe graviſſimum ſummi Pontificatus onus ægerrimo animo ſuſcepiſſe teſtatus, Cæſari gratias egit, quod ſui electionem per Lambergum, Medicæum & Grimannum Cardinales, necnon ejus Legatum Comitem de Lamberg promovere voluerit: Eadem die ejusdem ferme tenoris literas dedit ad Joſephum I. Romanorum Regem, Ludovicum Regem Galliæ, Mariam Annam Hiſpaniæ Reginam, Petrum Luſitaniæ, & Fridericum Auguſtum Poloniæ Reges, necnon ad Cosmum Magnum Etruriæ & Sabaudiæ Duces, atque ad Venetorum Rempublicam, aliosque Principes Catholicos. Die autem vigeſima octava Decembris Leopoldum Cæſarem impenſe hortabatur, ne ob ereptum Succeſſionis jus in Hiſpaniæ Regnum novos armorum motus concitaret ſimulque Papa Joſephum Hungariæ, & Petrum Luſitaniæ Reges, ceterosque Principes & Colonitſium Cardinalem, ut & ipſi

Bull. Magn. Clem. XI. Epiſt. & Brev. Clem. XI. p. 1. & ſeq.

Sæc. XVII. A. C. 1700. Cæsarem ad pacis consilia inclinarent, datis literis rogabat: se vero hoc officium apud Imperatorem impendisse, Gallorum Regi significabat, subjungens, quod si Cæsar armis jus suum prosequi moliretur, ipse ea initurus sit consilia, quæ ad reddendam ab exterorum militum incursu immunem Italiam expedire videbuntur.

§. CVII.

Diversæ SS. Congregationum decisiones.

Decis. SS. Congr. Rit. Episc. &c. Pariter Sacræ Romanæ Congregationes hoc anno plures ediderunt Constitutiones, & quidem die decima sexta Januarii Sacra Concilii Congregatio decidit, quod quando Episcopus, quin loca sibi subjecta visitet, violenter impeditur, non modo occlusas fores effringere, sed etiam vi vim & excommunicatione absque alia judiciali monitione repellere valeat: Canonici autem dignitates præsente Archiepiscopo celebrantes non valeant uti pulvinari ad genuflectendum, nisi obstet consuetudo: ita die vigesima tertia ejusdem Mensis decidit S. Rituum Congregatio: sequenti autem die Innocentius XII. Papa declaravit, quod sub generali Indulgentiarum suspensione in

Anno

Anno ſancto non comprehendantur Altaria Privilegiata, nec aliæ Indulgentiæ pro ſolis defunctis conceſſæ: Saluberrime etiam S. Concilii Congregatio die ſexta Februarii ſtatuit, quod cogentes Virgines vel Viduas ad ſuſcipiendum habitum Religionis, aut ad profitendum, ſicut & auxilium & favorem ad id præſtantes, excommunicentur, dummodo de vi illata conſtet, etſi talis fœmina vel Vir tacite aut expreſſe profeſſionem jam ratam habuiſſet. Eadem quoque Congregatio die decima quinta Maij declaravit, quod Judex delegatus nequeat cenſuras Eccleſiaſticas in appellationem prolatas relaxare, aut nullas declarare, non auditis partibus nec cognita cauſſa. Inſuper die quinta Junii decidit, quod Regulares miniſtrantes Laicis infirmis hoſpitantibus in eorum conventibus Sacramenta Euchariſtiæ per modum Viatici & extremæ unctionis absque Epiſcopi vel Parochi licentia, poſſint excommunicari. Inſuper Sacra Indicis Congregatio die vigeſima ſecunda Decembris coram Papa Clemente XI. hos damnavit libros, quorum primus: *de obligatione Conſcientiæ Prælectiones decem: editio ſecunda II. P. Richardi Arsdekin Theologia tripartita univerſa* &c. Denique S. Cardinalium Congregatio Inquiſi-

Sæc. XVII. A.C. 1700.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

quisitionis Romanæ die secunda Junii ex Innocentii XII. Papæ mandato damnavit hos Libros I. Vindicias Jurisdictionis sæcularis & Imperii adversus usurpativam exceptionis & Immunitatis Ecclesiasticæ extensionem II. Epistolam Abbatis . . . . ad R. R. PP. Benedictinos Congregationis S. Mauri circa postremum tomum editionis S. Augustini III. Epistolam Benedictini Non-Reformati ad eosdem IV. Epistolam Abbatis Commendatarii ad eosdem V. Monitum Doctoris Theologiæ ad Præsules Franciæ circa responsum cujusdam Benedictini ad epistolam Abbatis Germani VI. Problema Ecclesiasticum.

§. CVIII.

Quidam Scriptores Catholici hoc anno defuncti, eorum opera.

Dupin. Bibl. nouv. t. 18. pag. 210. Vid. supra lib. 204. §. 102 p. 711. tom. 62.

Recensere lubet quosdam ex Scriptoribus Ecclesiasticis celebriores, qui suis lucubrationibus clari hoc anno obiere: hos inter primus occurrit Armandus Joannes Bouthilier de Rancé Abbas & Reformator Monasterii de la Trappe, de cujus instituto jam alibi meminimus: Scripsit celeberrimus hic Vir colloquia inter Abbatem Joannem & Eusebium Presbyterum, quæ ipso invito

invito clam quidam Parochus edidit: scripsit etiam tractatum de Sanctitate & officiis Status Monastici unacum dilucidatione ejusdem tractatus, contra quem tamen quidam maledici famosum libellum ediderunt sub hoc titulo: *vera motiva conversionis Abbatis de la Trappe unacum quibusdam reflexionibus in ejus vitam & scripta.* Apologiam pro se e contrario scriptam vulgari, ipsemet hic Abbas præpedivit: Præcipue vero Mabillonii Abbatis calamum contra se irritavit; cum enim in præfato tractatu collapsæ disciplinæ Regularis causſam potissimum in literarum studia retulisset, Mabillonius ab hac injuria studia Monastica vindicare aggressus, apologiam contra Bouthilierem edidit, quam tamen hic refellere conatus est, mox vero a Mabillonio aliisque confutatus. Scripsit idem versionem operum Dorothei unacum vita hujus Patris, commentaria in Regulam S. Benedicti unacum nova versione ejusdem Regulæ, statuta & binas exhortationes ad Moniales, relationem circa Mortem Domini Mucæi, instructiones circa præcipua Christianæ doctrinæ moralis capita, ubi Casuistarum & Molinistarum laxitates acriter insectatus est: edidit quoque Christianum agendi modum, synopsin obligationum Christiani, reflexio-

Sæc. XVII. A. C. 1700.

Sæc. XVII. A. C. 1700.

flexiones in quatuor Evangelia, conferentias in epistolas & Evangelia in Dominicis & præcipuis anni festis, principia Christiana & moralia, Constitutiones Trappenses, & varias epistolas Divino Spiritu plenas. II. Claudius Joly typis edidit tractatum de recitatione Horarum Canonicarum, ubi tamen carpitur, quod nimia facilitate illos ab hoc onere exemerit Ecclesiasticos, qui alias habent occupationes indispensabiles: edidit insuper tractatum de restitutione damnorum, quæ Principes inferunt, epistolam apologeticam & traditionem veterum Ecclesiarum Franciæ circa Assumptionem B. V. tractatum de Matrimonio, itinerarium Monasterienſe, monita Christiana circa quædam capita doctrinæ moralis Christianæ, tractatum de Scholis Episcopalibus & Ecclesiasticis præter vitam Erasmi, aliorumque Sæculi XVI. literatorum. Obiit Parisiis die decima quinta Januarii annos natus nonaginta tres. III. Raphael Fabretti scripsit Apologema Jesithei ad Gronovium, in ejusque Titivilitia, explicationem inscriptionum antiquarum, syntagma de columna Trajana, & dissertationes tres de aquis, & aquæ ductibus veteris Romæ, IV. Joannes Tarpon Ord. FF. Præd. vulgavit examen potestatis Religio-

ligiosorum excipiendi confessiones sæcularium. Sæc. XVII. A. C. 1701.

§. CIX.

Celebris casus conscientiæ a Jansenii Discipulis excogitatus.

Primis sæculi decimi octavi auspiciis non modo Principes sagati inter se gladiis, sed etiam Viri togati ac literati calamis acriter depugnabant, & quidem Jansenii fautores, supremo suæ factionis Ductore Quesnello, post Innocentii XII. diploma triumphum canentes, omni ferme die manus ad prælium, & digitos ad bellum paratos habebant, novosque libellos veluti totidem publicas ad bellum provocationes in vulgus spargebant eo fine, ut Innocentium XII. silentio obsequioso contentum formulam aliter ac Alexander VII. interpretatum fuisse, persuaderent: nil ad id aptius censebant, quam fabricare casum, quo eum assolvi posse decideretur, qui Jansenium perperam fuisse damnatum, & obsequiosum silentium sufficere propugnat: Ejusmodi casum excogitandi provincia demandata est Rulando, cum autem hic Thomisticæ gratiæ sufficientis necessitatem adstrueret, Doctorum non pauci subscribere renuebant: hinc alium ceteris magis acce-

Sæc. XVII. A. C. 1701.

acceptum fabricarunt junior Petit pied, & Anquatillus, quibus ſuppetias tulit Parierus Canonicus Claremontanus Claudii Paſcalis Nepos, qui libellum edidit, ſub hoc titulo: *Caſus conſcientiæ a quodam Provinciæ Confeſſario propoſitus circa quemdam Eccleſiaſticum, ejus directioni commiſſum, atque a pluribus Pariſina Facultatis Theologicæ Doctoribus diſſolutus.* Hunc enim caſum præfatæ Facultati decidendum obtulerunt, adjecta hac *epiſtola . . . Domini Canonici B. ad Dominum T. D. A.* Transmitto caſum, quem plures Sorbonæ Doctores, tam meritis quam dignitate inclyti nuperrime reſponſo tibi absdubio gratiſſimo diſſolverunt. Sæpius ex ore tuo percepi, apud vos reperiri ejusmodi homines, qui ſeſe ſanæ doctrinæ opponentes, Presbyteros doctrina & pietate conſpicuos calumniantur, eosque pro Janſeniſtis habent, eoquod in hoc caſu expoſitam doctrinam doceant, atque in uſum deducant. Quod tibi hoc ſcriptum ab æquis rerum æſtimatoribus tantopere deprædicatum communicem, te ratum gratumque habiturum, confido, eoque opportune uſurum, ut eorum ora obſtruas, qui tanquam ſuſpectas novitates convitiantur ea, quæ tot Viri doctiſſimi approbant, ſuoque calculo confirmant &c.

Caſus

Casus autem erat iste, Confessarius quidam jam per plures annos cujusdam Ecclesiastici confessiones excepit, eumque sine scrupulo absolvit, tandem vero eum ex aliorum relatione de novis opinionibus suspectum habuit, quapropter cum eodem conferens, varias suæ doctrinæ novitates expiscatus est, de his autem, an ab Ecclesia sint damnatæ, certo judicare minime ausus, eas Sorbonæ Doctoribus, eorumque judicio submisit, declarari petens, an earum abjurationem a suo pœnitente exigere posset, id si renueret, an ei absolutionem denegare deberet? Quæsivit ergo hic Confessarius a suo pœnitente. I. Quid credat circa quinque propositiones ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatas. Respondit pœnitens, se eas condemnare, ac semper condemnasse pure & sine restrictione in omni sensu, quo eas Ecclesia damnavit, & etiam in sensu Jansenii, prout Innocentius XII. explicavit in suis literis ad Belgii Episcopos: ast quantum ad factum, se cum Perefixo Archiepiscopo credere, quod sufficiat obsequiosum silentium, & quamdiu juridice convinci non possit, se negare in animo factum, nec propterea turbari, aut de fide suspectum haberi posse. II. Quid credat de Prædestinatione & gratia? Respon- Sæc. XVII. A. C. 1701.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

dit Pœnitens, ſibi perſuaſum eſſe illam eſſe gratuitam, & ante præviſa merita, hanc vero eſſe per ſeipſam efficacem, & ad omne opus bonum neceſſariam, juxta S. Auguſtinum, dari tamen gratias internas, quæ darent veram potentiam ad adimplenda Dei præcepta, eas vero non omnem ſuum habere effectum propter voluntatis reſiſtentiam. III. Quid ſentiat de amore Dei? Reſpondit, ſe credere, quod actiones, quæ ad Deum non referuntur, nec procedunt ab amore, ſint peccata ob defectum finis boni & recti, etſi poſſint eſſe bonæ ratione objecti particularis aut finis. IV. Quid credat de ſufficientia attritionis? Reſpondit, nihil ab Eccleſia eſſe deciſum, credere tamen, attritionem ex metu eſſe bonam, ut tamen ſit ad recipiendam abſolutionem Sacramentalem ſufficiens, requiri, ut ſit animata charitate ſaltem initiali. V. Quid ſentiat de auditione Miſſæ? Reſpondit Pœnitens, eum, qui aſſiſtit cum affectu ad peccatum mortale ſine motu pœnitentiæ, committere novum peccatum. VI. Quid ſentiat de cultu Sanctorum? Reſpondit, ſe credere, quod cuilibet Chriſtiano utiliſſima ſit devotio erga B. V. & Sanctos, eam autem non conſiſtere in vanis deſideriis, & minus ſeriis exercitiis, ſed in vero amore, venera-

neratione, & imitationis ſtudio: ſe autem reprobare nimiam fiduciam, in Sanctos, & forte majorem quam in Deum, non autem eſſe prædicandum, quod B. V. animas damnatas liberaverit, inſuper ſe non credere immaculatam Conceptionem B. V. eoquod Alexander VII. declararit, ſe hanc quæſtionem non definire, de cetero autem nihil a ſe dici contra opinionem contrariam. VII. An libros Janſeniſtarum legat? Repoſuit Pœnitens, ſe pervolvere librum Arnaldi de frequenti communione, Sancyrnai epiſtolas, verſionem etiam Montenſem novi Teſtamenti, Moralia Gratianopolitana, colloquia Luconienſia, & Rituale Alectenſe, eoquod omnes hi libri cum permiſſu & approbatione plurimorum Præſulum & Doctorum editi, nec intra Diæceſin prohibiti ſint, & præcipue Rituale Alectenſe, eoquod Pontifex ab aliis deceptus illud damnarit, & ab hoc Epiſcopo non modo nullam revocationem exegerit, ſed etiam die decima nona Januarii eidem reconciliationis literas transmiſerit. His ita propoſitis hujus caſus Author fingit, ex una parte hunc Eccleſiaſticum a Viris morum probitate, & Religionis Zelo inclytis fuiſſe delatum, ex altera vero eundem hominem eſſe pietati deditum,

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

proin illorum accusationem contemnere, temerarium, hunc absolvere, periculosum sibi videri, in hac ergo perplexitate se rogare, ut Sorbonæ Doctores decidere vellent, an ipse hunc Pœnitentem possit absolvere? Ad hanc quæstionem quadraginta Doctores responderunt, se perceptis hujus Ecclesiastici responsis censere, ejus opiniones nec novas, nec singulares, nec ab Ecclesia damnatas, neque tales esse, ut Confessarius ab eo petere teneretur, quatenus Pœnitens pro obtinenda absolutione eas abjuraret.

Aliquamdiu hæc Doctorum decisio omnino secreta habebatur, donec impellente ipse Quesnello illa anno sequenti primo Leodii mox Parisiis ac demum alibi per typum pluribus editionibus vulgaretur: sperabant enim Jansenii fautores, Apostolica Decreta & Pontificum diplomata hoc casu eludi, ac sub facti & obsequiosi silentii velamine ipsa Jansenii dogmata a quovis tuta conscientia ob tot Theologiæ Doctorum decisionem animo foveri posse. Non minor erat Doctorum contentio & strepitus, quam populi offensio: præ ceteris huic decisioni nomen dedit celebris P. Natalis Alexandre, quem tamen Hennebelus, eoquod receptui signum dedisset, in sua epistola *Virum*,

qui

qui ad omnem auram mutatur, nominabat: ipſe etiam Tellierus Rhemenſis Archiepiſcopus hanc Doctorum deciſionem incauta prorſus præcipitantia approbavit, & Quesnellus variis artibus plures ſollicitavit Prælatos, ut pariter ſubſcriberent, operam tamen & oleum perdidit; primi enim horum deciſionem palam deteſtati ſunt Epiſcopi Carnutenſis, Meldenſis atque Auchianus, qui hujus caſus approbatores aperte janſeniſtas nominabat: His acceſſit Noallius Pariſienſis Archiepiſcopus, qui hunc caſum edito decreto, uti referemus, damnavit: Carnutenſis vero Epiſcopus apud ipſum Franciæ Regem ſuas querelas contra hoſce quadraginta Doctores deferebat, cui egregiam hac in cauſſa operam præſtitit, quidam Regius Miniſter, qui hoſce Doctores appellabat *inquietos ſpiritus æternum agitantes quæſtiones periculoſas ſuper condemnatione juſte pronuntiata.* Sæc. XVII. A.C. 1701.

§. CX.

Hæc Doctorum deciſio Romæ a ſummo Pontifice damnata.

Interim vero totum hoc negotium Romam ad ſupremum ſummi Pontificis Tribunal devolvebatur, qui etiam horum Doctorum deciſionem a pluribus Car- *Cauſſa Quesn. art. 18. pag. 418. Argentré Collect. Jud.*

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Cardinalibus & celeberrimis Theologis discuti jussit, ac ipsemet totum hoc scriptum sedulo ac sæpius examinavit: cum ergo suorum Prædecessorum Constitutiones aperte contemni, & Jansenii dogmata artificioso hoc commento stabiliri cerneret, hunc casum censura perstrictum damnavit, & die duodecima Februarii anno hujus sæculi tertio sequens edidit diploma:

„Cum nuper in lucem prodierint „quædam folia Gallico idiomate edita „sub titulo: *Epistola Domini Canonici B. ad Dominum T. D. A. &c. Casus conscientiæ* &c. Quam plures autem ex „Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. „Cardinalibus, quos ad examen dicto„rum foliorum specialiter delegimus „audita, ac diligenter perpensa folio„rum hujusmodi censura, quæ coram „nobis lata fuit, folia ipsa damnanda „& prohibenda esse censuerint. Hinc „est, quod nos pro commissa nobis ab „æterno Pastore gregis sui cura, domi„nicas oves, quantum nobis ex alto „conceditur, a noxiis præservare cu„pientes, de memoratorum Cardina„lium Consilio, folia prædicta autho„ritate Apostolica, tenore præsentium, „damnamus & reprobamus, ac legi & „retineri prohibemus, illorumque im„pressionem, descriptionem, lectionem, „re-

„retentionem, & usum omnibus & sin- Sæc. XVII.
„gulis Christi fidelibus, etiam specifica A. C. 1701.
„& individua mentione & expressione
„dignis sub pœna excommunicationis
„per contra facientes ipso facto absque
„alia declaratione incurrenda omnino
„interdicimus, volentes & authoritate
„præfata mandantes, ut quicunque
„eadem folia penes se habuerint, illa
„statim atque præsentes literæ eis in-
„notuerint, locorum Ordinariis, vel
„hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tra-
„dere, atque consignare teneantur,
„in contrarium facientibus non obstan-
„tibus quibuscunque, ut autem eædem
„præsentes literæ ad omnium notitiam
„facilius perveniant, nec quisquam il-
„larum ignorantiam allegare possit; vo-
„lumus & eadem authoritate decerni-
„mus, ut illæ ad valvas Basilicæ prin-
„cipis Apostolorum ac cancellariæ Apo-
„stolicæ, necnon curiæ generalis in
„monte citatorio, & in acie campi
„floræ de urbe per aliquem ex cursori-
„bus nostris, ut moris est, publicentur.

§. CXI.

Epistola ejusdem Summi Pontificis ad Ludovicum Franciæ Regem.

Quoniam vero venenata hæc hydra in Galliis fuisset progerminata, nil magis necessarium censuit Pontifex, quam *Argentre Coll. Jud. t. 3. p. 418.*

Sæc. XVII. A. C. 1701.

quam ut ibidem internecino ictu protinus conterreretur: eapropter altera die hanc suam Constitutionem ad Ludovicum XIV. Franciæ Regem transmisit, eamque in toto Regno in usum deduci rogavit, datis ad eundem hisce literis: „Audivimus nuper audaci pla„ne, ac subdola, non nullorum homi„num opera, qui in id nati esse viden„tur ut Ecclesiæ ac reipublicæ pacem „turbari non cessent, libellum quem„dam prodiisse, cui titulus: *Casus conscientiæ a quodam Provinciæ Confessario circa quemdam Ecclesiasticum ejus directioni commissum propositus, & a pluribus Parisinæ Facultatis Doctoribus decisus.* „Quo sane plura „pernicioſæ doctrinæ capita, erroresque „damnati revocantur in lucem, & ipsa e„tiam hæretica Jansenii dogmata non ob„scure foventur, dum editæ olim pro iis „omnibus abolendis Apostolicæ constitu„tiones captiosis subtilitatibus eludun„tur, id porro in quantum Christi fidelium „scandalum, atque utriusque regiminis „perturbationem vergat, Majestas tua, „cujus mentem tanta in gubernandis „populis sapientia illustravit Altissimus, „ex se satis ipsa deprehendit. Quoniam „vero contra istiusmodi homines con„tinua novitatum prurigine laborantes „non amplius legibus, ac sanctionibus, „quæ satis multæ hactenus publicatæ „sue-

„fuerunt; sed gravium potius adhibi- Sæc. XVII.
„tione pœnarum agendum videtur, ne A. C. 1701.
„malum toties compressum, & quoti-
„die revivisens ulterius serpat, op-
„portunum existimavimus, damnato
„prius juxta Sedis Apostolicæ morem
„libello, dilecti filii nostri Ludovici An-
„tonii S. R. E. Cardinalis de Noailles
„Ecclesiæ Parisiensis Præsulis Zelum,
„ac pietatem per Apostolica scripta
„excitare, ut in ejusdem libri authores
„evulgatoresque præcipuos summo stu-
„dio conquisitos severius animadver-
„tat, doctoresque non paucos, qui
„Romanorum Pontificum prædecessо-
„rum nostrorum constitutiones, & Re-
„giæ etiam Majestatis decreta contem-
„nentes, eidem libello palam subscri-
„bere non sunt veriti, debitis pœnis
„afficiat. Ea autem in re, qua non Ec-
„clesiæ solum quæ Majestati tuæ ma-
„ximæ curæ est, sed & ipsius regni uti-
„litas quæritur, summopere decet re-
„galis brachii tui in præfati Cardinalis
„auxilium exerceri potestatem, atque
„ita paucorum hominum temeritatem
„compesci, ut palam fiat omnibus,
„eam hodie inter sacerdotium & Impe-
„rium miserante domino vigere concor-
„diam, ut impune non liceat turbulen-
„tis ingeniis & nunquam cavillandi fi-
„nem facientibus, Ecclesiasticas simulac

Sæc. XVII
A. C. 1701

, regias leges infringere, novit profecto „Chariſſime fili noſter, novit & gratu„latur Eccleſia omnis, quanto pietatis „ſtudio, quanta regii nominis laude „eliminandis fidei Catholicæ ac Di„ſciplinæ adverſis erroribus & novita„tibus, præcipue vero radicitus extir„pandis Janſenii dogmatibus adlabora„veris, tuæ nunc prudentiæ, tuæ Re„ligionis ac pietatis eſt cæpto operi ſu„premam manum adjicere, traditam„que tibi ab Altiſſimo poteſtatem in „ipſius atque Eccleſiæ ſuæ obſequium „exercere. Ne patiaris igitur, Cha„riſſime fili, ut tot labores ac ſtudia, „quæ exterminandæ ex florentiſſimo „Regno tuo peſſimæ hæreſis contagio„ne adhibuiſti, paucorum hominum „veſania fructu evacuentur, ſileant in„quieti homines, coerceantur protervi, „paveant contumaces, & quos Eccleſiæ „manſuetudo non flectit, poteſtas re„galis compeſcat & conterat, ut ita, „quam Eccleſiæ Dei dederis, Deus ipſe „donet regnis tuis ac perpetuo ſervet „tranquillitatem; eam interim Maje„ſtati tuæ, unacum cæteris bonis om„nibus ex animo precantes apoſtoli„cam ſimul benedictionem tibi aman„tiſſime impertimur.

§. CXII.

Sæc. XVII.
A.C. 1701.

§. CXII.

Clementis XI. Papæ epistola ad Noallium Cardinalem Parisiensem Archiepiscopum.

Eadem die pariter Cardinalem Noallium Parisiensem Archiepiscopum, ut Pontificiæ Constitutionis executionem urgeret, impense hortabatur, datis ad eum hisce literis: „Non sine ma„gna paterni cordis nostri, amaritudi„ne nuper accepimus editum Parisiis ac „pervulgatum fuisse libellum quemdam, „cui titulus: *Casus conscientiæ* &c. mole „quidem perexiguum, sed multiplici „novæ doctrinæ veneno abunde refer„tum, quo scilicet plures damnati er„rores pernicioseque novitates ad„struuntur, ac ipsius etiam felicis re„cordationis Alexandri VII. prædeces„soris nostri ad Jansenianam hæresin „non modo iterum damnandam, sed „& præclaris omnibus callidorum ho„minum effugiis, ac tergiversationibus „radicitus evellendam tanta maturitate „editæ Constitutiones, quibus & nos „firmissime inhæremus, indirecte qui„dem ac veluti per cuniculos impetun„tur. Quid enim aliud esse dixerimus „libelli hujuscemodi authores tam „splendido verborum apparatu erga „Pon-

Epist. & Brev. Clem. XI. pag. 140.

Sæc. XVII. A. C. 1701

„Pontificias Conſtitutiones internam „ſemper obſervantiam polliceri, quam „interim exterius violant, & ut ſilen„tium polliceantur, quotidie ſilentium „rumpere, quid inanibus quæſtionibus, „quæ ad nihilum proficiunt, præter„quam ad ſubverſionem audientium' „Eccleſiaſticarum ſanctionum perſpi„cuitati tenebras velle offundere; niſi „malum quod corde fovent, per quam„dam diſſimulationem operire; ita ut „illud ſane uſurpari poſſit: *ſermo eorum ut cancer ſerpit*, & aliud, *acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis venenum aſpidum ſub labiis eorum*, ingemimus plane vi„dentes homines, qui ſe Catholicos „profitentur, eo temeritatis ac pervi„caciæ devenire, ut præfatis Apoſtolicis „conſtitutionibus, ceterisque hujus S. „Sedis decretis adhuc obviam ire, „eorumque vim emendicatis undique „captioſis ſubtilitatibus eludere ſe poſſe „confidant. Verum cum ſubdolis eo„rum artibus non modo, ut par eſſet, „minime obſiſtere, ſed potius patroci„nari, ac veluti manum porrigere con„ſpexerimus non paucos Pariſienſis „Scholæ Doctores, qui libellum ipſum „palam auſi ſunt ſuo calculo compro„bare, obſtupuimus plane & magna „ſimul perturbatione pro domo Deo „exarſimus, ſtatimque, ne commiſſo „nobis

„nobis cælitus muneri deeſſe videre- Sæc. XVII.
„mur, de valido adhibendo remedio A. C. 1701.
„cogitavimus: quapropter libellum
„ipſum prævio, ut moris eſt, Theolo-
„gorum examine, apoſtolica authori-
„tate damnavimus, ac prohibuimus,
„ne ejus lectione fidelium mentes infi-
„cerentur. At vero, quoniam ut ſan-
„ctus Proſper præclare admonet, hujus-
„modi hominum pravitati non tam di-
„ſputationum ſtudio, quam authorita-
„tis privilegio eſt reſiſtendum, circum-
„ſpectionem tuam ſerio admonemus,
„ut Zelum, quo maxime ferves, pro
„ſana doctrina, Eccleſiæque pace te-
„nenda excites, exeras atque inten-
„das inveſtigandis omni ſtudio diligen-
„tiaque libelli hujus authoribus, præ-
„cipuisque promotoribus atque evul-
„gatoribus; neque enim clam fieri po-
„tuit, quod nonniſi a multis potuit
„perpetrari, ac poſtmodum in eos gra-
„vibus, ut tantæ debetur audaciæ,
„pœnis animadvertas. Porro docto-
„res illos, quos ſane decebat magis
„expugnandis Eccleſiæ teterrimis hoſti-
„bus, quam convellendis Apoſtolicæ
„Sedis Conſtitutionibus nomen inſcri-
„bere, omnino volumus ſeveram adeo
„te puniente diſtrictionem ſubire, ut
„cæteri in poſterum a ſimilibus ab-
„ſterreantur.„

„Cha-

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„Chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Regem Chriſtianiſſimum, & datis literis & per venerabilem fratrem „Philippum Antonium Archiepiſcopum „Immolenſem Nuntium noſtrum, qui „plura tecum hac de re differet, enixe „rogamus, ut circumſpectioni tuæ in „exequendis hiſce mandatis noſtris „pravorumque hominum nequitia coercenda regalis quoque velit auxilii „brachium impertiri, quod quidem „Majeſtatem ſuam pro ſummo, quem „in compeſcendis hæreſum ac novitatum authoribus hactenus oſtendit, „Zelo confidimus, egregie præſtituram, „& tibi interim dilecte filii noſter Apoſtolicam benedictionem peramanter „impertimur.„

§. CXIII.

Alia Clementis XI. epiſtola ad Franciæ Regem.

Hæc Pontificis monita apud Ludovicum Regem aliunde Catholicæ Religionis puritatem conſervandi ſtudio accenſum valuere tantum, ut Regii Senatus decreto horum Doctorum reſponſa ad præfatum caſum damnaret, atque ad omnes Regni Epiſcopos ſummi Pontificis Conſtitutionem unacum Senatus ſententia, per Pont-Chartrainum

num intimum Regni Secretarium, die vigesima quarta Martii transmitti juberet, simulque indicta exilii pœna in hujus Casus approbatores ni subito palinodiam canerent, animadverteret. Cum ergo Dupinus aliquamdiu suam approbationem, revocare cunctaretur, Regis jussu exilio mulctatus est: hoc comperto Clemens Papa gratulatorias literas die decima Aprilis ad Regem dedit hujus tenoris: „Ex iis, „quæ venerabilis frater Philippus Antonius Archiepiscopus Immolensis „Nuntius noster ad nos detulit, non „sine maximo animi gaudio percepimus, regium Majestatis tuæ Zelum „nostris nuper paternis vocibus excitatum cœpisse in præcipuos teterrimi „libelli approbatores condignis pœnis „animadvertere, Ludovicum Dupinum „*nequioris Doctrinæ, hominem temeratæque pluries Apostolicæ Sedis dignitatis „reum*, exulare jubendo, qua de causa „singulare tuum ac fervens Ecclesiæ „favendi studium, religiosamque Pontificis monitis obsecundandi voluntatem, dignis commendare debemus „laudibus, tibique & gratias agere, „& ut cæptum egregie opus prosequi „velis, vehementer adhortari, quandoquidem adversus homines agitur, „qui nonnisi pœnarum severitate coer-

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„ceri

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„ceri valent, neque vero excusationem „obtendere jure possunt, qui tot Ec„clesiæ, Regnique legibus non quidem „ignotis, sed palam editis, atque per„spicuis obviam ire ausi sunt, neque „admissi criminis veniam sola Episco„palis judicii agnitione demereri, qui „publice in Ecclesiam, Ecclesiæque „Caput Romanum Pontificem non uno „nomine deliquere. Nimia videlicet „erit peccandi licentia, si gravia quæ„vis & aperta facinora, vel una satis „deprecatione purgentur. Cæterum „quod libellum quemdam Apostolicæ „damnationis sententia confixum, e„dicto quoque regio proscripseris, sum„mopere gaudemus, ne tamen ex qui„busdam ipsius edicti verbis quisquam „inferre præsumat, non sustinendæ „modo, sed & pariter impugnandæ „Jansenianæ hæreseos in posterum „viam præclusam esse, quandoquidem „ab æquissima Majestatis tuæ mente „prorsus alienum esse, nemo est, qui „non sciat, utque nova omnis subdolis „ingeniis cavillandi ansa penitus præ„cidatur, maxime expedire arbitra„mur, ut Majestas tua eade re volun„tatem suam expressius declarare non „gravetur, quemadmodum idem Nun„tius noster tibi uberius explicabit, „quod sane & fovendæ Christianæ fidei „puri-

„puritati opportunum, & nobis porro „gratissimum fuerit. Ita enim publicæ „consulendum tranquillitati est, ut Ca„tholicæ veritati, salvis semper chari„tatis, atque modestiæ legibus tuendæ „locus non adimatur, ac Majestati tuæ „Apostolicam benedictionem perpetuo „cum felicitatis tuæ voto conjunctam „amantissime impertimur.„ Sæc. XVII. A. C. 1701.

§. CXIV.

Hæc eadem decisio a Cardinale Noallio Parisiensi Archiepiscopo damnata.

Quamvis ex hisce Doctoribus potissimi aut veritate convicti, aut pœnarum severitate territi, palinodiam canerent, suasque privatas opiniones Noallii Parisiensis Archiepiscopi judicio ac decreto subjicerent, nihilominus „hic idem Præsul die vigesima secunda Februarii eorum decisionem damnavit, edito desuper hoc decreto: „A die, „qua formidandi ministerii pondus no„stris humeris impositum est, nil inti„mius cordi nostro infixum erat, quam „pacem & ædificationem inter fideles „nostræ curæ subjectos conservare: id „potissimum muneris nostri esse, didi„cimus ab Apostolo, dicente: *Quæ ergo pacis sunt, sectemur, & quæ ædifi-*

Sæc. XVII. A. C. 1701.

cationis in invicem cuſtodiamus. Toti in „eo eramus, ut contentiones pacis ini„micas exulare faciamus, ſicut & de„creta atque inſtructiones noſtræ pro „conſervanda ſana doctrina a nobis „editæ nonniſi ad inſpirandam pacem „& charitatem collimabant. Inſuper„habita tamen ſollicitudine, & vigi„lantia noſtra non ſine ſummo animi „dolore charitas turbata eſt per deci„ſionem caſus conſcientiæ, a quadra„ginta Sorbonæ Doctoribus ſubſcriptam, „qua funeſtæ contentiones Eccleſiam „a tanto tempore dilacerantes renovatæ „ſunt. „

„Quantum vero nova hæc tempe„ſtas nobis impendens nos afflixerat, „tantum nunc recreat horum Docto„rum ſubmiſſio erga noſtram deciſionem; „luculentis enim teſtimoniis, libellis„que ſupplicibus teſtati ſunt, quod pri„vatas ſuas opiniones noſtro ſubjiciant „judicio: quinimo eorum nonnulli tam „clare mentem ſuam aperuerunt, ut „de eorum doctrinæ puritate ac per„fecta ſubmiſſione erga Eccleſiæ deci„ſiones nullus ambigendi locus nobis „ſuperſit. „

„Ut ergo hac in occaſione adim„pleamus, quæ tam officii noſtri ra„tio, quam horum Doctorum ſubmiſ„ſio a nobis depoſcit, invocato Dei No„mine

„mine post maturam deliberationem damnamus præfati casus decisionem „quoad primum articulum, in quo „pœnitens respondit: *se credere, quod post puram & non restrictam Formularii subscriptionem circa factum sufficiat obsequiosum silentium*, id damnamus tanquam contrarium non modo Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. sed & literis Innocentii XII. „receptis in comitiis Cleri Gallicani anno millesimo septingentesimo celebratis, necnon nostro decreto die vigesima Augusti Anno 1696. rejicimus tanquam doctrinam, qua resuscitantur „quæstiones decisæ, æquivocationum „& restrictionum mentalium usui imo „& perjuriis faventem, derogantem „auctoritati Ecclesiæ, debitæ observantiæ inimicam. Ceteros autem „articulos captiosis verbis expositos, „quia contradictiones, plures damnandas expressiones, Sacræ Sedi injurias „continent, damnamus, præfatique „casus lectionem sub pœnis in jure statutis prohibemus: Tuta regula decidendi casus conscientiæ semper erit „firma observantia decisionum Ecclesiæ, ac perfecta erga illas obedientia: „ad id ergo omnes Doctores ac Diæceses nostræ fideles hortamur, hoc „duce aberrare non possumus, alio au-

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Sæc. XVII. A.C. 1701.

„tem quovis ductore, uti periculosum „est. Ad quid ergo tot cavilli contra „Ecclesiam, tot contentiones circa „submissionem ei debitam? cur semper „revelatio aut certa evidentia exigitur „tanquam testis de æquitate suarum de„cisionum? cur obsequium tantopere „æquum, & obsequiosis proficuum tam „arctis constringatur limitibus? quan„tacunque doctrina quis luceat, ejus „tamen lux semper inferior est lumine „totius Ecclesiæ: non alia, quam „scientia inflans suggerit, quod quis „clarius quam Ecclesia videre existi„mat. Ergo æque docti ac indocti se „Ecclesiæ subjiciant, & nonnisi ad ejus „auctoritatem elevandam, ejusque le„gibus obtemperandum suam impen„dant doctrinam. „

„Haud ignorant, quod Ecclesia non „modo novissimis hisce temporibus fi„deles adstrinxerit, ut Authorum, „eorumque scriptorum condemnationi, „æque ac eorum erroribus subscribe„rent: Id adeo sibi persuasum habuit „Concilium Calcedonense, ut primi e„tiam subsellii Episcopi iis, quæ circa „quemdam Patriarcham, cui adhære„bant, decisia, eo tenore subscripserint, ut „ad id & non modo ad merum silentium, „sed ad veram obedientiam, atque in„ternam sui judicii submissionem se ob„strictos

„ſtrictos eſſe profiterentur: *Obtemperans ſententiæ Sanctiſſimorum Epiſcoporum conſentiens ſubſcripſi . . . Cognoſcens diſcuſſionem Sanctorum Patrum, & cum ſequi debeam eorum judicium, ſubſcripſi.* Quibus „verbis conſenſus & approbatio indi- „catur.„ Sæc. XVII. A. C. 1701.

„Obteſtamur itaque omnes noſtræ „Diæceſis Doctores, eisque præcipi- „mus, ut impoſterum difficiles, raros- „que caſus, ubi agitur de pace Eccle- „ſiæ, ad nos deferant; Epiſcopi ex „officii, & dignitatis ſuæ ratione primi „ſunt ſuarum Diæceſium Doctores, ad „eorum deciſiones in difficilioribus do- „ctrinæ caſibus recurrendum eſt, etiam „& multo magis, quando agitur de „diſciplinæ caſibus, circa quos cuncti „Canones & Ritualia tam vetera quam „nova præcipiunt, ut Epiſcoporum con- „ſilium expetatur, eorumque deciſioni „inhæreatur: Felices eſtis, ſi habetis „Sacerdotes doctos, qui ad normam „juſtitiæ & veritatis in decidendis du- „biis vos juvare, animasque, quarum „primi ſunt Paſtores, conducere va- „lent.„

„Hæc felicitas forte nobis magis „quam cuilibet totius Orbis Epiſcopo „propria eſt; habemus enim in noſtra „Diæceſi celeberrimam Facultatem „Theologicam a tot ſæculis in Eccleſia

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„commendatam, habemus tot alios Sa-
„cerdotes tam sæculares quam Regula-
„res scientiæ ac virtutis consummatæ
„laude præstantissimos. Quantumcun-
„que vero eorum scientiis applauda-
„mus, difficilium tamen graviumque
„quæstionum decisionem eis relinquere
„non valemus; id enim præcipuum est
„munus Episcopalis dignitatis, & digni
„essemus reprehensione, quo Sanctus
„æque ac doctus Pontifex Cælestinus
„quosdam Franciæ Episcopos castiga-
„vit dicens: *Quid in Ecclesia vos agitis,*
si vestri Presbyteri summam teneant prædicandi.

„Ut ergo omnem impleamus justi-
„tiam, simulque charitatem & verita-
„tem propugnemus, merito excan-
„descimus contra libellos livore & acri-
„monia tumidos, qui occasione hujus
„casus in vulgus sparsi sunt: Non sunt
„opera Sapientiæ illius, quæ juxta
„S. Jacobum *desursum descendens, pacifica est, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.* Econtrario ejusmodi libelli sunt opera sa-
„pientiæ *terrestris atque animalis:* in illis
„non reperitur odium illud perfectum,
„de quo Propheta ait: *Iniquos odio ha-*
„*bui*, odium illud, quod non excludit
„charitatem, quod errores, non er-
„rantes

„rantes insectatur, quod parcit perso-„nis, non autem perversæ eorum do-„ctrinæ: Eapropter pariter damnamus „ejusmodi libellos, tanquam injurios, „scandalosos, calumniis scatentes, & „charitatis destructivos, eorumque le-„ctionem prohibemus.„

„Insuper omnes nostræ Diæcesis „Theologos hortamur, & per viscera „Jesu Christi obsecramus, ut paci stu-„deant, omnesque contentiones, & „dissidia pacis inimica evitent: ad ma-„lorum cumulum deveniremus, si sa-„crum quoque bellum accederet pro-„fano, quo in peccatorum nostrorum „vindictam jamjam affligimur.„

„Laudamus, quantum possumus, „Zelum contra pernicioſam doctrinam, „si vero non est secundum scientiam & „charitatem, cum Apostolo exclamo: „*Laudo vos? in hoc non laudo*, Zelus „enim iste, etsi in se sit laudabilis, di-„splicet Deo, & molestus est Ecclesiæ; „oportet enim juxta Apostolum *veri-„tatem facere in charitate.*

„Equidem juxta Tertullianum, ubi „ad defensionem veritatis debellandus „est spiritus mendacii, *omnis homo mi-„les est*, non tamen omnis homo est „Caput Ecclesiæ, Ecclesia Christi Do-„mini est *acies ordinata*, in qua sunt „Belliduces, & subalterni Tribuni:

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„hoc ordine ac subordinatione ab ipso „Christo stabilita evadit Ecclesia suis „hostibus *terribilis*, hac sublata est im„becillis: Quando ergo aliqui errores „Ecclesiam impetunt, ad nos recur„rite, nos monete, & priusquam in „vulgus propaletis, errorem apud nos „denuntiate: Nostri officii debitum, „& pondus agnoscimus, atque in Do„mino confidimus, eum nobis non de„futurum viribus necessariis ad resisten„dum cuilibet errori: quibus vero nil „nisi veritas & Ecclesiæ decor cordi „erit, hanc legem omni tempore in „Ecclesia observatam haud ægre cu„stodient, eam exacte servari rogamus, „eamque sub pœna inobedientiæ om„nibus nostræ auctoritati subjectis in„jungimus, nostramque Constitutionem „ad initium Regiminis nostri editam „plane confirmamus, ac rursus decla„ramus, nos omni, qua par est, fir„mitate omnibus illis restituros, qui „quinque propositionum doctrinam in„novare, aut ore vel calamo Pontifi„cum Constitutiones impetere, vel quo„vis pacto labefactare præsumpserint.„

„Prohibemus etiam, ne quis infensa „Jansenismi accusatione quempiam in„festet, nisi legitime constiterit, eum „vel lingua vel calamo quamdam ex „damnatis propositionibus propugnasse, „uti

„uti jam præceptum est ab Innocentio Sæc. XVII.
„XII. & a Clero Gallicano in suis co- A.C. 1701.
„mitiis congregato &c. „

§. CXV.

Casus decisio a suis Approbatoribus revocata.

Hoc Archiepiscopi edictum, Pontificis sententia, ac præcipue Regis indignatio Sorbonicos hujus casus Approbatores ad saniora reduxit consilia, atque inter eos doctissimus Vir Natalis Alexandre, qui suæ doctrinæ auctoritate multis antea ad subscribendum exempli facem prætulit, nunc primus receptui signum dedit, ceterosque ferme omnes ad revocandam detestandamque decisionem pertraxit: Petitpiedius tamen, & Hiacynthus De Lan Rothomagensis Ecclesiæ Theologus, Dupinus & P. Gueton subscriptam a se doctrinam retractare pertinaciter renuerunt, ac propterea a Rege exilii pœna mulctati, & a Sorbona excluſi fuerunt. Ex reliquis vero Facultatis Theologicæ Doctores numero viginti octo Mense Martio Cardinali Noallio Parisiensi Archiepiscopo sequens suæ subjectionis Testimonium uti jussi erant obtulerunt.

„Nos infra scripti decreto Eminentis-
„simi Cardinalis Noallii Archiepiscopi

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„noſtri nos ſubmittimus, noſtrasque „ſententias & doctrinas eidem confor„mabimus, ſerio dolentes, quod *con„ſcientiæ caſum* ibidem contentum ap„probaverimus:„ Inſuper Sarrazinus Regius linquæ hebraicæ Profeſſor palam die prima Aprilis declarabat, quod præfato caſui non ſubſcripſerit, etſi ejus nomen in deciſione typis impreſſa legatur, e contrario autem doctrinam in Archiepiſcopi Pariſienſis decreto contentam libentiſſime amplectatur, eique ſemper ſuam ſententiam conformaturum ſpondeat.

§. CXVI.

Pariſinæ Facultatis Theologicæ ſententia contra hunc caſum.

Cauſſ. Quesnel. p. 433.

Hiſtoriam hujus caſus integram huc adducere lubet, ne ſæpius interrupta hujus relationis ſeries lectori tædioſa vel moleſta accidat: ſubjungimus igitur Facultatis Theologicæ Pariſienſis cenſuram, quantumvis nonniſi anno hujus ſæculi quarto pronuntiata fuiſſet: Erat autem tenoris ſequentis.

„Die Lunæ prima Septembris Anni „1704. habita ſunt in aula Collegii Sor„bonæ, poſt ſolemne Sacrum de Spiritu „Sancto, Comitia S. Facultatis gene„ralia ordinaria: in quibus M. Joannes „Vi-

„Vivant, Syndicus, dixit, Eminen-
„tiſſimum D. Cardinalem Archiepiſco-
„pum Pariſienſem accerſitis ad ſe, &
„ſumma humanitate exceptis, vene-
„randis quatuor e Sapientiſſimis Ma-
„giſtris noſtris Senioribus & Syndico,
„hæc ab ipſis referenda ad Sacram Fa-
„cultatem graviſſima Oratione decla-
„raſſe: Regem Chriſtianiſſimum pro
„eximio, quo flagrat, ſtudio Religio-
„nis & ſingulari, qua Sacrum hunc or-
„dinem proſequitur, benevolentia,
„optare: ut, quoniam duo ex hoc or-
„dine Magiſtri, videlicet M. Nicolaus
„Petit-Pied, Lector Sorbonicus, &
„M Hyacinthus De Lan, Eccleſiæ Ro-
„thomagenſis Theologus, revocare con-
„tumaciter renuunt, ſubſcriptam a ſe
„in libello inſcripto, *Caſus Conſcientiæ*,
„doctrinam, quæ comperta ſit favere
„damnatis Janſenii erroribus, com-
„preſſa ſcandala renovare, Pontificiis
„Conſtitutionibus, Sanctionibus Cleri
„Gallicani, ac Edictis Regiis, ut &
„Sacræ Facultatis Decretis omnino ad-
„verſari, Sacra Facultas, ſuſpenſo quo-
„cunque alio negotio, decernat, quod
„fidei integritati, honori ſacri Ordinis,
„& illorum Magiſtrorum ſaluti magis
„expedire cenſuerit.„

„Quibus relatis, ſubjunxit D. Syn-
„dicus: Perſpectum eſſe omnibus a
„multo

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„multo tempore præsens negotium; „constare, sparsum per urbem, ac uni„versum late Regnum, imo & extra „Gallias, scriptum quoddam typis non „semel editum, cui titulus est: *Casus conscientiæ propositus Parisinæ Facultati* „&c. in ejus inscriptione dici, *propositis quæstionibus responsum fuisse a compluribus Theologis Parisiensibus*, & in fine „subjici, *deliberatum in Sorbona*: ex quo „quibusdam videri possit probatum il„lud fuisse a toto Ordine, aut certe a „majori illius parte, licet clanculum, „S. Facultate, imo & plerisque Magi„strorum prorsus insciis, subscriptum, „editumque fuerit: revocatum quidem „fuisse a triginta sex e quadraginta Ma„gistris, a quibus probatum fuerat; „sed, duobus fato functis, pertinaces „supersesse alios duos, quos cum pa„tienti silentio emollire non potuerit „Sacra Facultas, imo nec monitis, „nec censura Eminentissimi Pastoris, „nec amicorum consiliis, nec exilii „molestia, nec remotione a sacris mi„nisteriis ullatenus flecti videat & do„leat; jam aperta erroris damnatione, „& inflictis, ut par est, pœnis eos ab „ipsa oppugnari necessum sit.„

„Præcipuum publicæ offensionis Ca„put omnibus visum fuisse hanc præfati „scri-

„ſcripti propoſitionem, qua aſſeritur, „Catholico homini & Clerico, qui ſub- „ſcripſit formulæ Alexandri VII. ſuffi- „cere obſequium, quod vocant, ſilentii „& reverentiæ, ex quo ſequitur licere „ipſi aliter de hoc ſentire quam ab Ec- „cleſia definitum ſit, intus credere, Ec- „cleſiam ea in re definienda, nempe „in damnando Janſenii libro & ſenſu „erraſſe, falſo hæreſin tribuiſſe Janſe- „nio, pugnare ab annis quinquaginta „& amplius adverſus umbram, ſine „cauſſa ipſam tantopere conqueri, im- „merito ſanctos Sacerdotes, piosque „veritatis defenſores ab ea vexari: quæ „omnia factioſæ opinionis conſectaria „horrent aures piæ.„ Sæc. XVII. A. C. 1701.

„Evulgata hac exitioſa Doctrina „commotam ſubito Chriſtianam Rem- „publicam: indignationem Apoſtolicam „adverſus ſcandaloſam temeritatem „ſcriptis ad Regem literis ſignificatam „fuiſſe a ſanctiſſimo & clementiſſimo „Pontifice: ſolemni ſtatim cenſura pro- „ſcriptam fuiſſe præfatam propoſitionem „ab Eminentiſſimo Archiepiſcopo; cu- „jus doctrinam, poſitis repente fallaci- „bus præjudiciis, amplecti ſe profeſſi „ſunt plerique eorum, qui infelix ſcri- „ptum incaute probaverant: In idem „propoſitum editis quoque ea de re „man-

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„mandatis conſpiraſſe multos ex Illu„ſtriſſimis Præſulibus: Regis ipſius ſo„litum exarſiſſe tuendæ Religionis ſtu„dium adverſus contumaces turbulentæ „novitatis defenſores: Excitata ubique „pro fidei incolumitate omnium bene „ſentientium ſtudia & vota.

„Maximo autem dolore non potuiſ„ſe non affici S. Facultatem, quæ vide„ret etiam a ſuis in diſcrimen adduci „præcipua antiquæ doctrinæ ſuæ & pie„tatis monimeuta, Cenſuram nempe „adverſus Epiſtolam Antonii Arnaldi „latam Anno 1656. & Decretum ſuper „formula fidei datum Anno 1661. ut„rumque haberi apud S. Facultatem „ſummo in pretio, ac veluti normam „bene ſentiendi & loquendi; ſervari ut „firmiſſimum veritatis tranquillitatis„que præſidium: ſubſcriptum a ſingu„lis Sacri Ordinis Magiſtris, ab omni„bus adhuc candidatis quotidie ſub„ſcribi in teſtimonium & pignus Ca„tholicæ unanimitatis.„

„Nemini dubium eſſe poſſe, neceſſi„tatem interni & ſinceri aſſenſus Ec„cleſiæ damnanti ſenſum & Librum „Janſenii, ſeu definienti factum, ut „ajunt, Janſenii, luculenter aſſertam „eſſe ſolemni cenſura lata adverſus præ„fatum Antonium Arnaldum; qui, etſi „fateri tunc non recuſaret Pontificiis

„cir-

„circa illud factum judiciis non esse ob- Sæc. XVII.
„loquendum, offerretque reverentiæ A. C. 1701.
„silentium (quod quidem nec antea
„servaverat nec postea servavit, imo
„quod stantibus ipsius & cum illo sen-
„tientium præjudiciis servari nequa-
„quam possit) cum tamen assensum
„mentis Ecclesiæ judicio deberi in hoc
„facto Jansenii pertinaciter negaret,
„nec Propositionis circa hoc factum
„damnationem, sacra deliberante Fa-
„cultate, nec debitas huic contuma-
„ciæ pœnas effugere potuit: Eundem
„in errorem, eandem in culpam im-
„pegisse duos præfatos Doctores, imo
„gravius lapsos: Antonium Arnaldum
„contendisse quidem satis esse reveren-
„tiæ silentium homini Catholico, sed
„nulla speciali subscriptionis aut sacra-
„menti religione ad assentiendum ob-
„stricto; hos vero Magistros inverе-
„cunde docere, etiam eos qui, præ-
„stito Sacramento, subscripsere formulæ
„fidei, qua se subjecerunt Constitutioni
„Alexandri VII. factum illud definien-
„tis, & professi sunt a se sincero animo
„rejici & damnari quinque propositio-
„nes excerptas e Libro Jansenii in sen-
„su ab Authore intento, posse tamen
„intus aliter sentire quam definitum
„sit, habere ut Catholicum sensum &
„Librum Jansenii, & circa istud nonnisi

„ad

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„ad unum reverentiæ & silentii obse-
„quium teneri; omnem hanc alienam
„a Christiana sinceritate responsionem
„vergere in ludibrium & contemptum
„dictæ Censuræ & Decreti S. Facultatis
„super Formula fidei, imo, ut in a-
„perto est, Apostolicarum Constitutio-
„num, Sanctionum Cleri Gallicani,
„& Regiorum Edictorum.

„Quibus expositis, & lectis post-
„modum ex integro Censura S. Facul-
„tatis adversus Epistolam Antonii Ar-
„naldi, & Decreto super Formula fi-
„dei, & articulo præfati scripti, dicti,
„*Casus Conscientiæ*, qui ad prædictam
„propositionem pertinet; eoque dili-
„genter collato cum prædictis Censura
„& Decreto, D. Syndicus postulavit quod
„sequitur. Ut S. Facultas renovet &
„confirmet Censuram latam 15. Jan. 1656.
„in libellum, cui titulus est: *Epistola D.*
„*Arnaldi* & decretum super Formula
„fidei datum 2. Maij Anno 1661.

„Declaret propositionem conten-
„tam in libello, cui titulus est: *Casus*
„*Conscientiæ*, qua de Clerico, qui sub-
„scripsit formulæ fidei ab Alexandro
„VII. sancitæ, hoc statuitur: *sufficere*
obsequium silentii, & reverentiæ, adver-
„sari prædictæ Censuræ in Epistolam
„Antonii Arnaldi, & decreto super
„formula fidei. Hanc eamdem propo-
„sitio-

„sitionem damnatam pronuntiet in præ- Sæc. XVII.
„dicta Censura adversus Epistolam An- A. C. 1701.
„tonii Arnaldi, eamque afficiat iisdem
„notis, quibus proscripta fuit Arnal-
„dina propositio, quæ dicitur facti.
„Quoniam in scripto dicto, *Casus Con-*
„*scientiæ*, præfatæ propositionis, *suffi-*
„*cere* &c. præmittitur, pœnitentem (cu-
„jus opinionem innoxiam Doctores illi
„censuerunt) subscripsisse formulæ san-
„citæ ab Alexandro VII. quæ adjun-
„ctum habet juramentum, hanc ad-
„huc notam addat prioribus, nempe
„quod illa ipsa propositio memorata,
„faveat mendacio & perjurio; qua ra-
„tione ipsam proscripsit Eminentissimus
„Archipræsul in Mandato adversus
„prædictum scriptum, *Casus Conscien-*
„*tiæ*, promulgato 22. Februari An. 1703.
„Declaret se nunc non attingere aut
„expendere cætera scripti, cui titulus
„est: *Casus Conscientiæ* capita. Perspe-
„cta duorum præfatorum Magistrorum
„pertinacia, decernat ipsos e sinu suo
„repellendos, expungendosque ex albo
„Doctorum, & ipso facto repulsos, ex-
„punctosque, nisi intra mensem consi-
„lium mutaverint, cæterorumque, quos
„in probando scripto socios habuere,
„Magistrorum exemplo, inconsultam
„deliberationem revocaverint, & insu-
„per Censuræ adversus Epistolam An-

Sæc. XVII A. C. 1701.

„tonii Arnaldi, Decreto ſuper formula „fidei, & præſenti Concluſioni ſubſcri„pſerint, atque de his omnibus certio„rem fecerint ſacram facultatem. Quod „ut præſtent facilius & certius, curam „demandet S. Facultas Syndico ſcri„bendi Epiſtolam ad duos præfatos Ma„giſtros, qua ipſos hortetur, ne com„munem Matrem ipſorum amantiſſi„mam diuturniori moleſtia afficiant, „ſed prompto ad meliorem mentem re„ditu, & qua par eſt docilitate, ſolen„tur. Seligat deputatos, qui Eminen„tiſſimo D. Archipræſuli referant, quid „actum fuerit a S. Facultate, ipſumque „rogent, ut gratiarum actiones, vota, „obſequia, & gratulationes totius Or„dinis Regi optimo & Religioſiſſimo „nomine Sacræ Facultatis offerat. „Quæ cum miſſa eſſent in deliberatio„nem ab honorando Magiſtro noſtro „Franciſco Joiſel, Decano, & Comi„tiorum Præſide, in generali ſua Con„gregatione, cui adfuere plusquam 150. „Magiſtri, communibus votis ſic cen„ſuit Sacra Facultas. Propoſitionem „contentam in libello, cui titulus eſt: „*Caſus Conſcientiæ propoſitus a Provinciæ Confeſſario circa Eccleſiaſticum ejus directioni commiſſum, & a pluribus Pariſinæ Facultatis Doctoribus deciſus*, qua dici„tur, *ſufficere* &c. adverſari Cenſuræ „S. Fa-

„S. Facultatis latæ de ultima Jan. 1656. Sæc. XVII.
„in Epiſtolam Antonii Arnaldi, & De- A. C. 1701.
„creto ejusdem ſuper formula fidei,
„dato 2. Maij Anno 1661. Inhærendo
„prædictæ Cenſuræ adverſus Epiſtolam
„Antonii Arnaldi, præfatam Propoſi-
„tionem: *ſufficere obſequium ſilentii &*
„*reverentiæ*, damnandam eſſe, ut &
„ipſam damnat, iisdem notis, quibus
„in prædicta Cenſura proſcripta eſt pri-
„ma ejusdem Antonii Arnaldi Propo-
„ſitio, quæ dicitur *quæſtio facti*, nempe
„ut temerariam, ſcandaloſam, inju-
„rioſam ſummis Pontificibus & Epi-
„ſcopis Galliæ, atque etiam ut præ-
„bentem occaſionem renovandæ ex in-
„tegro poſt damnationem Janſenii do-
„ctrinæ: & in quantum eadem præfata
„Propoſitione dicitur illud obſequium
„reverentiæ & ſilentii ſufficere, etiam
„iis qui ſubſcripſere formulæ fidei, quæ
„adjunctum habet juramentum ex ſan-
„ctione Alexandri VII. prædictis notis
„hanc etiam eſſe adjiciendam, ut &
„adjicit, nempe quod faveat mendacio
„& perjurio. Stare debere inconcuſ-
„ſam, ſicut & reipſa apud ipſam ſem-
„per ſtetit & ſtat, authoritatem præ-
„dictæ Cenſuræ adverſus Epiſtolam An-
„tonii Arnaldi, & prædicti decreti ſu-
„per formula fidei: adeo ut quicumque
„Magiſter, aut Candidatus, adverſus

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„utrumque, aut alterutrum, ut & adversus præsentem Conclusionem, aliquid „scripsisse, dixisse, aut prædicasse deprehensus fuerit, eo ipso a S. Facultate pulsus habeatur. Indulgendum „præfatis duobus Magistris Nicolao Petit- Pied, Lectori Sorbonico, & Hyacintho De Lan, Ecclesiæ Rothomagensis Theologo, spatium unius Mensis a die notitiæ: intra quod, nisi data „tam prædicto libello, cui titulus est, „*Casus Conscientiæ*, subscriptionem sincere revocaverint, & præsenti conclusioni, ac prædictis, (licet jam antea ipsis subscripserint) Censuræ adversus Epistolam Antonii Arnaldi, fideique formulæ in Decreto S. Facultatis receptæ, absque ulla restrictione, „aut exceptione subscribant, & de his „omnibus certiorem fecerint D. Syndicum, ipso facto, absque ulla alia „deliberatione, habebuntur excluſi a „Sacra Facultate, & omni spoliati jure „Magisterii. Scribendam a D. Syndico „Epistolam duobus præfatis Magistris, „qua ipsos adhortetur, ut deposita tandem pertinacia, vocem S. Facultatis „ipsorum Matris dociles audiant. Adeundum esse Eminentissimum D. Archipræsulem per Venerabilem D. Decanum & sex Sapientissimos Magistros „nostros seniores & Syndicum, qui ipsi „renun-

„renuntient quid actum sit a Sacra Fa- Sæc. XVII.
„cultate, ipsumque orent, ut Regi Chri- A.C. 1701.
„stianissimo testificetur, quanto grati ob-
„sequii sensu delatum ad se jussu Regio
„præsens negotium S. Facultas exce-
„perit, quam concordi & felici delibe-
„ratione confecerit, & nomine S. Fa-
„cultatis religiosissimo Principi gratu-
„letur dignum Ecclesiæ Primogenito
„continuum defendendæ fidei Zelum
„ac studium. Ultimo, ut omnibus ma-
„gis ac magis innotescat S. Facultatem
„in docenda sana doctrina & asserenda
„Ecclesiæ Authoritate, constare sibi
„semper, typis mandanda esse Latino
„ac vernaculo idiomate cura D. Syn-
„dici, & publici juris facienda, præ-
„sentem Conclusionem, Censuram ad-
„versus libellum cui titulus: *Altera Ar-*
„*naldi epistola*, latam ultima Jan. 1656.
„& Decretum super formula fidei da-
„tum 2. Maij Anno 1661. Cæterum
„licet S. Facultas unum tantum supra
„memorati libelli, cui titulus est: *Ca-*
„*sus Conscientiæ*, caput damnet, decla-
„rat se non intendere alia probare in
„eo contenta, quæ nunc non expendit.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

§. CXVII.

Facultatis Theologicæ Duacensis confutatio erroris præcipui in hoc casu propositi.

Argentre Coll. Jud. part. 3. pag. 424.

Insigne prorsus suæ erga Pontificias Constitutiones, sanamque doctrinam observantiæ monumentum reliquit Theologica Universitas Duacensis, quæ famosum hunc casum damnasse, minime contenta, illius quoque errorem præcipuum non minus solide, quam erudite die decima Februarii anno hujus sæculi quarto confutavit: declarabat igitur, se intimo doloris sensu percepisse, quod nonnulli pernicioſissima juxta ac laxissima doctrina circa submissionem & obedientiam erga Ecclesiæ decisiones Universitatem hanc inficere tanto studio adlaborent, ut unicus etiam Bibliopola circiter sexcenta exemplaria damnandi *Casus* Duaci, inque vicinis urbibus vendiderit: Inter cetera querebantur Doctores Duacenses, quod præcipue Author asserere præsumat: *sufficere obsequiosum silentium erga Ecclesiæ decisiones circa factum Jansenii*, hæcque doctrina in publico conventu nuper invita Facultate in proprio suo Collegio non sine applausu propugnata sit, ac pene innumeri libelli eodem

dem errore ſcatentes in vulgus ſparſi a quamplurimis Eccleſiaſticis certatim deprædicati, & conquiſiti fuerint, falſo ſibi perſuadentibus, tandem fauſtum totque votis exoptatum adveniſſe tempus, quo libertas ac Janſenismus triumpharent. Enimvero Univerſitas ſummo animi gaudio percepit, perverſam hanc doctrinam a ſummo Pontifice, & præcipuis Franciæ Præſulibus fuiſſe damnatam, cum autem horum cenſuræ pauciſſimis cognitæ, *caſus* autem omnium manibus paſſim tereretur, ne Academici perverſæ hujus novitatis illecebris ineſcentur, atque a toxico præſerventur, omnesque Paſtores hujusque Univerſitatis Doctores ad conſervandam ſanæ doctrinæ puritatem atque impugnandos falſos hoſce Prophetas, & Pontificiarum Conſtitutionum hoſtes animentur, hinc Univerſitas omnibus & ſingulis, ſe ſummo horrori habere præfatam Caſus doctrinam, teſtatum reddidit, palam profeſſa, quod Eccleſia etiam in decidendis factis doctrinalibus ſit infallibilis ſeu in connexione ſenſus dogmatici cum verbis librorum & propoſitionum, proin circa Janſenii factum fides & perſuaſio interna requiratur, oppoſitamque doctrinam velut Sacris literis, perpetuæ traditioni, & præcipue Divo Auguſtino

Sæc. XVII. A.C. 1701.

Sæc. XVII. A. C. 1701. contrariam, totiusque Religionis eversivam detestetur.

His præmissis confutationem suam Universitas sequentibus articulis circumscripsit & I. Ecclesiam in decidendis factis doctrinalibus esse infallibilem, probavit ex iisdem S. Scripturæ textibus, quibus eam in definiendo dogmate falli non posse demonstratur, scilicet ex Matth. c 16. v. 18. cap. 18. v. 20. cap 28. v. 20. Lucæ c. 2. v. 31. & 32. Joan. c. 14. v. 16. cap. 16. v. 13. cap. 21. v. 16. 17. Act. cap. 15. v. 28. 1. Timoth. c. 3. v. 15. 2. Tim. cap. 2. v. 7. Ex his textibus intulit, quod si Ecclesia, in facto doctrinali decideret, hunc librum vere Catholicum esse hæreticum, vel econtra, fallibilis foret, tunc portæ inferi prævalerent, nec veræ essent Christi promissiones, nec Ecclesia esset veritatis columna &c. postea probavit, ad id non sufficere, eam esse infallibilem in dijudicandis propositionibus dogmaticis, quia libri hæreticorum sunt magis pernicioſi, quam eorum doctrinæ, & Catholicus horrebit ad doctrinam, quæ v. g. negat realem Christi præsentiam in Eucharistia, vacillabit autem, si hanc hæresin in libro speciose probatam legat; *corrumpunt enim bonos mores colloquia*

quia prava, multo magis libri perverſi, quocirca Epheſii Act. 19. combuſſerunt ejusmodi libros, & Paulus monuit, ne quis ſe inanibus verbis, profanis vocum novitatibus, vaniloquiis & oppoſitionibus falſi nominis ſcientiæ ſeduci patiatur, ne circa fidem excidat. Epheſ. 5. 1. Tim. 6. 2. Tim. 1. & 2. & quamvis facta doctrinalia non ſint diſerte revelata, Chriſtus tamen ſuam aſſiſtentiam non promiſit Eccleſiæ duntaxat circa res revelatas, ſed etiam aſſiſtente Spiritu ſancto per humanam induſtriam ad certam cognitionem ejusmodi factorum Eccleſia pervenire poſſit: unde negari non poteſt, quod Eccleſia conferens Janſenii Auguſtinum cum Hyponenſi, ſanctis literis & Traditione, aſſiſtente eodem Spiritu infallibiliter cognoſcere poſſit, in Janſenii libro quinque reperiri propoſitiones ſacris literis, Traditioni & D. Auguſtino oppoſitas. Sæc. XVII. A. C. 1701.

II. Eandem doctrinam eſſe perpetuæ Traditioni contrariam, Univerſitas probavit ex Conciliis & præcipue ex Concil. Calced. Act. 4. ubi Patres Theodoretum ſuosque tamdiu pro hæretico habebant, quamdiu aperte Neſtorio, ejusque fautoribus anathema non dicerent, etſi ſe orthedoxos eſſe & orthodoxe prædicaſſe, & omnem hominem, qui recte non ſapit, averſari dixiſſent,

Sæc. XVII. A. C. 1701

fidemque ſuam explicare voluiſſent: Allegavit etiam Univerſitas Concilium Conſt. II. Coll. 8. Anath. 12. ubi non modo impia Theodori dogmata, ſed ejus quoque ſcripta, in quibus ea continentur, omnesque, qui eum defendunt, vel ea orthodoxe expoſuiſſe dicunt, damnari præcepit: ita Concil. Later. IV. Joachimi perſonæ pepercit, ejus autem tractatum, doctrinamque damnavit, & Concilium Conſtantinenſe de Wicleſi, Huſſi &c. erroribus ſuſpectos interrogari præcepit, an credant, quod horum hæreticorum condemnationes de eorum perſonis, libris, & documentis, rite & juſte a Concilio factæ ſint, illosque hæreticos fuiſſe, & pro hæreticis nominandos, librosque eſſe perverſos credat? ac denique Tridentinum Seſſ. XXII. can. 6. anathema dicit, ſi quis dixerit, Canonem Miſſæ errores continere, proin Eccleſiam in dijudicando Canone infallibilem eſſe credidit.

Iſid. Merc. comm. c. 3. Concil. Epheſ. p. 3. cap. 20.

Adjunxit Univerſitas ſummorum Pontificum teſtimonia, & quidem primo Zozimi Papæ, qui epiſtolæ ſuæ, in qua Cæleſtius, & Pelagius damnati ſunt, *ſubſcribere detrectantes, Sacerdotalibus ſtatutis depoſitos, exauctoratos, omnique Italia deturbatos* declarabat, 2. S. Cæleſtinum Papam, qui *in ſuo Collegio*

legio non futuros ait, nisi secundum Ecclesiasticum constitutum damnata cum Authoribus, sociisque damnaverint. 3. S.Leonem, qui Cæleſtii & Pelagii affeclis injunxit, ut *damnent apertis professionibus sui superbi erroris Authores & quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur: Omniaque decreta Synodalia, quæ ad excisionem hujus hæreseos Apostolicæ Sedis confirmavit authoritas, amplecti se & iis omnibus approbare plenis & apertis, & propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum: quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, qua se a damnatorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum.* Etinfra, *qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent & obediendo nobis probent se esse nostros, quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectat, sive ille Clericus, sive sit Laicus; ab Ecclesiæ societate pellatur.*

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Ap. 86. & 6. in edit. Quesnel. ad Ep. Apuil. Epist. 51. ad Hisp. Episc.

4. Hormisdam, qui Orientales ad Communionem recipi vetuit, nisi suæ fidei professionem sub hac formula facerent: *Anathematisamus omnes hæreses & præcipue Nestorium hæreticum, . . . similiter anathematisamus Eutychen & dioscorum Alexandrinum . . . suscipimus autem*

&

Sæc. XVII. A. C. 1701.

& probamus epistolas B. Leonis Papæ quas de religione Christiana conscripsit .., hanc autem professionem meam manu mea subscripsi.

III. Universitas probabat hanc doctrinam esse contrariam D. Augustino, qui non fuit contentus, ut generaliter omnis sensus hæreticus damnetur, & se quis Ecclesiæ Constitutionibus subjiciat, sed insuper libros, ex quibus errores sunt extracti, damnare cogatur: id evincit Universitas 1. ex ejusdem S. Doctoris hisce verbis: *Protulerunt eundem librum Pelagii esse dicentes . . . si autem hunc esse suum librum negat, aut eadem in libro loca, non contendimus, anathematiset ea . . . anathematiset ergo Pelagius scripta sua ubi contra eam (gratiam) etsi non per contumaciam, tamen per ignorantiam disputat . . . aut si ea sua esse negat, aut scriptis suis dicit immissa, quæ sua esse negat, anathematiset ea tamen & damnet paterna exhortatione & authoritate Sanctimoniæ tuæ . . . si enim cognoverint (Auditores & in perversum dilectores ejus) eundem librum, quem illius vel putant esse, vel norunt. Episcoporum Catholicorum authoritate, & maxime sanctitatis tuæ, quam apud eum majoris ponderis esse minime dubitamus, ab eodem ipso anathematisatum, atque damnatum, non eos ulterius existimamus ausu-*

ausuros . . . pectora fidelia & simpliciter Christiana turbare.

Sæc. XVII. A.C. 1701.

Hinc S. Innocentius I. Papa rescripsit: *librum, qui ejus esse diceretur nobis vestra charitate transmissum evolvimus, in quo multa contra Dei gratiam legimus esse conscripta, multa blasphema, nihil quod placeret & nihil plene quod non penitus displiceret, a quovis damnandum, atque calcandum, cujus similia, nisi qui ista scripserat, nemo alter in mentem reciperet, atque sentiret. Anathematiset ergo ista, quæ sentit, ut illi, qui ejus sermonibus fuerant præceptisque collapsi: quid tandem habeat fides vera cognoscant. Facilius enim revocari poterunt, cum ista a suo sensorint Authore damnari.*

Epist. 183. l. 2. ad Bonifac. c. 3.

2. Ait idem Doctor, Africæ Episcopos dixisse, non sufficere, quod Cælestius *se generaliter Innocentii Episcopi literis consentire fatebatur, sed aperte eum debere anathematisare, quæ in suo libello prava posuerat . . . Tunc ergo cum ejus præsentia posceretur, ut certis, ac dilucidis responsionibus, vel astutia hominis, vel correctio diluceseeret, & nulli ambigua remaneret, se subtraxit, & negavit examini.*

Ex his inferebat Universitas, quod S. Augustinus unacum summis Pontificibus censuerit, Ecclesiam esse infallibilem in decidenda facti hujus quæstione,

Sæc. XVII. A. C. 1701.

stione, etsi non revelata: an hic liber sit hæreticus, ergo etiam in ea, an quinque propositiones sint hæreticæ.

IV. Ostendit Universitas, quod oppositа doctrina tendat ad evertendam totam religionem, nec ullus Sectarius de hæresi convinci possit: si enim Ecclesia non est infallibilis circa librum Jansenii, nec erit circa S. Literas, traditionem, Symbola, Canones, Patres, præcipue S. Augustinum, Oecumenica Concilia, Caput Ecclesiæ &c. Ergo Religio nullum habebit fundamentum, proin a quolibet hæretico evertetur: si enim juxta Jansenistas Ecclesia non est infallibilis v. g. circa Jansenii librum, quia est quæstio facti, an hic liber contineat hæreses, & hoc factum non est revelatum, nec erit infallibilis circa has facti non revelati quæstiones: an Dei verbum in hoc textu, hac versione &c. contineatur, an Patrum scripta contineant hoc vel illud dogma, an fidei articuli reperiantur in Symbolo Apostolorum, Nicæno, Constant. S. Athanas. &c. an definita veritas sit annexa certo Canoni, an veritas doctrinæ de gratia reperiatur in libris S. Augustini: an Concilium Trid. sit Oecumenicum, an Clemens XI. sit legitimum Ecclesiæ Caput &c. nam etsi articuli fidei, Verbum Dei,

Dei, dogmata communi Patrum consensu stabilita &c. sint revelata, non tamen est revelatum, quod Dei Verbum sit annexum huic vel illi textui, huic vel alteri versioni &c. Sæc. XVII. A.C. 1701.

Præterea si Ecclesia non est infallibilis in ejusmodi factis, nullus de hæresi convinci poterit; quippe ejusmodi Novatores ad exemplum Jansenistarum asserent, eorum doctrinam esse consonam S. Literis, SS. Augustino, Hieronymo &c. & si Ecclesia nihilominus damnabit eorum libros & propositiones, illi generaliter profitebuntur, quod cunctis Ecclesiæ decisionibus se subjiciant, omnia dogmata, sensus hæreticos, atque errores, quos Ecclesia damnat, ipsi etiam damnent, Ecclesia autem eorum doctrinas, quæ S. Literis & SS. Patribus consonæ sunt, proscribere non potuerit, quia hoc est factum non revelatum, scilicet, an dogmata per Ecclesiam damnata contineantur in eorum libris & propositionibus, id quidem Ecclesia crediderit, sed in hoc decepta fuerit, aut saltem decipi potuerit, proin obstricti non sint ad internam fidem de veritate hujus facti, nihilominus amore pacis & disciplinæ semper submissionem venerationis & obsequiosum silentium circa quæstionem facti servare velint: Nunquam ergo

Sæc. XVII. A. C. 1701.

ergo Novator de hæreſi convinci, nec unquam controverſiæ in Eccleſia exortæ decidi poterunt.

V. Reſpondet Univerſitas quibusdam difficultatibus, præprimis autem declarat, quod quidem nullum Academicum de perverſa hac doctrina ſuſpectum ad quosvis gradus ſit admiſſura, nulli tamen velit honeſtam ſentiendi libertatem adimere circa quæſtiones Scholaſticas & morales communiter in Catholicorum Scholis receptas, nec in S. Literis, Traditione, Conciliis, vel Pontificibus deciſas, proin pro ſuſpectis haberi nolit, qui v. g. gratiam ex ſe efficacem, vel prædeſtinationem mere gratuitam ad gloriam negare voluerint &c. Poſtea, ut quibusdam occurrat dubiis, diſtinquit 1. inter facta particularia ſeu mere perſonalia, quæ duntaxat ex ſolo hominum teſtimonio probari poſſunt, & inter facta generalia & dogmatica, ex quibus petitur cognitio librorum cum S. Literis & Traditione collatorum, circa hæc *inquit Univerſitas*, non autem circa illa Eccleſia eſt, infallibilis, quia particularium cognitio non eſt neceſſaria ad generale bonum Eccleſiæ, & aliunde, quia homines ſunt obnoxii mendaciis, de eorum teſtimoniis non poteſt ferri judicium infallibile: doctrinalium

nalium autem factorum cognitio est necessaria communi bono Ecclesiæ, & quia libri cum S. Literis &c. collati non possunt falli, ita circa hæc facta infallibilis decisio fieri potest, quid enim Ecclesiæ interest, an hic homo commiserit Simoniam, an in sua mente sensum hæreticum foveat, an sit auctor alicujus libri &c. plurimum autem interest scire, an Institutiones Calvini sint hæreticæ, an Verbum Dei contineatur in hoc vel illo textu aut versione &c. 2. Ad quæstionem, an facta dogmatica sint credenda fide Divina vel humana, respondet Universitas, eadem fide esse credenda, qua vulgatam Verbum Dei, Patrum libros tale vel tale dogma, Symbolum articulos fidei continere, & Concilium Tridentinum esse Oecumenicum credendum est; sicut enim Ecclesiæ infallibilitas circa hæc facta doctrinalia immediate in S. Literis & Traditione est revelata, proin objectum fidei Divinæ, ita & hoc factum: quinque Jansenii propositiones continent errores, est mediate & per directionem & assistentiam Spiritus sancti revelatum, revelatio enim immediata infallibilitatis est revelatio mediata facti. 3. Jansenistæ, etsi se omnia dogmata hæretica damnare, & duntaxat Jansenii factum negare, pro-

Sæc. XVII. A.C. 1701.

testentur, sunt tamen hæretici, & non solum rebelles aut excommunicati, vel schismatici, quia circa factum eo duntaxat fine disputant, ut hæretica dogmata in tuto collocent, sic Gerberonus insuperhabita sua protestatione in suo *speculo pietatis*, & *confidentia Christiana*, ipsos Jansenii errores propugnavit, & Calcedonenses Patres Theodoretum insuperhabita sua protestatione pro hæretico habebant, donec Nestorio ejusque scriptis anathema dixerit, & juxta S. Thomam hæreticus est, qui fidem vel directe vel indirecte impugnat, qui autem negat Jansenii factum, negat saltem indirecte fidem quinque propositionum, v. g. in Jansenii libro non reperitur hæresis, reperitur autem disertis verbis, quod quædam præcepta justis sint impossibilia, ergo ea esse impossibilia non est hæresis, proin præcepta justis esse possibilia non est articulus fidei. 4. Jansenistæ se interne subjiciunt decisioni factorum evidentium, non autem obscurorum & controversorum, uti est factum Jansenii. Verum dogmatibus obscuris, ergo etiam factis obscuris ab Ecclesia decisis internam fidem debemus, & Jansenii factum particularibus quidem non est evidens, bene tamen toti Ecclesiæ & insuper Ecclesiæ infallibilitas non fundatur in evi-

dentia

Sæc. XVII. A. C. 1701.

dentia rei propositæ, sed in assistentia Spiritus S., & si infallibilitas fundaretur in evidentia facti, quid pluris haberet Ecclesia præ quolibet rudi, qui circa evidentia decipi nequit: credere factum, quod est evidens, non est subjectio erga Ecclesiam, sed necessitas naturalis, quæ rapit intellectum ad evidentiam. Cur Ecclesia cum lumine Spiritus sanctus evidenter non potuit detegere sensum Jansenii hæreticum, cum tamen Jansenistæ detegere potuerint sensum Jansenii esse evidentur sensum D. Pauli & Augustini? Arii factum Eusebio Nicomediensi & Theogeni Nicæno & factum Nestorii Theodoreto erat obscurum, & tamen hos damnare tenebantur. Quapropter Universitas hortabatur omnes ut a simulata eorum obedientia sibi caverent, cum studiose occultant, quod prædicant, & tamen prædicant, quæ occultant, *& grato Christi nomine impiorum dogmatum venena occultant, sicque verba temperant, & ambigua quæque concinnant*, ut Catholicam & simul hæreticam confessionem teneant, & verbotenus fidem profitentur, animo negant, teste autem S. Hieronymo, *sola hæc hæresis est, quæ publice erubescit loqui, quod secreto docere non metuit.*

Libell. Euseb. Nicom. t. 2. p. 59. Theod. epist. ad And. Samos. apud Mar. Merc.

Sæc. XVII.
A. C. 1701.

§. CXVIII.

Judicium Facultatis Theologicæ Lovanienſis ſuper præcipuos articulos famoſi Caſus.

Quamprimum Hamberto Mechlinienſi Archiepiſcopo nominati caſus deciſio innotuerat, mox eam ad Theologicam Lovanienſem Univerſitatem detulit, hæc ergo perverſam illius deciſionem impugnatura, die decima Martii anno hujus ſæculi tertio circa præcipuos illius octo articulos ſequens ſuum pronuntiabat judicium, & quidem:

I.

De ſilentio ſuper facto Janſenii.

„Contradicit ſibi exquiſita illa ſilendi „ambitio, dum ſeſe ſubmiſſione reve„rentiæ & ſilentii defungi putat, & in„terim in eodem Articulo audaciſſime „loquitur, quod erga deciſionem facti „& Juris fidem non exerceat eandem, „ait enim Auctor hujus caſus, *quod quantum ad factum non eandem fidem habeat, quam habet erga deciſionem juris.* „Quis enim hunc ſilentii amatorem ta„lia coegit loqui, dum medium ſilen„tium tenerent omnia? Et quomodo „quadraginta ſubſcriptores temerati ſi„lentii

„lentii, quod approbare videntur, rea- Sæc. XVII.
„tum evadent, qui tanquam Viri Do- A. C. 1701.
„ctiſſimi ignorare non potuerunt, quod
„ejusmodi ſcriptiones & ſubſcriptiones
„per ſe loquantur, ſopitos ignes ſuſci-
„tent, & ut verbis epiſcoporum Gal-
„liæ Pariſiis die trigeſima octava Martii
„anno milleſimo ſexcenteſimo quinqua-
„geſimo quarto ad Innocentium X. da-
„tis utamur: *Hac arte reſtaurandis diſpu-
tationibus iisdem, ſibi locum apertum re-
linquere parant, & redivivæ litis prolixam
materiam.*

II.

De reſtrictione, quam adhibent ſubſcribendo formulæ Alexandri VII. juxta mentem, *ut ajunt* Brevis Innocentii XII.

„Captioſa atque ſuſpecta, necnon a
„quibusdam, quantum equidem vide-
„tur, cavillatoribus Belgis mutuata eſt
„reſtrictio, juramenti in formularium
„Alexandri VII. ad mentem Innocen-
„tii XII. in Brevi ſuo ad Epiſcopos Bel-
„gii dato expreſſam, dum Auctor ait:
*quod has propoſitiones damnet, ac ſemper
pure & ſine reſtrictione damnaverit quoad
omnes ſenſus, in quibus Eccleſia eas dam-
navit, imo etiam in ſenſu Janſenii, prout
Innocentius XII. eas explicavit in ſuo Brevi
ad Epiſcopos Belgii.*

Sæc. XVII. A.C. 1701.

„Captio in eo sita, quod restringit „ad Breve Apostolicum in numero sin„gulari: cur enim non nominat Brevia „omnino duo super eadem materia ab „eodem pontifice, ad eosdem Episco„pos data, sed nempe abutuntur Brevi „die sexta Februarii 1694. dato, quod „sic interpretari ausi sunt, ac si Ponti„fex ille aliquid de Alexandrinæ Con„stitutionis vigore remittens, conten„tus fuerit condemnatione propositio„num in sensu obvio, sine respectu ad „sensum ab Authore intento, pravam „autem hanc ipsorum interpretationem „idem Pontifex circumscripsit in Brevi „altero, die 24. Novembris 1696. ad „eosdem Belgii Episcopos dato, ubi „dicitur: *Non sine admiratione intellexi*mus, *non multos istis in diœcesibus reperiri, qui verbis & calamo ausi fuerint affirmare, supradicto nostro Brevi alteratam esse Constitutionem Alexandri VII.* 16. *Octobr. Anni* 1656. *editam, necnon formularium ab ipsomet pronuntiatum, cum dicto Brevi utrumque specifice confirmetur, & omnino intenderimus, & intendamus iisdem adhærere, & nequaquam sinere, ut aliquid addatur vel dematur a prædicto Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, sed quod in omnibus & singulis ejusdem partibus, uti mandavimus, mandamus etiam ad amussim observari.*

Hacte-

Hactenus Pontifex: prætensus Eccleſia- Sæc. XVII.
ſticus ille, ſi in jurando Formulario A. C. 1701.
mentem ſuam ad Innocentii XII. ſen-
ſum componere voluit, non unius tan-
tum Brevis, ſed etiam alterius memi-
niſſe debuit, atque ita formulare to-
tum quantum, quoad omnes & ſingu-
las ejus partes obſervare.

III.

De diſtinctione, ſeu ſeparatione facti a jure.

„Totum prætenſi Eccleſiaſtici ſtu-
„dium in hoc verſatur, ut diſtinguat
„factum a jure, & utrumque ſeparando,
„apertis verbis profiteatur, ſe fidem non
„exhibere eamdem erga deciſionem
„unius, quam alterius. In quo contu-
„maciter reſiſtit determinationi Eccle-
„ſiæ, quæ non egit in hoc caſu de facto
„perſonali, ſed doctrinali, non de facto
„transeunte, quod per teſtes fallibiles
„probari debeat, ſed de facto perma-
„nente (videlicet libro) quod per ſeipſum
„comparuit in judicium, adeoque a
„jure eſt inſeparabile, unaque & ea-
„dem jubetur condemnatione & uno
„ac eodem Juramento perſtringi: verba
„formularii, cujus omnes & ſingulæ
„partes juxta ſecundum Innocentii XII.
„Breve ad amuſſim obſervari debent,

Sæc. XVII. A. C. 1701. „sunt clara. *Quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cujus nomen* Augustinus, *excerptas, & in sensu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, & ita juro.* Clara sunt pariter verba constitutionis „*ad Sacram* &c. die decima sexta Octo„bris 1656. datæ & in præfato Formu„lario reclamatæ: *Quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii, Episcopi Iprensis, cui titulus est:* „Augustinus, *excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse definimus & declaramus.* Atque „hæc de Formulario, quod sine ulla „distinctione jurandum esse, prætensus „Ecclesiasticus ex prædicto primo Brevi „Apostolico Innocentii XII. discere de„buit, ubi dicitur: *qui ad juramentum adigendi sunt, illud præstare debent sincere absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione, damnando* &c. proindeque im„pactum esse in Constitutiones Pontifi„cias, & Brevia Apostolica, Ordina„tiones Episcoporum Synodales, & „præsertim nuperas Parisienses anno „millesimo septingentesimo, denique in „Decreta Regia, perspicuum est. Alio„qui si attentatum subsistat, eo tandem „devenietur, ut sexaginta & amplius „annis, ab omnibus mundi potestatibus

„ad-

„adversus unum Jansenii librum seu „falsas doctrinas ejus, (quod absit) „nihil actum esse videatur. Cum ta„men Ecclesia Catholica, quidquid „in hac materia fecit, exemplum do„ctrinamque Pauli Apostoli secuta sit, „ubi Epist. 2. ad Timoth. cap. 2. primo „quidem docet damnare Hæreses in „communi, in omni sensu Hæretico, „quem habent, *profana autem & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem*, v. 16. Statim autem Au„thores citat atque nominat. *Et sermo eorum ut cancer serpit e quibus est Hymenæus & Philetus*, v. 17. Postea vero „declarat ipsos errasse.

Sæc. XVII. A.C. 1701.

Qui a veritate exciderunt, vers. 18. Deinde exhibet ipsorum propositionem Hæreticam: *dicentes resurrectionem esse tum factam*, ibid. Denique quasi caus„sam exprimit, cur non sufficiat „damnare doctrinam, sed veniendum „etiam sit ad personas: *Et subverterunt quorumdam fidem.* Non intendimus ta„men per assertionem nostram, Formu„larium Alexandri VII. seu quidquam „ad illud pertinens quovis modo ex„ponere, explicare, declarare, addere „vel minuere aut præceptum silentium „frangere, seu quidquam facere, quod „prædictis Brevibus & Apostolicis aut „Decreto vel Decretis vetitum, vel

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„interdictum est; sed illorum tenori „simpliciter inhærentes (in quo per „prætensum Ecclesiasticum, in propo„sito casu contra prædicta peccatum „esse existimamus) rogati Judicium no„strum, salvo meliori, ferimus.

IV.

De operibus, quæ Deo non placent.

„In fine Articuli quarti videtur as„seri vigesima quinta Bajana, a Pio V. „Gregorio XIII. & Urbano VIII. pro„scripta: *Omnia opera infidelium sunt peccata: & Philosophorum virtutes sunt vitia*: verba prætensi Ecclesiastici sunt „hæc. *Omnes actiones, quæ ad Deum saltem hoc modo non referuntur, & quæ ex impulsu seu motione amoris Dei non fiunt, sunt peccata, ex defectu boni & recti finis, etsi hæ actiones possint esse bonæ propter particulare objectum vel finem*, „quasi vero nullæ peccatorum, vel etiam „infidelium actiones Eleemosynæ, aut „alia Misericordiæ vel alterius moralis „virtutis opera recte possint a peccatis „vindicari. Etsi enim & nos existime„mus, omnia opera virtualiter saltem „in Deum veluti finem ultimum no„strum referenda esse; agnoscimus ta„men, multa opera in Deum non sic „relata, non tantum ex objecto & fine „sive in sua specie, verum etiam in „se-

„ſeipſis a parte rei, & in individuo bona Sæc. XVII.
„eſſe, quin imo homines per ea hoc A. C. 1701.
„obtinere, ut (verbis Auguſtini utimur)
„*mitius ardeant.* Non enim Deus, ad
„quem iſta opera ſic referenda eſſe, &
„nos ſuſtinemus, operum iſtorum pro-
„prie finis eſt, ſed operantium. Quare
„hanc expreſſionem, *ſunt peccata ex de-
fectu boni & recti finis*, cenſemus, er-
„roneam eſſe & ab Eccleſia ſæpius
„proſcriptam.

V.

De pietate erga ſanctos.

„Quæ referuntur Articulo VI. de
„cultu ſanctorum, ac præſertim B. Vir-
„ginis, in præſentibus circumſtantiis
„non carent ſuſpicione. Non enim tan-
„tum dicit veram devotionem conſi-
„ſtere in magno erga ipſum amore,
„humilitatis & virtutum ejus cultu,
„atque in patrocinii ejus confidentia;
„ſed inſuper generatim rejicit omnia
„vana vota & praxes minus ſerias, quas
„in quibusdam Authoribus videri poſſe
„dicit: *Non credo, quod hæc devotio con-
ſiſtat in vanis ejus modi votis, & exercitiis
parum ſeriis, prout in quibusdam Aucto-
ribus videtur*, & interim præter veram
„ſuam, quam deſcripſit, devotionem,
„nec commendat, neque declarat ſe
„approbare venerationem imaginum,
„Ro-

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„Rosariorum, sodalitatum, aliarumque „pietatum, quæ ab Authoribus Catho„licis catholice juxta Ecclesiæ pra„xim, decreta pontificum, & conci„liorum & maxime Tridentini propo„nuntur. Quousque in hac materia, „nimirum de cultu sanctorum, ac præ„sertim B. Virginis quidam Rigoristæ „processerint, ex variis ipsorum factis „& scriptis, ac signanter libello cui „titulus: *Monita salutaria ad indiscretos „B. Virginis cultores*, per Innocent. XI. „proscripto satis compertum est. Quare „manet suspicio non contemnenda, ut„rum prætensus Ecclesiasticus ille has „etiam probatas pietates inter vana „vota & praxes parum serias forsan „non reputet.

VI.

De Rituali Aletensi.

„Incurrit Ecclesiasticus ille censu„ras in Constitutione Clementis IX. „quæ incipit, *Credito nobis*, An. 1668. „inflictas. Temerariæ vitilitigatorum „more asserit pontifici subreptum fuisse. „Quod ridicule conficere nititur ex Epi„stola Communicatoria a Pontifice ad „Authorem, mensibus aliquot post con„demnationem data. Quis enim ne„sciat quot & quantas idem Author „pro-

„proſcripti libri ut fieri aſſolet, cenſu-
„ris manentibus poſtea receperit com-
„municatorias etiam ab Innocentio XI.
„Et tamen ipſe Author propter hoc
„non exiſtimavit librum ſuum condem-
„nationi ſeveriſſimæ ſubtractum fuiſſe,
„ſed usque ad finem vitæ ſenſit & in-
„doluit, & fruſtra deprecatus eſt mi-
„tigari cenſuram, quam Clemens IX.
„his verbis tulerat. *In quo non ſolum continentur nonnulla ab ipſo Rituali Romano juſſu ſel. Record. Pauli Papæ V. prædeceſſoris noſtri edito, aliena ſed etiam doctrinæ quædam, & propoſitiones falſæ, ſingulares, in praxi periculoſæ, erroneæ, & conſuetudini in Eccleſia communiter receptæ, atque Eccleſiaſticis Conſtitutionibus oppoſitæ & repugnantes, quarum uſu & lectione Chriſti fideles in jam damnatos errores ſenſim induci, ac pravis opinionibus infici poſſint.* Hactenus cenſura ponti-
„ficia: verba autem Epiſtolæ deprecа-
„toriæ a Nicolao Pavillonio præfato
„Alectenſi Epiſcopo die 25. Octob. 1677.
„ad Innocentium XI. fruſtra datæ, ſunt: *eſt & aliud grave mihi Beatiſſime Pater, quod meæ cum Apoſtolica ſede communioni umbram aliquam offundere videatur, cenſura ſcilicet a Romanis Inquiſitoribus,*
„(nota bene, adſcribit Romanis Inqui-
„ſitoribus id, quod ſummi Pontificis, fuerat) *Rituali libro, qui a me ad uſum noſtræ Diæ-*

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Diœceſis editus eſt, inuſta. Libri illius a plurimis licet fratribus Coepiſcopis ſolemni approbatione laudati, novum examen ſubire non detrecto, imo peropto; ſi modo ſanctitas veſtra per ſe pro ſua benignitate oculos, & animum advertere dignata fuerit. Quidquid in eo emendandum pro ſua ſapientia duxerit, hoc pro reverentia mea emendandum duco. Aſt priſtinum Inquiſitorum Judicium, acerbum nimis & injurioſum eo magis deprecor, quo pleraque Ethicæ Chriſtianæ dogmata tanquam ſub Generali Ritualis noſtri cenſura damnata, a Viris illuſoribus, qui ſupra populum, juxta prophetam, dominantur, paſſim traduci doleo. Hanc labem, hanc a ſanctiſſimis dogmatibus fraudem & calumniam, ut amoliatur Sanctitas Veſtra, ultimum obſecro, & ſupplico.

VII.

De verſione Montenſis Novi Teſtamenti,

„In hoc etiam prætenſus Eccle„ſiaſticus Art. 9. cæſpitat. Ad quod „demonſtrandum nolumus diu inhæ„rere Regulæ quartæ Indicis, pro ea „parte, qua contra illam dictus Eccle„ſiaſticus lectionem Scripturæ ſacræ „idiomate nativo fidelibus paſſim in„dulgendam putat; attento, quod no„bis integrum non ſit disquirere, an

„&

„& quid Gallicani Antiſtites, quos ve- Sæc. XVII.
„neramur, ea de re conſtituerint. Vim A. C. 1701.
„autem in eo ponimus præcipuam,
„quod commendetur hic Verſio Mon-
„tenſis, quam non jam Inquiſitionis
„aut alia aliqua Congregatio, verum
„ipſe Clemens Papa IX. in Conſtitutio-
„ne ſua, quæ incipit, *debitum Paſtora-
lis Officii*, merito ſub cenſuris, proſcri-
„pſit tanquam librum *temerarium, dam-
noſum, a vulgata editione prædicta dif-
formem, & offendicula ſimplicium conti-
nentem*, prout a viris doctis abunde de-
„monſtratum fuit, ut taceamus illam,
„fere ubicumque occaſio fert, Janſe-
„nianis dogmatibus, ac præſertim in
„materia prædeſtinationis & gratiæ
„favere.

VIII.

De aliis libris prohibitis.

„Tota denique prætenſi Eccleſia-
„ſtici Bibliotheca, quæ hic producitur
„conſiſtens in literis *Abbatis Sancy-
rani, Horis Montenſibus, Morali Gra-
tianopolitana, & libris de frequenti com-
munione*, aperte inſinuat, quam ideam
„de ipſo formare licet: cum ſimiles
„libri nec tractari cum tanto Zelo, nec
„laudari unice, & commendari aliis
„ſoleant, niſi ab hominibus Rigorismi,

„&

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„& ejusmodi Novitatum generis ple„nis. Dabamus Lovanii non intenden„tes tamen per hoc Judicium nostrum „de supradictis octo Articulis deprom„ptum, alios in oblato casu contentos „approbare, die decima Martii Anno „Christi millesimo septingentesimo „tertio.„

Henricus Overbeke.

Cum interea non modo Pontifex, & Parisiensis Archiepiscopus, sed & ceteri Franciæ ac Belgii Præsules præfatum casum damnarent, Jansenii fautores plurima scripta contra Pontificis Bullam die 12. Februarii 1703. datam, & Noallii decretum in vulgus sparsere, ut censurarum, quibus Approbatores perstricti sunt, contemptum inspirarent, Regiam auctoritatem Pontificia Constitutione violatam esse persuaderent, & Doctores ad recusandam suis Superioribus debitam obedientiam inducerent, nihilominus ex quadraginta illis Doctoribus, qui casus decisionem approbarunt, statim præter Sarasinum viginti septem, uti retulimus sese subjecere, suamque decisionem damnarunt: duo autem ex illis morte præventi sunt, sex vero paulopost suam quoque sententiam revocarunt: Enimvero Nicolaus Petitpiedus Sorbonæ Pro-

Professor, Elias Dupinus Professor Regius, Hyacinthus de Lan Rothomagensis Theologus, & Pater Gueton Monachus ad S. Victorem magis obstinati suæ decisioni inhæsere: postquam vero Franciæ Rex non modo illis exilii pœnam interminabat, sed etiam in eos tanquam hæreticos legum severitate animadverti jusserat, solus Petitpiedus suo errori adeo immortuus inhæsit, ut die quarta Novembris 1704. Sorbona expulsus, atque a Rege ad carceres damnatus, clam exeunte eodem anno patria & Regno excedere mallet, quam Ecclesiæ, Regi, ac Pastori suo obtemperare. Sæc. XVII. A. C. 1701.

§. CXIX.

Jansenistarum furor contra hasce censuras.

Jansenistæ telas, quas velut araneæ ad eludendam sinceram formularii subscriptionem texuerant, tam dextre dissipatas, ægerrime ferebant, maxime autem eis dolebat, hunc casum conscientiæ non modo Romæ a summis Pontificibus, & in Francia ac Belgio a Prælatis, sed etiam ab Academiis Lovanienſi & Duacensi condemnatum fuisse: Excanduit vehementer Hennebelus contra hujus casus approbato- *Causs. Quesnel. p. 249.*

Sæc. XVII. A. C. 1701.

res, quod inconstantes male deserta Ecclesiæ castra repetierint, ad obedientiæ Sion reversi, arguit Parisiensem Archiepiscopum quod suo decreto epistolam novendecim Episcoporum cunctaque pro reddenda pace die decima nona Aprilis Anno 1669. acta everterit: Magis adhuc ridicula erat, né dicam, sacrilega Vaucelli seu Wallonii compassio, qua Jansenismum everti ingemiscens, ita ad Quesnellum scripsit: *si horum Doctorum revocatio subsistit, actum est de existimato Jansenismo . . . . In mentem mihi hoc mane venerant quadraginta illi S. Martyres, quorum numerus per generosum facinus Janitoris completus fuit. Sperare oportet, Deum in locum horum imbellium, timidorumque Doctorum, qui signa nostra deseruerunt, alios suscitaturum:* Theodoricus de Viaixenes Casus Approbatoribus versum illum Davidis applicare non dubitavit: *Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Nimia autem erat Quesnello scribillandi prurigo, nimia in Præsules suæ factioni adversos indignatio, quam ut calamum suum desiderare pateretur adversus Parisiensis Archiepiscopi decretum: ad hunc ergo epistolam ira & effræni Ecclesiasticæ potestatis contemptu scatentem perscripsit, eumque projecta sua audacia ita allocutus est:

Epist. Wall. ad Quesnel. 3. Febr. & 10. Martii Anno 1703.

Psalm. 77.

Ne

Ne nobis blandiamur, mi care Domine, ad ratiocinium mitra & pedum nihil faciunt. Mitrata ratio eſt ſemper ratio humanæ deceptioni obnoxia, & tanto magis, quod mitra & pedum implicant negotiis, quæ ſæpe ſtudiis tempus eripiunt &c. Alia adhuc epiſtola, quam inverecundus furor ſuggeſſerat, hæc ad Præſulem ſuum perſcripſit: „Tibi diſplicendi timor pene „calamum excutit, Deo tamen diſplicendi metus animum reddit, ut a te „audiri petam: Sine ergo, ut ad tempus occludam oculos ad dignitatis „tuæ ſplendorem, ut reverentiali libertate tecum loqui valeam; cum enim „nil niſi nominis tui fama, ſalusque, „necnon veritatis & Eccleſiæ honor „mihi cordi ſit, non poſſum me cohibere, quo minus ſaltem aliquam veritatis, quam alii tibi proponere non „audent, partem detegam: ſi hoc denegas, ſaltem permitte, ut Eccleſiæ „mala ante pedes tuos deplorem. Ah! „quam amare filii pacis dolent ſuper „lethale vulnus, quod paci Eccleſiæ „inflixit illa manus, a qua ſemper conſervari, firmarique ſperabant, unde „cum Propheta dicere poſſum, Patres „noſtri & *Angeli pacis amare flebant.* „Non ſolum illi Angeli inviſibiles, qui „primi nato Salvatore pacem annuntiabant, ſed & viſibiles Eccleſiæ An-

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Sæc. XVII. A. C. 1701. „geli, Angelus Eccleſiæ *Alectenſis*, An„gelus Eccleſiæ *Apamienſis*, Angeli Ec„cleſiarum *Bellovacenſis & Andegavenſis*. „Præclari hi Præſules, quorum vita „vere erat Angelica, hi ſuo erga veri„tatem Zelo, ſua in explendis miniſterii „ſui officii fidelitate hanc pacem adeo „exoptatam obtinere promeriti ſunt, „alii etiam Epiſcopi ad tanti operis fun„damentum, & perfectionem ſuam cum „illis operam junxerunt, applaudente „Sacra Sede, ipſoque Rege, lætanti„bus omnibus Viris probis, & gau„dente Univerſa Eccleſia. Nunc vero „hoc ædificium tot lacrimarum pretio „erectum evertitur. Tot beatæ ani„mæ, quæ in cælis Deo gratiarum lau„des exſolverunt, nunc Franciæ Ec„cleſiam rurſus in priſtinum chaos de„merſam non ſine dolore deplorant. „Quomodo enim pax ſubſiſtere poterit, „cujus fundamentum decreto tuo ſub„ruiſti? . . . . &c. Utinam tu illo„rum, qui ſcientia magis inclareſcunt, „& minus partium ſtudio arrepti ſunt, „conſiliis acquieviſſes: Sat noti ſunt „illi, qui te impulerunt ad hoc decre„tum, a nullo approbatum, niſi ab il„lis, qui tuam diæceſin turbare, & de „pio ac docto Epiſcopo Iprenſi, qui „pernicioſas eorum novitates detexe„rat, vindictam ſumere, unice intenti „ſunt.

„sunt. Quinquaginta annorum expe- Sæc. XVII.
„rientia sat luculenter testatur, nun- A.C. 1701.
„quam pacem reddi posse, nisi rectæ
„ac Deum timentes conscientiæ ab in-
„tolerabili jugo internæ fidei erga fa-
„ctum exonerentur. Pura & simplex
„subscriptio sit hujus fidei publicum te-
„stimonium, sed falsum, & perjurio
„confirmatum, dum hoc factum esse
„verum, vel certum non est, vel fal-
„sum esse creditur. Docti, & in hoc
„mundo nil nisi suam conscientiam sal-
„vare quærentes, extrema potius su-
„stinebunt, quam animas suas sacri-
„lega subscriptione lethaliter sauciare,
„& actione sinceritati Christianæ & ju-
„ramenti religioni adeo adversa Eccle-
„siam scandalizari: si subscribere re-
„nuerint, convitiis appetentur, omni
„vexationum genere torquebuntur,
„Principes contra eos excitabuntur,
„sollicitabuntur Episcopi in eorum
„exitium, hæccine est pax illa, quam
„tuum decretum procurat. Enimvero
„non paucos, ut se tibi subjiciant, ur-
„gebis, ab eis revocationem exiges, so-
„latio tibi erit, horum Doctorum, alio-
„rumque Ecclesiasticorum subjectio erga
„tuam decisionem: sed quale solatium
„ex submissione extorta, quam publi-
„cum & scandalosum mendacium, fal-
„sumque testimonium, metusque hu-

Sæc. XVII. A. C. 1701. „manus ab his Doctoribus repugnante „eorum scientia & conscientia extundit; „certum enim est, quod quadraginta „illi Doctores doctrina, meritisque cla„rissimi, qui re coram Deo juxta tutis„simas Theologiæ regulas mature pon„derata *casum conscientiæ* unanimi con„sensu deciderunt, certum est, in„quam, quod hanc propositionem tan„quam irrefragibilem veritatem suspe„xerint. Num propterea a sua disce„dent sententia? Non, in sinu suo il„lam recondent, ideo tantum ut illis, „qui eis nocere possent, & horridam „tempestatem comminantur, satisfa„ciant, ... Nonne hæc est pecca„minosa simulatio, probrosa prævari„catio, ignavia prorsus indigna illis, „qui se veritatem usque ad sanguinis „effusionem propugnaturos in facie Al„taris polliciti sunt. Quis desuper ra„tionem reddat, nisi illi, qui eos ad „hæc crimina impellunt, qui ad om„nes rationes, omnes vindicias surdi, „eis præcipiunt, ut contra eorum con„scientiam, contra omnium Theologo„rum sententiam, contra S. Scripturæ „& Traditionis Regulas eis obediant. „. . . . . A te tamen hi sua submissione „promeruisse videbantur duas gratias, „& primo quidem, ut de eorum pura „doctrina, & perfecta illorum submis„sione

„sione erga Ecclesiæ decisiones tibi „nullus ambigendi locus superst, se- „cundo, ut a publica censura eximan- „tur: verum nonnisi tui decreti fabri- „catores de illis adeo benigne non sen- „tiebant, & prima gratia nonnisi aliqui „digni censebantur, scilicet illi, qui „suam mentem tali modo explicarunt, „ut de puritate doctrinæ, eorumque „subjectione erga Ecclesiæ decisiones „haud ultra dubitares, ceteri vero, id „est potissimi, adhuc de perversa do- „ctrina, & simulata submissione tibi „suspecti sunt; Nempe certum est, quod „hi a sua sententia non recesserint, sed „externa sua submissione non veritati, „sed potentiori violentiæ cesserint, uni- „cus ergo tui decreti fructus est, quod „hypocritas progenueris &c.„ Insuper Quesnellus ementito Episcopi nomine datis ad quemdam Episcopum literis eum circa Jansenii factum ad suam opinionem pertrahere nitebatur, alius hujus factionis Author libro voluminoso insectatus est decretum Aptæ Julienſis Episcopi, tertius denique sub titulo: *Theologorum defensio* contra Carnutensis Episcopi Constitutionem calamum vehementer acuit, eoquod hi Præsules casus decisionem damnassent. Sæc. XVII. A. C. 1701.

Sæc. XVII
A. C. 1701.

§. CXX.

Caillyi error circa Euchariſtiæ Sacramentum.

Non deerant in Galliis aliorum ingenia in varias novitates prompta atque fæcunda, ex quorum cerebro varii errores etiam contra fidei puritatem progerminati fuere. Jam dudum luxuriante prorſus ingenio Gabillonus ex Congregatione S. Mauri librum ſub titulo: *Philoſophia Euchariſtica* conſcripſerat, in quo ex Carteſii principiis Euchariſtiæ myſterium explicare nitebatur. Eandem viam quoque inierat Caillyus ad S. Martinum Parochus Cadomenſis, qui libellum typis dedit, ita inſcriptum: *Durandi explicatio* de modo, quo Chriſti Corpus in Euchariſtia præſens eſt, ſeu *Concordia Theologiæ cum Philoſophia quoad Tranſubſtantiationem Euchariſtiæ*. In hoc libello Author in Theologia parum verſatus juxta opinionem Carteſii monſtrare nitebatur, totum hoc Myſterium in eo conſiſtere, quod panis & vinum uniantur animæ & divinitati Chriſti, ſicque fiat ejus Corpus & ſanguis, proin nulla penetratio corporum, nullum accidens abſolutum, nullumque aliud miraculum requiratur; cum autem juxta hanc opi-

opinionum post consecrationem adhuc panis & vinum contra Tridentini decisionem remanerent, hinc Nesmondus Bajocensis Episcopus hoc anno hunc librum proscripsit, ejusque Auctorem, ut hæresin suam revocaret, compulit. Sæc. XVII. A. C. 1701.

§. CXXI.

Jansenistarum conventicula.

Insuperhabitis Mechlinienſis Archiepiſcopi edictis, & Magiſtratuum vigilantia frequentes in variis Belgii Urbibus conventus habebant præcipui Janſenii Fautores, in quibus de firmanda eorum factione, juvandis ſociis, confutandis edictis & libris contra ſe editis, aliisque ejusmodi negotiis communi ſuffragio conſultabant: cum autem ejusmodi privata conventicula aliunde jure tam Eccleſiaſtico quam Civili prohibita eſſent, hinc Cameracenſis Archiepiſcopus, Tornacenſis Præſul, necnon Gubernator totius Belgii ſæpius ejusmodi conventus prohibuerunt, diſſiparuntque, ac præprimis Comes de Liberchies Aldenardenſis Gubernator Anno ſæculi præteriti nonageſimo ſecundo Menſe Januario quosdam Eccleſiaſticos ibidem congregatos diſpergi, eorumque ſcripta aufferri juſ- *Cauſſa Quesuel. p. 263.*

Sæc. XVII. A. C. 1701.

sit, in quibus quidem nihil contra Provinciæ tranquillitatem, plurima tamen contra Religionis noſtræ fidem procuſa reperiebantur. Convenerant etiam hoc anno Mechliniæ die duodecima Septembris, non modo Mechlinienſes ſed & Bruxellenſes & Lovanienſes Janſeniſtæ, ubi inter alia Quesnelli ſcripta hujus conventiculi ſeries ab ipſomet Opſtratio deſcripta intercepta fuit, hujus tenoris: Conſultatum eſt. I. „An ſuſci„piendum ſit iter Pariſienſe? *Reſolu„tum*, adhuc differendum ex conſilio „amici, cui ea in re credendum eſt. „II. Quid agendum eximiis DD. Lo„vino & Renardi, ſi veniant iterata man„data a ſua Excellentia de admittendo „ad Facultatem D. Martin? *reſolutum*, „non eſſe admittendum, ſed bis terve „reſcribendum cum reverentia, donec „ab Amicis Bruxellenſibus moneantur „obedire. III. *Item reſolutum fuit*, ut „E. D. Lovinus abſente Patre Harney, „convocet facultatem, ut fiat reſcriptio „adverſus interdicta Aulæ data contra „eximios Hennebel, Sullivane, & Claes, „in quo præcipue duo elucidanda „ſunt. 1. Difficultas circa tempus e„lectionis. 2. Difficultas circa mo„dum, oſtendendo, quod non fuerit „irregularis: quæ duo prolixe dedu„cuntur in libello oblato ſuæ Excel„len-

„lentiæ a Domino Claes, sed a sua „Excellentia non acceptato, quibus „addi potest tertium de incapacitate „Domini Martin. IV. *Item resolutum*, „absente Patre Harney implorandam „universitatem ad suscipiendam caus„sam libertatis facultatis Theologicæ „in eligendo. V. Item fieri quanto„cius debere suspectionem Archiepi„scopi, ubi inter cætera allegari pos„sunt Theses, quas apud Jesuitas de„fendit: deinde quod Thesium illarum „doctrinam adhuc tenuerit jam Archi„episcopus, cum pro illa varios libel„los scribi permiserit, tertio quod Pa„trem Desirandt fecerit suum deputa„tum in Urbem; quarto, quod doctri„nam D. Martin approbaverit, &c. „VI. *Item resolutum*, accedendum esse „D. . . . qui nunc est Lovanii, eique „proponenda, quæ sequuntur. 1. Ro„mam semper faviisse parti, quæ Jan„senistarum dicitur, donec editi sunt „quatuor articuli Gallicani de Autho„ritate Pontificis. 2. Tunc Romam ab „iis petiisse, ut se articulis illis oppo„nerent; quod quia facere recusabant, „cæpisse eis Romam adversari, atque „eos a locis Facultatis aliisque exclu„dere vel ut excluderentur, procurare. „3. Dominum Steyaert, qui & ipse „tunc inter excluſos erat, viam sibi ad „pro-

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„promotionem aperuisse edendo apud „sedem Apostolicam professionem de „infallibilitate Pontificis, qua edita „omnia mox, quæ voluit, consecutum „fuisse, ceteros autem mansisse in hunc „usque diem excluſos. 4. Ubi autem „recurrerunt ad Regem, ut se via ju„ris defenderent, viam justitiæ ipsis „clausam fuisse ab Electore, agente id „potissimum Internuntio, tum quod „crederet illos non favere authoritati „Pontificis, tum quod pati nollet, ut „Ecclesiastici recurrerent ad tribunal „laicum, etsi ageretur de mero posses„sorio. 5. Hinc ortas esse præcipuas „turbas in Belgio. 6. Mox turbas om„nes cessaturas, si via justitiæ ape„riatur. 7. Ad hanc aperiendam, ut „laborare dignetur, nos humillime „supplicare. VII. Pro ærario DD. Lo„vanienses in hunc annum promiserunt „trecentos florenos, DD. Bruxellenses „ducentos, DD. Mechlinienses intra „paucos dies scribent, quid collaturi „sint. Ad DD. Antverpienses & Gan„davenses ea super re scribet D. Hi„larius.„

Anno etiam sequenti Jansenistæ ad diem vigesimam nonam Aprilis alium Conventum Mechliniæ habendum indixere, quem tamen studiose non nominato loco ad nonam Maij diem distulerunt,

lerunt, eoquod Mechlinienſis Plebanus morbo impeditus eſſet, ceterique Amici conventiculum differri peterent. Sæc. XVII. A. C. 1701.

Ex his autem judicare licet, hoſce Janſeniſtas in unam coaluiſſe ſocietatem & factionem eo animo, ut jugi omnis impatientes, ac ſubjici nolentes, legibus propriis regi duntaxat poſſent, & primo Eccleſiæ, demum vero & Principum quoque imperium excutientes, novam velut Sion erigerent, qualem olim Monaſterienſes fanatici Joanne de Leyden & Kniperdolingo ductoribus, meditati ſunt: Unde haud mirum, quod Franciæ Rex, aliique Principes in eos tanquam factioſos homines ac publicæ tranquillitatis perturbatores animadvertere ſtatuerint.

§. CXXII.

Romæ tumultus, variæque moleſtiæ ſummo Pontifici irrogatæ.

Quantumvis Clemens XI. Pontifex Maximus omne ſtudium impenderet, ut Principes Catholicos ab exitioſo bello, ſuaque Hiſpanicæ ſucceſſionis jura armis vindicandi propoſito averteret, parum tamen abfuit, quin & ipſe gravi huic bello implicaretur: ſuperhabitis enim illius literis, quibus declarabat, ſe ea initurum conſilia, quæ *Hiſt. du Princ. Eug. l. 3. p. 286.*

Sæc. XVII. A. C. 1701.

quæ *ad reddendam ab exterorum militum incursu immunem Italiam expedire arbitrabitur*, nihilominus Galli hoc anno Mantuam occuparunt, a Ferdinando Carolo Duce Gallico auro delinito admissi, etsi Papa inter utrumque sequester præsidia obtulisset, quapropter vicissim Eugenius Princeps Cæsarei exercitus Dux cum Equitatu suo per vallem, ut vocant, aridam, & cum peditatu suo in Veronensem agrum die vigesima septima Maij penetravit, delusisque Hispanis & Gallis, qui ad primas alpium fauces & angustos locorum transitus fossa, aggere & tormentis muniebant & ad Athesis oram Cæsareis transitum prohibituri excubabant, trajecto Pado Ferrariam die vigesima quarta Junii contendit: De hac inopina irruptione Papa cum Cæsare vehementer expostulabat, eamque in suæ auctoritatis contemptum, necnon Cæsareæ pietatis & justitiæ detrimenta redundare obtendens, Cæsaream fidem ea in re implorabat, datis die sexta Julii ad Cæsarem literis: verum jam prævenerat Pontificem Leopoldus Cæsar, qui die octava Julii literas ad Papam dedit, necessitatem obtendens, qua copias suas per quasdam ditionis Pontificiæ partes transmittere coactus esset: altera tamen die Eugenius jamjam Gal-

Gallos aliquot locis ejecerat, & Carpi eos adorsus primo impetu fudit, hostemque insecutus, ea loca, quæ Catinatus Franciæ Mareschallus præsidiis vacua reliquerat, occupavit, iteratoque prælio Gallos Clarii, cæsis ferme tribus millibus, in fugam egit, simulque Oglii & Addæ fluvios clausit. Italia jam extero milite turbata, Pontifex nequidem a domesticis turbis liber erat; cum enim die vigesima septima Martii, aliquot Galli Romæ ante Cæsarei Oratoris Palatium subsisterent, ac liberius de urbanis rumoribus fabularentur, a Legati famulis abscedere jussi, duriora verba reponebant; mox a verbis ad verbera deventum, Gallique a Cæsareis male mulctati strictis ensibus vim retundere parabant: Crescebat tumultus, accedentibus, qui alterutri parti favebant: unde non paucis utrinque sauciatis, res ad communem seditionem spectare videbatur, jamjam Cæsareus, æque ac Hispanus, Gallusque Oratores copias parabant, quibus aut vim inferrent, aut repellerent: tempestive autem Pontifex hujus litis arbitrum sese obtulit, obtinuitque, ut totum hoc negotium Oratori Veneto componendum deferretur: Diu utrinque acriter disceptatum, tandem vero hujus Legati necnon Pontificis opera utrique parti

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

parti satisfactum est. Sedato hoc tumultu magis periculosa tempestas Pontificis capiti imminebat; paulopost enim Franciæ Orator pro Philippo Andegavensi Duce, quem Neapoli Pro-Rex Medinæ Dux in Hispaniæ Regem proclamari jusserat, Neapolitani Regni investituram a Papa tanquam supremo Domino, petebat: Ea res anxiis curis suspensum tenebat Pontificem, qui ita Gallo favebat, ut tamen Cæsarem offendere timeret: Erexit ergo Congregationem viginti duorum Cardinalium, ex quorum consilio declaratum, quod neutri pro successione Hispanica parti præjudicaturum sit, si solitum pro Neapolitano Regno tributum non deferretur, donec hæc controversia penitus dirempta esset: interim vero tam Cæsari quam Andegavensi infeudatio deneganda sit. Nihilominus Galli, ut hoc Regnum clientelari jure ad Andegavensem devolutum esse monstrarent, tributum vi & dolo obtrudere festinabant: igitur coloris candidi equam carrucæ quisquiliis plenæ junctam per Agasonem publicum ad Palatium Vaticanum deduci curant, atque ex improviso lacinia rubra ejus dorso injecta, Philippi Ducis Andegavensis, veluti Regis nomine illam in tributum Ministris Pontificiis interjecta

jecta prætenſi juris proteſtatione offe- Sæc. XVII.
runt. Hi autem ſtrigoſum hoc animal A. C. 1701.
e Palatio ejici juſſerunt, quod etiam integra die & nocte ſequenti per urbem vagatum poſtridie ſponte ſua ad Agaſonem, a quo emptum fuerat, rediit. Dolo in irritum cadente, acceptoque nuntio de Carpienſi Gallorum clade Neapolitani Proceres Cæſari faventes palam ſeſe contra Gallo-Hiſpanos declarabant, ac populus turmatim confluens, Anteſignano Caſtellucio Duce, elata voce acclamabat: *Vivat Cæſar & Archidux Carolus Rex noſter?* prævalente autem Gallorum numero, admiſſisque in urbem copiis Gallicis, conſpirantes alii morte, alii variis ſuppliciis, mulctati ſunt. Rebus igitur indies magis turbatis Pontifex ditionis Eccleſiaſticæ ſecuritati conſulturus, ſancti Angeli arcem ceterasque urbes præcipuas belli tormentis muniri, militesque conſcribi juſſit.

§. CXXIII.

Ejusdem ſummi Pontificis oppoſitio contra Regis titulum Marchioni Brandeburgico aſſertum.

Poſtquam igitur Leopoldus Cæſar jus ſuum in Hiſpaniæ Regnum armis proſequi ſtatuerat, nova fœdera con- *Theatr. Europ. t. 16. Hiſt. cont. Chron. l. 14. pag. 565.*

Sæc. XVII. A.C. 1701.

quirere, copiasque undique conducere oportuit: Jamjam Angli, Batavi, ac Parmensis Dux sese eidem arctissimo fœdere aggregarunt: demulcendus etiam erat Brandeburgicus Marchio, cujus ambitio illum captandi occasionem Cæsari ultra offerebat; jam dudum enim *Borussici Ducatus Rex* declarari petierat, eoque nomine plura rationum momenta palam fecerat, quinimo die decima octava ipsus præconum voce Königsbergæ sese Borussiæ Regem denuntiari jussit hoc verborum tenore: *Sapientis Dei providentia Prussia Ducatus erigitur in Regnum & Fridericus ejus supremus, potentissimus, & Altissimus Princeps factus est* Rex *in Prussia:* Tacitus annuit Imperator, ac connivendo tantum obtinuit, ut novus hic Rex neutras saltem partes sequeretur. Acriter autem sese novo huic titulo oppositi Pontifex, qui die decima sexta Aprilis datis ad Cæsarem literis vehementer querebatur, quod hic Marchio *nomen & insignia Regis Prussiæ inaudito forte hactenus apud Christianos more, nec sine gravi antiqui juris, quod in ea Provincia sacro Teuthonicorum Ordini competit, violatione, sibi publice arrogarit, atque pro majori Ecclesiasticæ potestatis contemptu in frequenti hominum cætu, eaque celebritate, quæ etsi nil sacrum in se continere t*

tineret, simulato tamen cæremoniarum usu, pravoque Ministrorum delectu, ritu forte in consecrandis Regibus apud Catholicos usitato coronari inungique voluerit. Id vero Apostolicæ Sedis ipsiusque Ecclesiæ auctoritati injuriosum esse, sacrisque Canonibus adversari autumabat Pontifex, eoquod *hæreticum Principem antiquis potius cadere, quam novis honoribus augeri, a sacris Canonibus constitutum esset*. Eapropter Imperatorem impense hortabatur, ne præfato Marchioni ullam honoris significationem ex iis, quæ Regibus rite institutis defertur, a se suisque subditis tribui patiatur. Ejusdem ferme tenoris literas Pontifex eadem die dedit ad Franciæ Regem, eundem monens, ne Regios honores Marchioni tribueret, eoquod se Regem dicere non dubitarit ejus partis Prussiæ, quæ tamen ad militarem Teuthonicorum Ordinem antiquo jure pertinet, proin hic Marchio illis accensendus sit, de quibus Psalmista ait: *Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi.* In literis vero ad Poloniæ Regem datis hanc subjunxit caussam: *qua ratione ab Orthodoxæ veritatis Sectatoribus Regio honore dignus habendus est, qui electam ejus sponsam, a qua omnis est potestas, contemnit?* Pravum insuper exemplum in

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Sæc. XVII. A.C. 1701. Christianam Rempublicam induci, perscripserat Pontifex ad Venetos, *si Acatholicis Principibus Regiæ Dignitatis nomen usurpare, & insignia præferre, sacrisque Ecclesiæ ritibus per simulatam inaugurationis formam liceret illudere.* De eodem argumenro Pontifex literas dedit ad Maximilianum Bavariæ Electorem, ad Hugonem Trevirensem, ad Helveticos Catholicorum Pagos, & ad Radziewsckium Polonum, necnon ad Joannem Philippum de Lamberg Cardinalem Viennensem: Denique Principi Francisco Ludovico Comiti Palatino Ordinis Teuthonicorum Magistro significabat, quod ejus preces præveniens, jamjam Principes Orthodoxos monuerit, ne Marchioni Regios tribuerent honores, quibus *ipse quasi speciosa hujus tituli accessione jura legitimæ auctoritatis acquirere præsumpsit in ea Provincia, quam Ordo* Teuthonicus *ab infidelium manibus strenua virtute olim receptam contra Ecclesiæ hostes perpetuos opposuit:* Nihilominus Lusitaniæ & Sueciæ Reges, & sensim alii Principes Fridericum pro Rege agnovere.

§. CXXIV.

Sæc. XVII.
A.C. 1701.

§. CXXIV.

Leodienſis Eccleſiæ Decanus violenter captus.

Hiſpanicam Monarchiam aucupandi libido non modo inter Competitores Regios funeſtum bellum, ſed etiam inter privatos diſſidia, & capitales inimicitias progerminare cæperat: Pro ſuo quisque affectu, aut commodi ratione ſeſe alterutri parti dicabat, quosque ſibi non conſentientes cenſuit, pro hoſte habebat: Quamprimum autem Leopoldus Cæſar cum copiis ſuis in Italiam penetraverat, non pauci quid validum, quid infirmum, unde quicquam præſidii commodique ſperari, Cæſarique detrahi poſſet, animo circumſpiciebant: Præprimis Maximilianus Emanuel, Bavariæ Elector, qui ad Cæſaris preces nuper Hiſpanici Belgii Gubernator deſignabatur, ad Gallorum partes tranſivit: Patrui ſui exemplum mox ſequebatur Joſephus Clemens Colonienſis Elector, ſimulque Leodienſis Epiſcopus, qui Bavaro auro copias conſcripſit, & Colonienſes arces, necnon Leodienſem civitatem Gallicis præſidiis munivit: inde vero natæ ſunt ingentes animorum averſiones inter hunc Electorem, & Colonienſis & Leodienſis

Hiſt. Cont. Chron. l. 14. pag. 564. Briet. Annal. cont. Clem. epiſt. pag. 94.

Sæc. XVII. A.C. 1701.

Eccleſiæ Capitula; hæc enim Archiepiſcopo objectabant, quod pactorum in ſui electione initorum fidem violaſſet, viciſſim Archiepiſcopus Canonicos velut ſeditioſos ac rebelles convitiabatur, quam tamen calumniam Canonici die prima Octobris edito diplomate a ſe amoliebantur, Cæſarisque & Rhenani Circuli patrocinium implorabant: Attamen Colonienſis Elector Gallorum potentia tutus, in Canonicos præcipue Leodienſes vindictam parabat, ac Maurevallio Marchioni Gallo, necnon Comiti a Berlo Belgæ negotium dedit, ut belli tormenta per urbem diſponerent, & plateas, vicosque præcipuos obſiderent: quo facto Baronem a Mean Cathedralis Eccleſiæ Decanum, cunctosque Canonicos, quos ſibi vel adverſos vel ſuſpectos habebat, in carcerem rapi juſſit: inde territi ceteri Canonici aut fuga elapſi ſunt, aut in latebris delituere. Poſtridie Decanus Regis Gallici juſſu in ſede curruli extra urbem deductus eſt, quamprimum vero extra muros pervenerat, mox equo manus pedesque ligatus imponitur, & capite nudus inter ſatellitum agmina Namurcum abſtrahitur: interea vero milites Galli ædes Canonicorum, qui fuga elapſi erant, inſedere, cunctaque in eis reperta militari licentia diſſipabant:

bant: Enimvero Elector, ut Galliarum Regi gratificaretur, hanc violentiam prætexta publicæ securitatis necessitate excusabat, mox tamen Electoris nomine publicatum erat, omnia se inconsulto atque inscio ex Ludovici Galli Regis mandato facta fuisse, e contrario Galli cuncta ad expressam Clementis Electoris petitionem acta divulgabant: Hæc tamen excusatio apud Clementem summum Pontificem adeo nihil valebat, ut die trigesima prima Decembris acerbas hasce literas ad Electorem daret: Sæc. XVII. A.C. 1701.

„Ipsa magnitudo facinoris, quod „nuper non sine ingenti fidelium scan„dalo, non sine gravi Ecclesiasticæ ju„risdictionis injuria, in Civitate Leo„diensi admissum est, nedum testimo„nium illud, quo Nobilitas tua literis „quarta labentis Decembris datis ad „nos detulit, certo nobis persuadet, „Te prorsus inconsulto, atque inscio „contigisse, quod dilectus Filius De„canus Cathedralis illius Ecclesiæ, præ„sidiariis militibus non ita pridem in „eandem civitatem invectis fuerit a „loco immuni abductus, alioque tur„piter & contumeliose traductus, quod„que alii item Ecclesiastici Viri pariter „detenti, atque traducti, arctæque de„mum custodiæ fuerint demandati.

Sæc. XVII. A. C. 1701. „Quid enim tam diſſentiret a conſueta, „atque hauſta a Majoribus animi tui „pietate, atque etiam ab Eccleſiaſtica „dignitate, per quam eidem Civitati „præficeris, quam ſi humanis forte ra„tionibus nimium tribuens, loca ſacra, „ac Perſonas Divino cultui dicatas pu„blice contemni patereris. Verum ne „in re tanti momenti, ubi remiſſius „ageres, id ipſum ſuſpicandi, aliter„que, quam par eſt, de Te opinandi iis „occaſionem præbeas, quorum cenſu„ram ipſa Principum nomina non eva„dunt, imo potius, ut rem Deo gra„tam in cuſtodienda, pro muneris tui „ratione, Eccleſiaſtica libertate exhi„beas, te ad ea diligenter curanda, ac „celeriter perficienda enixe hortamur, „per quæ læſa palam Eccleſiæ immu„nitas ſarciatur, ut ſollicitudo noſtra „quam ingentes undique curæ prægra„vant, hac ſaltem in parte levetur, & „præclarum de religione animi tui ju„dicium apud Nos ſemper magis in„valeſcat &c.„

Eadem die Pontifex ad Cathedralis Eccleſiæ Capitulum hæc perſcripſit: „Intimi doloris ſenſum, quem Paterno „noſtro cordi literæ veſtræ attulerunt, „ob violentam dilecti Filii Decani iſtius „Eccleſiæ per militum manus detentio„nem, atque abductionem, vix poſſu„mus

„mus exſplicare, probe intelligentes, Sæc. XVII.
„quanto fidelium ſcandalo, quantoque A. C. 1701.
„Eccleſiæ contemptu, inſpecta loci &
„Perſonæ immunitate, iſta contigerint,
„nullatenus itaque Vobis ambigendum
„eſt, quin Nos ſofficii noſtri memores
„ſedulo curaturi ſimus, ut debita re-
„paratione jura Eccleſiæ tam enormi-
„ter læſa ſarciantur. Interim vero con-
„fidimus Vos, & Chriſtiana pietate
„excitatos, & hac etiam calamitate,
„ceterisque impendentibus malis ad-
„monitos, non tam de comparanda re-
„bus veſtris Pontificiæ auctoritatis ope,
„quam de propitiando Vobis ipſis Deo
„Optimo Maximo fore omnino ſollici-
„tos, & ſerio perpenſuros eſſe, nun-
„quam aptius Cæleſtem miſerationem,
„quam Fraternæ charitatis uſu conci-
„liari: cum econtra nil tam Divinam
„ultionem provocare poſſit, quam ſi is,
„qui mitem in ſe Dominum eſſe velit,
„durior in proximum ſuum invehere
„pergat, quod Evangelici ſervi exem-
„plo compertum Vobis eſſe poteſt &c.

§. CXXV.

Religionis Catholicæ incrementa, & Pontificis ſtudium in iis promovendis.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

EOdem hoc tempore, quo funeſtum hoc bellum & Chriſtianorum Principum diſcordia in magnum Catholicæ Religionis diſcrimen verti timebatur, Eadem per plurium acceſſionem, reditumque ad veræ Eccleſiæ ſinum haud levia cepit incrementa; præprimis enim Maria Eliſabetha Bipontina Principiſſa anno priori ejurata hæreſi ad fidem Catholicam reverſa literas filiali obſequio plenas hac de re ad ſummum Pontificem dedit, qui viciſſim eidem hanc gratiam gratulatus die octava Februarii eam hortatus eſt, ut in ſuſcepto conſilio firmiter perſiſtat, aliosque etiam ab erroribus ad rectam veritatis ſemitam revocare ſtudeat. Rutheni quoque ſchismatici in Polonia ſe ad unionem cum Eccleſia Romana ſat propenſos ſæpius, nec obſcure monſtrabant: quocirca Pontifex die trigeſima Aprilis Poloniæ Regem hortabatur, ut horum unionem impenſe promovere, atque Epiſcopo Rutheno a ſchismaticis valde exagitato opitulari, eumque in Leopolitana Sede ſua confirmare velit; hic enim Epiſcopus ſuæ cum Apoſtolica Sede unionis literas teſtes Romam nuper miſerat: pariter die ſeptima Maij Pontifex ab eodem Rege poſtulabat, ut publicæ Catholicorum offenſioni occurrat inde enatæ, quod qui-

Epiſt. Clement. XI. Vid. ſupra pag. 582.

quidam Lutherani Varſaviæ apud a- Sæc. XVII.
catholici Principis Miniſtrum damnatis A. C. 1701.
ſuæ ſectæ exercitiis publice vacare præſumerent: idem etiam vigilantiæ Cardinalis Radcieowski commendabat, eundem ſicut & Leopolitenſem Archipræſulem, ceteros Epiſcopos, & Proceres hortatus, ut in proximis Regni comitiis non modo publicam tranquillitatem, ſed præcipue orthodoxæ fidei incolumitatem contra hæreticos promovere, & Sueciæ Regis inſidiis ac minis ſtrenue obſiſtere contendant. Inſuper Pontifex Poloniæ Regem rogabat, ut quoddam diploma, quod Acatholici Dresdæ anno elapſo ab ipſo fraude malisque artibus extorſerant, abrogaret, & Catholicos poſſeſſione Eccleſiæ Maurisburgenſis tutaretur, necnon ad propagandam fidem auctoritate ſua Miſſionariorum numerum augeret, denique eundem Regem paterne arguebat, quod Filium ſuum tenerrimæ adhuc ætatis puerum hæreticis Magiſtris inſtituendum tradiderit: Paulopoſt Macarius Tripolitanus, & Parthenius Heliopolitanus Epiſcopi, ejurato ſchismate ad unitatem Romanæ Eccleſiæ reverſi ſunt, propterea a ſummo Pontifice die decima ſexta Julii literis gratulatoriis honorati. Eodem anno Princeps Guilielmus Hyacinthus Naſſovius

Sæc. XVII. A. C. 1701.

fovius pro Catholicis in ſua ditione novum Templum, loco alterius incendio abſumpti, extrui curavit. Pari Religionis ſtudio incitatus Pontifex Cæſarem & Franciæ Regem implorabat, quatenus Armenorum, aliorumque Orientalium Catholicorum, qui in Turcica ditione ſævum in modum a barbaris vexabantur, atque ad amplectendos hæreticorum, ſchismaticorumque (*) errores adigebantur, cauſſam & patrocinium in ſe ſuſcipere vellent: eisdem quoque commendabat Patriarcham Armenum, & Syrianorum Patriarcham, quorum hic poſt carceris ærumnas ab infidelibus multis plagis mulctatus, ille vero Conſtantinopoli fædiſſimæ triremium ſervituti addictus erat, unice ea ex cauſſa, quod improbæ eorum voluntati conſtanter obſtitiſſent. Præterea Maigrotus Cononenſis Epiſcopus ac Fokienſis Vicarius Apoſtolicus datis ante biennium ad Innocentium XII. literis de Sinenſibus controverſiis certiorem reddiderat, hoc autem Pontifice jam fatis functo Clemens XI. eundem necnon Arturum Roſalienſem Epiſcopum Provinciæ Suchuenſis Vicarium Apoſtolicum die prima Auguſti per literas hortabatur, ut in Sinica Miſſione,

(*) Vid. ſupra Lib. 212. §. 9. p. 308.

ne, ſuſceptoque miniſterio ſua apud Deum merita indies magis cumulare ſatagerent: Maigroti vero ſuſceptos labores commendabat his verbis Pontifex: *Te inprimis perſuaſum eſſe cupimus de ſingulari noſtra erga te benevolentia, quam tibi Zelus, quo flagras, doctrina, qua præſtas, ac demum conſtans illa voluntas, qua tamdiu ſtrenue huic miniſterio vacaſti, tibi abunde conciliant. Eruditantur* (alii Operarii) *tuis monitis, ac tua conſuetudine fideles in unitate Spiritus, in vinculo pacis, hanc Sanctam Sedem filiali obſervantia revereri:* his verbis merito ad ſui confuſionem perſtringitur Turſelini Continuator, qui ad Annum MDCC. ſcribere auſus eſt: *Ante aliquot annos Maigrotus Gallus Doctor Sorbonicus cum poteſtate Vicarii Apoſtolici in Provinciam Foquien miſſus Eccleſiam Sinenſem turbis, Romam vero ſiniſtris opinionibus implevit.* Ceterum Pontifex huic ac reliquis in Imperio Sinarum Vicariis Apoſtolicis Jubilæi diploma ibidem promulgandum hoc anno die decima quinta Maij transmiſit. Denique quatuor Miſſionarios ex Ord. S. Dominici Aſpahamum proficiſcentes Perſarum Regi, & Nahabiero Nationis Armenorum Patriarchæ impenſius commendabat, ſimulque Nubiæ Regem ad amplectendam fidem Catholicam hortatus,

Sæc. XVII. A.C. 1701.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

tus, duos Missionarios eo fine ad ipsum ablegatos benigne excipi rogabat, promeritisque laudibus efferebat pietatem ac Zelum Cardinalis a Colonitz, qui plurimorum fidelium Byzantii apud Turcas captivorum redemptionem officiis & pecuniis procurabat.

§. CXXVI.

Idem Pontifex immunitatis Ecclesiasticæ vindex acerrimus.

Epist. & Brev. Clemens XI. pag. 30.

Inter alia præclare gesta, quibus Clemens Papa sui Pontificatus auspicia decorabat, haud silentio prætereundum est invictum ipsius studium, quo læsam Immunitatem Ecclesiasticam vindicare nitebatur: cum enim Parochi, aliique Ecclesiastici a sæcularibus Leodiensis Urbis Ordinibus graviter vexarentur, suisque privilegiis ac prærogativis exuerentur. Pontifex hoc anno die decima quinta Januarii querulas has literas ad Josephum Clementem Electorem, ac Leodiensem Episcopum dedit: „Non satis explicare possumus „magnitudinem doloris nostri, ubi admonente Nos officii debito mentis „oculos convertimus ad vexationes gra„ves utique ac diuturnas, quas nulla „Ecclesiasticæ immunitatis ratione ha„bita, sed ea prorsus despecta, ac sæpe

„sæ-

„ſæpius violata a ſtatibus ſeu Ordini- Sæc. XVII.
„bus laicalibus Civitatis Leodienſis A.C. 1701.
„perpeſſus eſt multis abhinc annis Cle-
„rus ſecundarius ejusdem Civitatis,
„qui ſane Clerus præter illam, quam
„ſingulis Eccleſiaſticis cum Univerſita-
„tibus tum Perſonis Apoſtolica Sedes
„impertitur opem atque tutelam, ſpe-
„ciali quoque jure ob ſingularem in
„ipſam Sedem reverentiam foveri ab
„Eadem ſemper promeruit. Cum ita-
„que nihil tam enixe optemus, quam
„ut mala hujusmodi, atque ſcandala
„e medio tollantur, & juſta hæc ama-
„ritudinis cauſſa ab animo noſtro re-
„moveatur, ita ut a dura neceſſitate
„provehendi ulterius cogitationes no-
„ſtras liberemus, a te, quo majori
„poſſumus ſtudio, expetimus, ut Dei
„honorem in Sacerdotali Ordine Ze-
„lari velis, & pro ea, qua apud eos-
„dem ſtatus & Ordines, dignitate præ-
„ſtas, & auctoritate polles, ſedulo cu-
„res, & omnino efficias, ut præfatæ
„diſſenſiones ita componantur, ut ſarta
„tecta ſerventur Eccleſiaſticæ Immuni-
„tatis jurn, & idem Clerus iisdem
„privilegiis, atque prærogativis frui
„tandem poſſit, quæ Sacrorum Cano-
„num diſpoſitioni, & concordiis inter
„easdem Partes initis, ac inconcuſſe
„pridem cuſtoditis innituntur, ac de-

„mum,

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„mum, ut priſtinam pacem & tran-
„quillitatem (Te firmiter rem urgente)
„aſſequatur. Nihil ſane æquitati ac
„pietati tuæ magis conſonum, nihil
„aptius ad conciliandam Tibi magis,
„magisque benevolentiam noſtram, ni-
„hil vero (quod præcipuum eſt) gra-
„tius Deo præſtare poteris, quam Ec-
„cleſiæ jura tueri, & ſicubi læſa fuerint,
„integritati ſuæ reſtituere &c.

Cum autem a Mechlinienſi Senatu in Belgio pariter multa adverſus immunitatem Eccleſiaſticam & Epiſcopalem dignitatem fuiſſent attentata, Pontifex die prima Maij ad Philippum Hiſpaniarum Regem hæc perſcripſit: „Non
„verbis explicare poſſumus intimum
„dolorem, quo afficimur, ubi perpen-
„dimus, quod ea, quæ in Belgio a Ma-
„gno Conſilio Mechlinienſi contra Im-
„munitatem Eccleſiaſticam manifeſta
„illius violatione, nec ſine Epiſcopalis
„dignitatis contemptu attentata fue-
„runt, debita adhuc, & congrua re-
„paratione indigeant, non obſtantibus
„enixis, ac ſæpe ſæpius noſtro nomine
„iteratis Venerabilis Fratris Franciſci
„Archiepiſcopi Pariſienſis, Nuntii a-
„pud Te noſtri hac ſuper re petitioni-
„bus. Admonet itaque nos Pontificii
„muneris ratio, qua Eccleſiæ juribus
„adeſſe omnino tenemur, his literis a
„pie-

„pietate ac æquitate tua ſedulo ex- Sæc. XVII.
„petere, ut ſarciri quamprimum per A. C. 1701.
„eos, qui talia auſi ſunt, læſam tanto
„fidelium ſcandalo, præfatam Immu-
„nitatem ita mandes, ut executio diu-
„tius non protrahatur &c.

Quoniam vero Lovanienſis Magiſtratus hujus Urbis Univerſitatem, etſi Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta eſſet, viſitare, aliosque jurisdictionis actus exercere præſumeret, hinc Pontifex die tertia Decembris Rectori, ceterisque hujus Univerſitatis Miniſtris, etiam ſub anathematis pœna injunxit, ne aliquam viſitationem non provenientem a Sede Apoſtolica, aut alium quemcunque actum, quo authoritas, juraque præfatæ Sedis læderentur, admittant, ac propterea hucusque acta, vel impoſterum agenda omnino nulla fore declaravit.

§. CXXVII.

Mechlinienſis Archiepiſcopi ſententia contra Petrum Hamme.

Cum Janſenii fautores inſuperhabitis Pontificum, Regis & Mechlinienſis Archiepiſcopi decretis totum Belgium ſeditioſis, ac Janſeniano veneno turgidis libellis turbare pergerent, Humbertus Mechlinienſis Archiepiſcopus in- *Cauſſ. Queſn. pag. 7.*

Sæc. XVII. A. C. 1701.

tolerandam illorum calamorum audaciam compescere toto studio adlaborabat: Accusabatur inter alios Petrus de Hamme Oratorii Berulliani Sacerdos, quod Quesnelli, aliorumque huius furfuris scriptorum libros divenderet, ac in vulgus spargeret; culpam suam equidem fatebatur, nec tamen animum ad meliora consilia applicuit; quocirca Archiepiscopus illum acriter reprehendit, eumque per Congregationis Superiores serio admoneri curavit, ut tandem a tam noxio commercio cum Viris de novitate suspectis abstineret; cum autem Petrus indies in pejora rueret, ut, quem Superiorum monita non revocabat, nec exempla retrahebant domestica, castigationis medicina compelleret, Archiepiscopus eum in Palatio Archiepiscopali custodiæ dari jussit, ac die vigesima nona Octobris Bruxellis contra eum hanc pronuntiavit sententiam: „Visis actis, confessionibus „a reo factis, ejusque responsione, qua „declaravit se nolle ulterius procedere, „sese denuo submittere discretioni no„stræ, omnibusque mature considera„tis, & perpensis, Christi nomine in„vocato, plurium Theologorum & Ju„ris peritorum Consilio & assensu jus„dicentes, dicimus, decernimus, & „declaramus, ex dictis actis constare, „quod

„quod reus jam plurimis annis laboraverit, & etiamnum laboret publica „fama in Oratorio, quod ſit divendi„tor & diſtributor libellorum & libro„rum non rite approbatorum, & vendi „prohibitorum; quod varios variis ex „hujusmodi libris vendiderit, etiam „ſuis Novitiis, dum a quinquennio eſſet „Lovanii Novitiorum Magiſter: ſuper „quibus exceſſibus tam per Nos, „quam per ſuperiores ſuos Oratorii fuit „monitus, ſicut & iterum eum moneri „reſolutum fuit in Comitiis trimeſtra„libus præpoſiti & aſſiſtentium habitis „in hoc oppido 25. Maij 1700. poſtquam „talium librorum diſtributio, & diven„ditio ſæpius fuiſſet ipſi inhibitia: Qui„bus non obſtantibus non ceſſavit reus „dicta fama laborare, neque a diven„ditione prædictorum librorum abſti„nuit, usque adeo, ut R. P. Præpoſi„tus dicti Oratorii adactus fuerit ipſum „curare moneri per literas in data 13. „menſis currentis, & ipſi inhiberi ſub „pœna dimiſſionis ex Oratorio, ne im„poſterum libros prohibitos vel ſine ap„probatione impreſſos, vel ſummo Pon„tifici, vel nobis, vel Epiſcopis inju„rios, daret, venderet, vel diſtribue„ret, prout 14. Ejusdem Menſis vir„tute dictarum literarum coram duo„bus teſtibus monitus fuit, & ipſi ſub

Sæc. XVII. A. C. 1701.

„dicta pœna inhibita dicta datio, ven„ditio, & distributio, insuper quod „reus jam recenter Antverpiæ & Bru„xellis vendiderit usque ad 12. exem„plaria libelli cujusdam, cui titulus: *Confidentia Christiana quatuor immotis principiis innixa, ex quibus præcipuæ veritates ad hominum salutem spectantes necessario sequuntur*, continentis doctrinam a sum„mis Pontificibus damnatam *uti impiam, blasphemam & hæreticam.* Quare „condemnamus reum, ut coram nobis „emittat professionem fidei a Pio IV. „præscriptam, & juret & subscribat For„mulario Alexandri VII. circa V. Pro„positiones famosas Jansenii, & suspen„dimus reum a voto activo & passivo „in Congregatione Oratorii, revocan„tes facultates accipiendi fidelium con„fessiones, & prædicandi verbum Dei, „ipsi a Nobis aut a prædecessoribus No„stris concessas, etiam ipsi inhibentes „catechisare, & mandantes, ut rema„neat ad biennium in illa domo Ora„torii, ad quam a Superioribus suis est „mittendus: Injungimus præterea reo, „ut omnia exemplaria dicti libelli, cui „titulus: *Confidentia Christiana*, quæ a„pud ipsum fuere, colligat, & ad Nos „deferat, necnon manuscripta, de qui„bus in libello conventionali, juxta „obligationem suam factam in re„spon-

„ſponſione ſua perſonali 26.Menſis cur- Sæc. XVII.
„rentis: utque pariter ad Nos deferat A.C. 1701.
„libros, quos die 20. currentis curavit
„auferri ex domo Oratorii hujus op-
„pidi, condemnantes reum in expen-
„ſas hujus ad taxam noſtram. Ita in
„his ſcriptis ſententiantes &c.„

Hæc ſententia Quesnello adhærentibus ſummum incuſſit timorem, eo potiſſimum nomine, quod Archiepiſcopum hanc cauſam ad ipſum Regem detuliſſe, ejusque opem imploraſſe haud ignorarent: vehementer autem captivo indignabantur, quod crimen ſuum faſſus eſſet, unde hujus factionis quidam Lovanienſis Doctor, qui ſe ficto nomine Evodium dicebat, die nona Novembris ad Quesnelli ſecretarium hæc perſcripſit: *Poſtquam penitius intellexi cauſſam Domini Van Hamm, ſuſpendi eum a numero Confeſſorum ob duas cauſſas* 1. *quia tam ſtupide ad primam interrogationem faſſus eſt crimen, quod probari oportebat, nec forte poterat* 2. *quia per libellum, neſcio quem, ultro ſibi & temere perſecutionem accerſivit, quales olim non computabantur inter Martyres, etſi ſuo ſanguine madidi . . . . quomodo ſe habet cauſſa captivi? condoleo optimo maſculo valde Zeloſo pro S. Cornelio* Janſenio, *& ejus Athletis & cucullato cive Rotterodamenſi* ſcilicet Gerberonio.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

§. CXXVIII.

Conjuratio Hungarorum contra Cæsarem detecta.

Hode Hist. de Louis XIV. l. 53. p. 328. Esprit des Cours de l'Europ.

Iniquissimo prorsus tempore in Hungaria contra Cæsarem, totamque Augustissimam ejus Familiam conjuratio conflata est. Franciscus Ragotsius expugnata arce Mongatsiana aliquamdiu Viennæ liberaliter habitus nullam perversi consilii suspicionem de se præbebat: Tanta etiam apud Imperatricem gratia valebat, ut ejus patrocinio confisus, potissimam suorum bonorum, quæ ob nuperam Patris sui rebellionem fisco fuere addicta, partem sibi restitui peteret: Attamen sub idem ferme tempus (Deo Cæsaris incolumitati invigilante) feliciter in semine adhuc detecta est conjuratio, qua Ragotsius totam masculam Austriacæ Domus stirpem exscindere molitus, secretum fœdus cum Themesvarienſi Bassa iniit, eumque instigavit, ut quamprimum rebelles in Hungaria arma sumpserint, ipse militum suppetiis præsto esset: Insuper Ragotsius Longuevallium Tribunum tertio itinere in Franciam ablegavit, eo fine, ut pro conjuratis pecuniarum subsidia a Rege obtineret: Verum hic ipse Tribunus, aut facinoris im-

immanitate territus, aut suæ saluti metuens, totam conjurationis seriem Cæsari manifestavit, quapropter Ragotsius, Syrmajus & Vajus die vigesima nona Maij per Comitem Solarium capti detinebantur, tempestive autem Peretschinus fuga elapsus est, mox igitur in reliquos Oettinganus Comes Aulici Senatus Præses judicii acta instruere jussus est. Interim vero Ragotsius ad arcem Neostadiensem captus, abducebatur, ubi tamen Equestris legionis Centurionem nomine Lehmanum, cujus fidei & custodiæ traditus fuerat, auro, amplisque promissis tam dextere sibi demeritus est, ut hic omnem evadendi occasionem, opportunitatemque capto faceret: Præstituta igitur die septima Novembris Ragotsius Urbis Gubernatorem, & satellitum Præfectos lauto excepit convivio, quo nondum absoluto, corporis necessitatem obtendens, de cænaculo exivit, ac militarem Equitis vestem indutus, conscenso, quem jam ante arcis fores paratum habebat, equo aufugit, famuloque itineris probe conscio stipatus, in Poloniam contendit: Duæ a fuga horæ effluxerant, cum primum Gubernator, ceterique Ragotsium evasisse comperirent: Insequuntur fugientem satellites; ast incassum omnia, de Ragotsio nil repertum erat,

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Sæc. XVII. A.C. 1701. præter tres epistolas in carcere relictas atque ad Cæsarem, Augustam, & Romanorum Regem scriptas, quibus prætexta Nationis Hungaricæ oppressione fugam suam excusare, & præterita crimina pluribus diluere nitebatur: nihilominus per integros quatuor Menses discussa ejus causa, capitis infami judicio condemnatus est, cunctisque illius bonis ærario addictis, decem, qui vivum, & sex florenorum millium pretium ei, qui mortuum Judicibus sisteret, constitutum est: Ejus vero uxor & Filius Vienna exire prohibiti sunt, ut saltem horum obsidum, pignorumque amore Ragotsius a seditiosis motibus retentus Cæsaris clementiam imploraret. Verum hic in Polonia usque ad tertium hujus sæculi annum delituit, quo Hungari, instigantibus, ut creditum est, Gallis, aperta seditione, sumptisque armis eum vindicare aggrediebantur: interim Lehmanus fugæ complex ac promotor Neostadii detentus, suam perfidiam capitis pœna eluit.

§. CXXIX.

Arelatensis, atque Aquensis Præsulum controversiæ cum Regularibus.

Eodem

Sæc. XVII. A.C. 1701.

Eodem anno, quo Clemens XI. Papa Carolum Thomam de Tournon Antiochenum Patriarcham & Orientalium Missionum Visitatorem Apostolicum potestate Legati a latere pro componendis Missionariorum dissidiis ad Sinense Imperium ablegabat, Atrebatensis Episcopus in Francia cunctis suæ Diæcesis Jesuitis Verbum Dei prædicandi, ac fidelium confessiones excipiendi facultatem ademit, quamdiu æquivocationum & restrictionum mentalium usum rejicere recusaturi essent. Præterea Daniel Aquensis Archiepiscopus cunctos suæ Provinciæ Religiosos molesta lite jam anno priori lacessiverat; quippe omnes Regularium Ecclesias, Sacella & choros Mense Octobri lustrare aggrediebatur: obstabant tamen Regulares, suas exemptiones & privilegia opponentes: inde vero ira motus Archipræsul Regularium Ecclesiis edictum affigi jussit, quo interdictum, ne Divina ibidem fierent: insuper in recusantes Religiosos censuris Ecclesiasticis animadvertit: Hi ergo omnis opis & consilii inopes ad Sedem Apostolicam querelas suas deferunt, supplices, ut ab hac molestia exonerati deinceps libere suis privilegiis, ac exemptionis gratia frui permitterentur: nec eorum precibus deerat Pontifex, qui hoc anno

Gottfrid. Hist. Chron. cont. l. 14. pag. 569. Epistol. Clem. XI.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

die decima quarta Junii Archiepiſcopo præcepit, ut interdictum removeret, ac cenſuras aboleret: hancque in rem ad eum has dedit literas: „Egerunt apud „nos enixis precibus Dilecti Filii Reli„gioſi Superiores infraſcriptorum Or„dinum, videlicet, Servorum B. M. V. „Minorum Conventualium, Eremita„rum S. Auguſtini, Carmelitarum, Mi„nimorum ac Recollectorum iſtius Ci„vitatis, ac ejusdem Suburbiorum, „necnon Prioriſſæ ac Moniales S. Bar„tholomæi Ord. S. Dominici & S. Claræ „Ordinis S. Franciſci, quibus omnibus „Profeſſores Ordinis FF. Prædicatorum „pro eorum jure etiam adhæſerunt, „appellantes, ac reſpective reclaman„tes adverſus ordinariam, Paſtoralem „que viſitationem, quam Fraternitas „tua peragere ſategit Menſe Octobri „proxime præterito tam Eccleſiarum, „Capellarum, Chori, Vaſorum Sacro„rum, quam aliorum in eis exiſtentium, „aſſertis privilegiis atque exemptioni„bus præfatorum Regularium, etiam „Apoſtolicarum Conſtitutionum & Con„ciliorum Generalium auctoritate mu„nitis minime attentis, quatenus man„daremus aboleri cenſuras, ac inter„dictum removeri ob hujusmodi viſi„tationis recuſationem inflictas, ac in „eorum Eccleſiis reſpective appoſitum a

„Fra-

„Fraternitate tua, eaque omnia irrita, Sæc. XVII.
„ac inania esse declararemus. Nos A.C. 1701.
„itaque rei gravitatem expendentes,
„ac merito solliciti, ne occasione hu-
„jusmodi Ecclesiasticarum pœnarum
„ullum Divino cultui ac spirituali istius
„Populi saluti detrimentum inferatur,
„aut alia scandala suboriantur, his om-
„nibus provide occurrendum esse, du-
„ximus: Te tamen prius admonito,
„quam super ea re quicquam definitive
„statuamus. Interim vero præfatas
„censuras, memoratumque interdictum
„per quatuor Menses a die prima pro-
„xime venturi Mensis Julii inchoandos,
„cum reincidentia tamen post illos e-
„lapsos, suspendimus. Quamobrem
„Pastoralis Tui Zeli ac vigilantiæ erit
„non tam censurarum & interdicti infli-
„ctarum, & respective appositi suspensio-
„nem executioni statim demandare,
„quam distincte intra eundem terminum
„Nos de omnibus, quæ ad eandem
„controversiam pertinent, instruere,
„ut rationibus ab utraque parte dedu-
„cendis mature pensatis, illud, quod
„æquitati consonum judicabimus, cum
„Domino decernere valeamus &c.

§. CXXX.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

§. CXXX.

Savi Mellinii Cardinalis obitus.

Vitæ Card. t. 1. p. 13. Mercur. Hist.

Annum hujus sæculi primum Savus Mellinius Cardinalis vitæ suæ postremum habuit. Erat is patria Romanus, nobili ac pervetusto genere natus: Adolescens emenso literarum studio sacræ sese militiæ dicabat, suorumque fautorum ope ab Alexandro VII. & Clemente IX. summis Pontificibus variis honorabatur officiis, quibus summa cum laude perfunctus, sibi viam ad altiora aperuit: primo enim Congregationi de bono regimine aggregatus, postea a Clemente X. Cæsareensis Archiepiscopus in Hispaniam decernebatur, ubi per plures annos Pontificiam legationem obibat, & non modo Papæ, sed & Caroli Regis expectationi plene satisfecit, quamvis Apostolica libertate sese Regio opposuisset edicto, quo immunitati Ecclesiasticæ derogatum, & Principum Legatis consueta subtrahebantur privilegia: Postea ab Innocentio XI. Romana Purpura decoratus, primo Urbevetanum, postea Nepitanum Episcopatum obtinuit, ac demum Romam reversus, in tribus comitiis in summum Pontificem a nonnullis expetebatur: Prævalente

lente tamen adversantium numero, ac præmatura morte omnem spem intercidente laborum præmia nonnisi in cælis præstolari poterat; decessit enim Romæ die decima Februarii annos duntaxat natus quinquaginta sex. Ceterum hic Cardinalis ingenii acie, eloquentia, magnanimitate, raroque cunctis inserviendi studio eminuit, notatur tamen, quod ferme ad prodigalitatem liberalis ac magnificus ære alieno plurimum se obligarit, hunc tamen nævum moderata ac composita vivendi ratione postea emendavit. Sæc. XVII. A. C. 1701.

§. CXXXI.

Petri Matthæi Petrucii Cardinalis decessus.

Obiit hoc quoque anno Petrus Matthæus Petrucius Cardinalis in oppido Æsii natus. Hic a nobilibus suis Parentibus ingenue educatus eos in virtutis ac literarum palestra in Maceratensi Universitate progressus fecit, ut in utriusque juris facultate Doctoris honore auctus omnibus morum probitate atque eruditione admirationi esset: Paulopost liberioris vitæ aura infectus, nomini suo haud exiguam labem inferebat, iterato autem a Cardinale Alderano Cibo Episcopo suo acri- *Arnald. Hist. Theol. Myst. p. 348. Briet. Cont. Annal' pag. 107.*

Sæc. XVII. A. C. 1701. acriter reprehenſus, brevi priſtinam virtutum ſemitam repetiit, & Clericale inſtitutum amplexatus, ſacris commentationibus, atque auſterioris vitæ exercitiis totum ſeſe impendit. Anno ætatis ſuæ vigeſimo quinto ſeſe Oratorii Patribus adjunxit, ac Sacerdotio initiatus, in prædicando Dei Verbo, & confeſſionibus fidelium excipiendis aſſiduus erat, nec unquam a ſacra hac exercitatione quicquam remiſit, etſi in ſupremum Congregationis Præpoſitum evectus fuiſſet. Nonniſi invitus, ac importunis aliorum precibus expugnatus acceptavit Æſienſem Epiſcopatum, quem ei Cardinalis Cibo ceſſit, ac Innocentius XI. contulit: Hujus dignitatis incrementum ad augenda pietatis opera Petrucium incitabat, cunctos igitur ſuæ Eccleſiæ proventus in pauperes diſtribuit, Clerum ſuum ad ſeverioris diſciplinæ regulas revocavit, & populum exemplo & ſermone ad meliorem frugem reduxit: tot meritorum fama excitatus Pontifex, Petrucium Cardinalium Collegio adſcripſit; quin tamen ejus æmuli a vexando Petrucio tanti honoris ſplendore abſterrerentur; cum enim eo tempore incauti Myſtagogi multa de interna animæ quiete ſub orationis ſublimioris obtentu jactarent, ac Petrucius

trucius Molinosii libros sedulo pervol- Sæc. XVII.
veret, palam *Quietista* habitus veluti A.C. 1701.
Molinosii Timotheus traducebatur:
Acuebatur convitiantium audacia,
dum Petruccius varios Theologiæ con-
templativæ tractatus, atque asceticas
epistolas vulgaverat: quocirca secreto,
ut Purpuræ jam obtentæ parceretur,
coram Inquisitionis Tribunali compa-
rere jussus est, ejusque scripta rigido
examini subjecta, quorum octo demum
die quinta Februarii anno præteriti sæ-
culi octogesimo octavo Sacræ Inquisi-
tionis decreto confixa fuere, ne peri-
culosæ devotionis prætextu rudibus
offensioni essent. Petrucius vero ite-
rato ad idem Tribunal vocatur: suam
vero orthodoxiam tam validis vindica-
bat rationibus, ut, quoniam ipsemet li-
bros suos damnasset, eosque flammis
addici petiisset, ab omni noxa absolu-
tus ad Episcopatum suum redire per-
missus esset. Postquam vero rubrum
Gallerum a Papa obtenturus, Romam
venerat, rursus Quietismi insimulatus,
vanis dogmatibus suis renuntiare,
ac Romæ sub Curiæ inspectione
tamdiu vivere cogebatur, donec ab
Innocentio XII. Anno Christi millesimo
sexcentesimo nonagesimo quarto ad Epi-
scopatum suum reverti permissus esset,
quo etiam contendens, ac biennio post
dimissa

Sæc. XVII. A. C. 1701.

dimissa hac Ecclesia, sibi soli vacaturus, Monte-Falconem secessit, ubi etiam die quinta Julii in Domino obdormivit anno ætatis suæ sexagesimo quinto.

§. CXXXII.

Principum atque illustrium fata.

Briet. Annal. cont. pag. 1004. Hode Hist. de Louis XIV. l. 54. pag. 332. Rapin Thoiras t. II. pag. 427.

Primordia hujus anni vitæ suæ postrema habuit Romæ Honoratus Grimaldus Moncæi Princeps, ac Franciæ Regis apud Pontificem Orator, qui post brevem aliquot dierum ægritudinem die secunda Januarii obiit: Mortis caussam referunt ad immodicam animi anxietatem & fastidium, cum enim Marchio Vaini non ita pridem ab Innocentio XII. Principis dignitate, & a Ludovico Galliarum Rege Equestris Ordinis Torque donatus, milites militari tympano ad consuetas vigilias vocatos per vicum suo Palatio contiguum pertransire primo minis postea vi prohiberet, ab armatis militibus tanquam supremæ ac publicæ potestati rebellis ad carcerem raptabatur: Hujus recens cocti Principis caussam ac patrocinium Franciæ Regis nomine in se suscepit Moncæjus Orator: Ast Ludovicus Rex Cardinalium tum in Conclavi congregatorum querelis deferens, Oratoris sui

sui protectionem sibi minus probari re- Sæc. XVII.
scripsit: inde vero Moncæjus tanto a- A. C. 1701.
nimi mærore afficiebatur, ut fastidio consumptus intra paucos dies decede-
ret. Die autem nona Junii Philippus Aurelianensis Dux unicus Ludovici XIV. Regis Frater in Pago S. Clodulphi pro-
pe Parisios post diuturnam infirmita-
tem Parisiis obiit annos natus sexa-
ginta & unum. Princeps erat placi-
dis omnino moribus, atque ab Anna
Austriaca Matre sua submissionem erga
Fratrem suum edoctus, ad nova mo-
lienda adduci non potuit, etsi ob de-
negatam Occidaniæ administrationem
vehementer offensus esset: Reclamabat
tamen adversus suppositum Caroli II.
Hispaniæ Regis testamentum, jura
sanguinis obtendens, quo ab Anna
Regina Ludovici XIII. Conjuge ortum
duxerat, hisque successionem niti,
non ultima defuncti Possessoris volun-
tate asserebat. Ibidem quoque die de-
cima sexta Septembris in Pago S. Ger-
mani in Laya Jacobus II. Angliæ Rex
anno ætatis suæ sexagesimo octavo de-
cessit: Morti proximus præprimis Ja-
cobo Walliæ Principi Filio suo impense
commendabat, ne se ulla spe, regni e-
tiam oblati, a vera & Catholica reli-
gione abduci pateretur: veniam quo-
que ac plenæ reconciliationis signa de-

Sæc. XVII. A. C. 1701.

dit Auriaco Principi Genero suo, Batavis, ceterisque, qui ejus exauctorationis vel Auctores, vel complices erant. Vitam duxerat Jacobus plerumque adversantis fortunæ calamitatibus exercitam, Puritanis præcipue exosus, eoquod Catholicam fidem, quam publice regnante adhuc Fratre suo, profitebatur, in Angliam revocare conatus esset, eapropter patrias leges ac privilegia violasse insimulatus, per summam perfidiam Regno ac solio detrusus, in Franciam unacum uxore & filio pro fide exul profugere compulsus est, ubi inter varios recuperandi Regni conatus consenescens ad cæleste Regnum, atque immortalis coronæ præmium, uti propter consummatam ejus pietatem credere fas est, transferebatur: Corpus suum in Ecclesia Parisiensis Monasterii Benedictinorum patria Anglorum tumulari præcepit, adjecto simplici hoc epitaphio: *Hic jacet Jacobus II. Britanniæ Majoris Rex*: Post illius mortem Jacobus III. Walliæ Princeps Angliæ Rex nominari voluit, talemque non modo Franciæ Rex fremente Anglia declaravit, sed etiam Anglorum nonnulli per Urbem equitantes eundem publico præconio Regem salutarunt, qui tamen ab emissis Reginæ copiis non modo fugati, sed & verberibus ac car-

carcere mulctati sunt. Præterea Viennæ die tertia Augusti novem Mensium Princeps Archidux Josephus Leopoldus Josephi I. Filius unica Augustissimæ Domus spes in ferale tumulum decidit, non sine ingenti totius Aulæ Cæsareæ luctu, quem tamen nonnihil temperabat Maria Amalia die vigesimo secundo Octobris Romanorum Regi nata: Insuper mortuus est, Ernestus Comes de Trautson Viennensis Episcopus, & die decima nona Martii Carolus Josephus unicus Ludovici Badensis Marchionis Filius, die decima octava Aprilis Henricus Nassoviæ Princeps, & vigesima secunda ejusdem Mensis Adolphus Joannes II. Bipontinus Dux, die septima Junii Ferdinandns Guilielmus, & secunda Octobris Fridericus Wirtembergico-Neostadiani Duces decessere: Denique hoc anno ultimus Comitum Tecklenburgicorum, necnon Lubomirskius Princeps Magnus Poloniæ Maresçallus morte extincti sunt.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Vid. supra pag. 582.

§. CXXXIII.

Diversa Clementis XI. Decreta.

Præter Bullam, qua Clemens XI. Papa die vigesima quinta Februarii pro impetrando salutari sanctæ Ecclesiæ Catholicæ regimine jubilæum universale

Bull. magn. Const. Clem. XI. p. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

versale indixit, insuper Bullam Cænæ innovavit, variaque privilegia nonnullis familiaribus suis pro more concessit. Exstat quoque ejus Constitutio, qua belli flammis Italiæ impendentibus, indulgentias plenarias Christi fidelibus Italiæ & Insularum adjacentium die vigesima nona Julii indulsit, si imploraverint Dei opem pro pace inter Principes Christianos obtinenda. Præterea immunitatis privilegium in exterorum Legatorum Palatiis penitus abrogavit: Die autem decima sexta Aprilis annuit Pontifex, ut possit Officium S. Petri de Alcantara pro universali Ecclesia celebrari sub ritu duplici de præcepto: denique die decima quarta Novembris Beneventanis Canonicis perpetuo concessit usum Mitræ tam in quibusvis functionibus Ecclesiasticis, quam in eorum insigniis: confirmavit etiam decretum, quo conceditur, ut Officium cum Missa de B. Augustino Dalmata Episcopo Zagabrienſi & Lucarino in hisce Diæcesibus & toto Ordine FF. Præd. celebretur.

§. CXXXIV.

Diversæ Sacrarum Congregationum decisiones.

Inter

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Inter plures Sacrarum Congregationum Conſtitutiones ſeligimus ſequentes, & quidem a Sacra Rituum Congregatione die vigeſima ſecunda Januarii ad dubia per Patrem Juvenalem Viſitatorem Generalem Congregationis Camaldulenſium Montis Coronæ reſponſum, quod in Quadrageſimæ, Adventus, & Vigiliarum temporibus occurrente aliquo feſto duplici vel ſemiduplici non liceat poſt Primam celebrare Miſſam feriarum prædictarum, ſed ſervandæ ſint Rubricæ, nec in die Commemorationis fidelium poſſit celebrari Miſſa ſolemnis de *Requiem* poſt Primam, nec Matutinum defunctorum valeat recitari poſt Completorium in Choro in die SS. omnium, minus vero publica benedictio Cinerum fieri poſſit poſt tertiam: nec liceat non habentibus uſum Pluvialis in die, & infra Octavam Corporis Chriſti peragere proceſſionem cum SS. Sacramento: Sacerdotes vero in Miſſa congruentius utantur cingulo lineo, quam ſerico, quando autem exponuntur S. Reliquiæ, ultra lampadem, debeant continuo in Altari ardere duo ſaltem lumina: omittatur vero thurificatio in Miſſa Conventuali Dierum ſolemnium, quæ absque cantu & Miniſtris celebratur. Die decima octava Junii Sacra Concilii Congrega-

Deciſ. SS. Congreg. Rit. Offic. Irquiſ. &c.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

tio decidit, quod Episcopus possit censuras infligere renuentibus in visitatione exhibere libros, legata, fundationes &c. respondit quoque S. Rituum Congregatio die decima Septembris, quod si Ecclesia Cathedralis non habeat usum Cappæ & Rocchetti, idem usus non debeat concedi Ecclesiæ Collegiatæ, quia incongruum est, quod Collegiata nobiliori habitu suam Cathedralem antecellat: declaravit quoque eadem Congregatio die prima Octobris, quod Episcopus accedens ad Ecclesiam Regularem, accepto aspersorio e manibus Abbatis valeat non modo populum, sed & Abbatem, ejusque Canonicos benedicere, dummodo incedat in habitu Prælatitio.

§. CXXXV.

Scriptorum religione Catholicorum decessus, eorumque scripta.

Niceron de Vir. erud. tom. 21. p. 241.

EX Scriptoribus Catholicis hoc anno denatis celebriores sunt. I. Urbanus Chevreau qui scripsit considerationes fortuitas, Scholam sapientis, seu characterem virtutum & vitiorum, imaginem fortunæ, Historiam mundi, cujus tertia editio Anno 1717. facta est locupletior, magisque correcta, miscellanea,

lanea, Chevræana & plurimas epiſtolas. II. Ulricus Obrecht, qui evomito Lutheri veneno religionem Catholicam amplexatus edidit tractatus de vexillo Imperiali, & de reſervato Eccleſiaſtico, Sacra Termini, diſſertationes de ratione belli, ſponſore pacis, cenſu Auguſti, abdicatione Caroli V. Imperatoris, de Clenodiis S. Rom. Imperii, de legione fulminatrice Marci Antonini Imp. &c. Alſaticarum rerum Prodromum, Severinum de Monzambana illuſtratum, Apparatum Juris publici & Hiſtoriæ Germanicæ præter alia quamplurima valde utilia. III. Joannes Bourſanes ſcripſit multa oppido curioſa, inter quæ celebratur ejusdem Æſopus Aulicus, & ſtudia Principum. IV. Gottfrid de Buckiſch, qui a Lutheri ſecta ad Catholicorum caſtra tranſiens, ſcripſit prologomena ad Sileſiticæ Eccleſiæ Hiſtoriam, Sileſitica Religionis acta nondum tamen typis edita, Hiſtoriam Genealogicam Palatino - Neoburgico - Bavaricam, & diſſertationem de Regis Romanorum electione & coronatione. V. Natalis Antonius Jeſuita elucubravit gloriam Sacerdotii, ſeptem fontes Salvatoris, gladium doloris Reginæ Martyrum, Lilium inter ſpinas, atrium domus æternitatis, amores Euchariſticos, tractatum

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Sæc. XVII. A. C. 1701

ſtatum de cæleſti converſatione in terris a Religioſo Viro inſtituenda, præter alia quamplurima opuſcula aſcetica, quibus pro more illius ævi Symbolicos præfixit titulos, ex quorum tamen hædera an vinum vel acetum vendatur, ſæpe dignoſci haud poteſt. VI. Joannes ab Annuntiatione Carmelitarum Excalceatorum Præpoſitus Generalis ſcripſit præter Curſum Philoſophicum etiam Theologicum ſeu tractatus de gratia habituali & actuali, de juſtificatione & merito, de fide, ſpe, Charitate, & de Statu Religioſo, de Incarnatione, de Sacramentis in communi, de Euchariſtia & Pœnitentia, necnon Epiſtolas duas Paſtorales oppido eruditas, monita ad Religioſos, & promptuarium Carmelitanum, præter apologiam noctis Palafoxianæ.

§. CXXXVI.

Quidam Scriptores Acatholici hoc anno defuncti, eorum lucubrationes.

Niceron t. 8. pag. 317.

Nec hoc anno mors Acatholicorum literatis pepercit, quorum præcipui ſunt. I. Henricus Basnage, qui tolerantiam religionum, Hiſtoriam operum literatorum, examen doctrinæ Juriæi, epiſtolam Franciæ fidelium ad Ju-

Sæc. XVII. A.C. 1701.

Juriæum circa vigesimam secundam ejus Pastoralem epistolam, considerationes in duos sermones Juriæi circa amorem proximi, an odio habendus sit? Juriæum, calumniæ & impostoræ convictum scripsit, præter alia. II. Gregorius Letti patria Bonnonienfis, perfidus Apostata edidit Theatrum Gallicum, Belgicum & Anglicum, propter quem tamen laborem exilio a Parlamento Anglico mulctatus est. Edidit quoque Nepotismum Romanum, Theatrum Sedis Apostolicæ, Datariæ & Cancellariæ, Zelotypiam Principum Europæorum, Stateram Politicam, in qua omnes Romanæ Regulæ & Cardinalium actiones ponderantur, vitam Sixti V. ubi tamen probe observandum, quod Lettius a Regia Delphini Conjuge interrogatus, an omnia in hoc libro relata, essent vera, responderit, eleganter concinnatam fabulam ipsa veritate esse magis jucundam: inde satis elucet, quo pretio vitæ Caroli V. Cæsaris, Philippi II. Hispaniæ Regis, Elisabethæ Anglorum Reginæ, Oliverii Cromvelli, Pietri Gironii Ossunæ Ducis, Donnæ Olympiæ, Ducis Valentini, aliorumque operum ab infami hoc Auctore descriptæ sint habendæ: Variis etiam typis excudi fecit Syndicatum Alexandri VII. Amores Caroli

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Gonzagæ, Romam plangentem, & languentem post obitum Clementis X. stragem innocentium Calviniſtarum, Cardinalismum S. Eccleſiæ, & alia quamplurima, in quibus nil niſi impudentiſſimi ac maledici calami monſtra, convitia ſæpiſſime repetita, mendacia, & calumniæ reperiuntur, orco digniſſimæ. III. Joannes Breverus evulgavit metamorphoſin Nebucadnezaris, judicium Solonis de Viro beato, adumbrationem Theologiæ dogmaticæ & moralis, catechismum, catenam Theologicam, duas decades axiomatum moralium, & orationes. IV. Fridericus Spanheimius prælo ſubjecit Hiſtoriam Jobi, exercitationes de Authore Epiſt. ad Hebræos, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Chronologiam & Geographiam Sacram, orationem de prudentia Theologi, Diſſertationes de duodecim Apoſtolis, de converſionis Paulinæ epocha, de ficta profectione Petri in urbem Romam, de ſenſu Canonis VI. Concilii Nicæni I. de Eccleſiæ Græcæ a Romana diſſenſione, de ficta collatione Imperii in Carolum Magnum per Leonem III. Papam, de Papa fœmina, de ritu impoſitionis manuum, de ritibus Sacramentalibus in Eccleſia veteri, de noviſſimis circa res Sacras in Belgio diſſidiis, de Eccleſiarum Politia

litia & Anglicano Episcopatu, de Scripturarum origine, de personarum acceptione in Divinis, de oratione Dei hominem indurantis præter alia quamplurima. V. Christianus Bræmer scripsit Christianum Operarium, brevitatem vitæ humanæ, & cogitationes circa Historiam transfigurationis Christi. VI. Ahasverus Fritschius edidit tractatum de monopoliis, de comitiis Imperii, consultationes juris, de nundinarum jure, suspiria animæ, biblica colloquia, exercitia pia circa Historiam Passionis & resurrectionis Christi præter Evangelicas amoris flammas. VII. Matthias Fridericus Reckius posteris reliquit Paraphrasin Chaldaicam, bina capitula Alcorani cum notis, Martyrologium Ecclesiæ Germanicæ cum commentario, monumenta antiqua Judaica Augustæ Vindelicorum reperta, Ephemerides Persarum illustratas, & alia nonnulla. VIII. Fridericus Calixtus, qui non modo *consensum repetitum Wittenbergensem* acriter impugnavit, sed insuper tractatum de diversis religionibus, de Chiliasmo, de Spirituum discretione, de immortalitate animæ & resurrectione, de primitivæ Ecclesiæ auctoritate, de igne purgatorio, de hæresi &

Sæc. XVII. A. C. 1701.

Sæc. XVII. A. C. 1701.

& ſchismate, de creatione, de vario hominis ſtatu, Hiſtoriam immaculatæ Conceptionis B. V. M. epicriſin ad viam pacis, ſummam capitum Religionis Chriſtianæ, & quamplurima alia typis vulgavit. IX. Albrechtus Rotth ſcripſit prototypon Pietiſticæ ſectæ unacum ejus apologia, judicium de Pietiſtis eorumque collegiis, relationem de vaticiniis Weigelii, vindicem Trinitatis orthodoxæ, de ambitu humani meriti & de Trinitate Platonica, & plura alia.

BENE-

BENEVOLE LECTOR!

Sequens §. cum in ſeparato folio deſcriptus eſſet, ex Typographi incuria omiſſus eſt, cum autem ad Mechlinienſis controverſiæ, ejusque exitus cognitionem multum conferre videatur, eum ad calcem hujus Tomi ſubjungendum duximus.

§. LXII.

Epiſtola Mechlinienſis Archiepiſcopi ad ſuos Diœceſanos.

(ad Pag. 187.)

Quamprimum Mechlinienſis Archipræſul Innocentii Breve receperat, mox illud promulgavit, cunctisque illius obſervantiam ſuo exemplo, datisque hiſce literis inculcavit. „Innocentius XII. Pon„tifex Maximus pro paſtorali ſua ſollicitu„dine Eccleſiarum Belgicarum neceſſitati„bus proſpiciens, ad removendas dubita„tiones omnes & Cavillationes circa con„demnationem quinque famoſarum propo„ſitionum & præſcriptam adverſus eas „formulam Juramenti, omnes, ad quos „pertinet, certiores reddere dignatus eſt „Apo-

„Apoſtolico Brevi ad nos dato die ſexta „Februarii ultimo elapſi, *ſe firmiter inhærere conſtitutionibus Prædeceſſorum ſuorum Innocentii X. & Alexandri VII. in quibus quinque Propoſitiones ex libro Cornelii Janſenii*, cui titulus eſt, *Auguſtinus excerptæ & damnatæ unacum Formulario Juramenti in earumdem condemnationem præſtandi continentur, easque Conſtitutiones in ſuo robore fuiſſe, & eſſe declarat.* Ne vero altercatio „deinceps ſit de ſenſu, quo in memorato „libro propoſitiones prænominatæ depre„henduntur, addit, *eas eſſe ex libro Janſenii excerptas in ſenſu obvio.* Declarat præ„terea, nos *per conſtitutionem Aqoſtolicam munitos eſſe facultate, Formularii ſubſcriptionem, ſeu Juramentum ad praxim reducendi, in quo Zelum & charitatem nobis commendat.* „Quapropter voluimus primi omnium juxta „eandem formulam jurare, eique manu „propria ſubſcribere, uti reipſa juravimus „& ſubſcripſimus, exemplum noſtrum mox „ſequente Vicario noſtro Generali, ut cæ„teris inferioribus Presbyteris murmura„tionum anſa præſcindatur. Neque enim „eſt, cur in re tam honeſta & Sedis Apo„ſtolicæ judicio comprobata oves pudeat „ſequi exemplum Paſtoris, aut Presby„teros exemplum Epiſcopi. Præſtandum „autem eſt Juramentum juxta Formulam „ab Alexandro VII. præſcriptam, quæ „hic

„hic ſubjicitur (*) cuique nihil ſive inter-
„ne addi poteſt, aut demi quocumque
„prætextu, ſed omnes, *qui ad Juramen-
tum adigendi ſunt illud præſtare debent ſincere,
absque ulla diſtinctione, reſtrictione, ſeu expo-
ſitione, neque, alio ſenſu, quam obvio, quem
ipſius Formularii verba per ſe exhibent.* Si
„quis aliter jurare præſumpſerit, hominibus
„forte illudere poterit, ſed non Deo, qui
„ſcrutatur corda, & horrendum perjurii
„crimen non patietur impunitum: Datum
„Bruxellis die . . . . Junii 1694.

(*) *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innoc. X. datæ die* 31. *Maij* 1653. *Conſtitutioni Alexandri VII. datæ* 16. *Octobr.* 1656. *ſummorum Pontificum me ſubjicio, & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen: Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo re-
jicio, ac damno, & ita juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

NOTAN-

NOTANDUM.

Ad pleniorem Fenelonianæ cauſſæ cognitionem fors haud ingratum erit, ſequentes etiam epiſtolas ad manus habere.

Cameracenſis Archiepiſcopi literæ ad Innocentium XII. Papam.

(ad Pag. 499.)

Sanctiſſime Pater!

Quem de ſententiis Sanctorum & vita aſcetica librum nuperrime ſcripſi, „quam primum ad Beatitudinem veſtram „ſumma cum animi demiſſione & reveren„tia mittere decreveram. Hoc ſane debe„tur obſequium ſupremæ, qua omnibus „Eccleſiis præes, auctoritati, is ſigniſi„candus gratus animus pro illa, qua me „cumulaſti munificentia. Verum quid in „re tam gravi, & quæ mentes adeo exa„gitat, omittam; neve aliqua diverſiſſimo „linquarum ingenio æquivocatio ſubrepat „totum contextum ſumma cum diligentia „latine vertendum duxi. Huic operi to„tus incumbo, ac mora brevi ad pedes „Beatitudinis veſtræ opuſculum manu „ſcriptum deferendum mittam. Utinam

„Bea-

„Beatiſſime Pater, utinam ego ipſe mu-
„nuſculum humillimo, ac devotiſſimo pe-
„ctore offerens Apoſtolica benedictione do-
„nandus accederem. Sed heu! moleſtiſ-
„ſima Diæceſis Cameracenſis, hiſce luctoſis
„belli temporibus negotia, & a Rege mihi
„credita Puerorum Regiorum inſtitutio,
„tantum ſolatium me ſperare vetant. Quod
„autem ad ſcribendum de vita aſcetica &
„contemplativa animum impulit, hoc fuit
„imprimis, Sanctiſſime Pater, quod San-
„ctorum ſententias a ſancta ſede toties
„comprobatas, ab aliis in flagitioſiſſimos
„errores ſenſim retorqueri, ab aliis ſcili-
„cet imperitis ludibrio verti, jam dudum
„ſenſerim. Quietiſtarum dogma nefandum
„ac perfectionis ſpeciem præſeferens, in
„varias Galliarum partes, necnon & in
„Belgium noſtrum, uti cancer clam ſer-
„pebat: varia ſcripta alia minus emendata,
„alia errori proxima, paſſim lectitabant
„homines prurientes auribus, ab aliquot
„ſæculis multi miſtici ſcriptores Myſterium
„fidei in conſcientia pura habentes, affe-
„ctivæ puritatis exceſſu, verborum incuria,
„Theologicorum dogmatum veniali inſci-
„tia, errori adhuc latenti imprudentes fo-
„verant. Hinc acerrimus clariſſimorum
„Epiſcoporum Zelus excanduit. Hinc
„triginta & quatuor articuli, in quibus e-
„dendis egregii præſules me ſibi adjungi
„non dedignati ſunt. Hinc etiam illorum

„censuræ in libellos (*) quorum, loca „quædam in sensu obvio, & naturali me„rito damnantur.„

„At certe ita est hominum ingenium, „Sanctissime Pater, ut dum vitium alte„rum refugiunt, in alterum oppositum in„currant, præter exspectationem nostram „quidam hanc occasionem arripuerunt a„morem *purum & contemplativum*, quasi „deliræ mentis ineptias deridendi. Me„dium iter aperiendum, a falso verum, a „novo antiquum, a periculoso tutum se„cernendum esse ratus, id pro modulo „tentavi: quod utrum præstiterim nunc, „tuum est, Sanctissime Pater, judicare, „meum vero in te Petrum, cujus fides „nunquam deficiet, viventem & loquen„tem audire ac revereri.„

„Hoc in opusculo brevitati maxime „studui, suadentibus peritissimis viris, qui „& illusioni grassanti, & derisioni profano„rum hominum remedium præsens, & „facile adhiberi voluerunt. Ergo consu„lendum fuit, sanctissime Pater, candidis „animabus, quæ simplices in bono, nec „adversus malum satis cautæ, deterri„mum monstrum floribus subrepens non„dum senserunt. Consulendum & criti„corum fastidio, qui traditiones asceticas „& aureas sanctorum sententias ab hac vi„rulenta

(*) *Via brevis & planissima. Int. Cant.*

„rulenta perditissimorum hominum hy-
„pocrisi secernere volunt. Unde libellum
„uti vocabularium mysticæ Theologiæ piis
„animabus, ne fines a patribus positos ex-
„cederent, dandum esse arbitrati sunt. Qua-
„propter, Sanctissime Pater! quam brevis-
„simas potui definitiones verborum, quo-
„rum usus apud Sanctos invaluit, presso
„stylo concluси, ac veluti censuræ pondere
„impudentissimam hæresin proterere cona-
„tus sum. Nec enim, ut mihi visum est,
„Episcopum decuisset, tot nefarios errores
„in lucem prodere, nisi continuo, acce-
„deret indignatio pudica & Zelus Domus
„Dei. Absit tamen, Sanctissime Pater,
„ut tenuitatis meæ oblitus, id arroganter
„fecerim, verum supremæ Sedis auctori-
„tas, quod mihi deerat, abunde supple-
„vit, veras de ascetica disciplina, & de
„amore contemplativo, sententias summi
„Pontifices in perpendendis singulis scri-
„ptis auctorum, qui sanctorum catalogo
„adscripti sunt, sexcenties comprobave-
„runt.

„Igitur huic immotæ regulæ adhærens
„inoffenso pede veros articulos condi posse
„speravi. Alia ex parte falsos quasi ma-
„nuductus damnavi: per omnia enim in-
„hæsi decretis solemnibus, ubi sexaginta
„& octo propositiones Michaelis de Moli-
„nos a sancta sede damnatæ sunt: Sancto
„oracuło fretus, vocem attolere non du-

 „bitavi.

„bitavi. *Primo*, actum permanentem & „nunquam iterandum ut inertiæ & socor- „diæ interioris lethale veternum confutavi. „*Secundo* distinctionem & exercitium ne- „ceſſarium ſingularum virtutum ſtatui. „*Tertio*, contemplationem jugem ac „omnino perennem ut repugnantem ſtatui „viatorum, quippe quæ peccata venialia, „varia virtutum officia, mentis denique „in voluntarias evagationes excluderet, „abſolute negavi. *Quarto*, orationem paſ- „ſivam, quæ liberi arbitrii cooperationem „realem in actibus meritoriis eliciendis „excludat, rejeci. *Quinto*, nullam aliam „quietem, cum in oratione, tum in cæ- „teris vitæ interioris exercitiis admiſi, præ- „ter hanc Spiritus ſancti pacem, qua ani- „mæ puriores actus internos ita uniformes „aliquando eliciunt, ut hi actus jam non „actus diſtincti, ſed mera quies, & per- „manens cum Deo unitas indoctis videan- „tur. *Sexto*, ne amoris puri doctrina, „tot patribus Eccleſiæ, totque ſanctis com- „probata, Quietiſtarum erroribus patroci- „nari videretur, in eo maxime operam im- „pendi, ut quivis perfectus, quovis amore „gratuito incenſus, ſpem, qua ſalvi ſu- „mus facti, ſuo pectore foveat, ſecundum „quod ait Apoſtolus: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, Major autem horum eſt charitas.* Ergo ſemper ſperanda, „cupienda, petenda noſtra ſalus etiam qua-

„tenus

„tenus noſtra, quandoquidem eam vult „Deus & ad ſui honorem vult, ut eam „ipſi velimus, ita ſpes proprio in officio „perſeverat non tantum habitu infuſo, ſed „etiam actibus propriis, qui a charitate „imperati, & nobilitati, ut ait ſchola, ad „ipſius charitatis excelſiorem finem, nem„pe puram Dei gloriam ſimpliciſſime reſe„runtur. *Septimo*, aſſerui hunc ſtatum „puræ charitatis reperiri in pauciſſimis „perfectis, & eſſe *tantummodo habitualem*. „Qui habitualem dicit, abſit ut dicat *in*„*amiſſibilem* aut *expertem cujuscunque varia*„*tionis*. Si quotidianis peccatis vacet ſta„tus ille, quanto magis admittit actus inter„dum elicitos, qui quidem boni ac meri„torii ſunt, etiamſi paulo minus puri & „gratuiti; ſufficit ergo, ut plerumque in „eo ſtatu actus virtutum charitate impe„rante & informante exerceantur. Hacte„nus omnia, triginta & quatuor articulis „Epiſcoporum conſona. Opuſculo a me „in lucem edito adjungam, Sanctiſſime „Pater, antiquorum Patrum, ac recen„tiorum ſanctorum de amore puro & con„templativo ſententiarum manuſcriptam „collectionem. Ita quod priori in opuſculo „ſimplici expoſitione declaravi, poſteriori „in opuſculo omnium ſæculorum teſtimo„nia ratum facient, utrumque opus, Bea„tiſſime Pater, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ „cæterarum Matris & Magiſtræ judicio

„ſubmitto totis præcordiis, mea meque „ipſum, uti filium obſequentiſſimum Bea„titudini Veſtræ devoveo. Quodſi libel„lus Galllice ſcriptus ad Beatitudinem ve„ſtra jam pervenerit, hoc unum impen„ſiſſime oro, Sanctiſſime Pater, ne quid „ſtatuas, ante perlectam quam brevi miſ„ſurus ſum, latinam verſionem.„

„Quid ſupereſt, niſi ut diuturnam in„columitatem exoptem ei, qui incorrupto „animo Chriſti Regnum procurat, & cum „tanto Catholici orbis applauſu claris pro„pinquis, ait, *ignoro vos.* His quotidia„nis votis Eccleſiæ decus ac ſolatium, „diſciplinæ inſtaurationem, propagationem „fidei, errorum & ſchismatum exſtirpa„tionem, amplam denique ſummo Patri„familias meſſem exopto; æternum ero.

Sanctiſſime Pater!

Beatitudinis Veſtræ,
Humillimus, obſequentiſſimus,
& devotiſſimus Filius &
Servus.

Franciſcus Archiepiſcopus.
Dux Cameracenſis.

Haſce literas Pontifex ſat benigne accepit, nullaque erroris utpote Archiepiſcopi ſcripto nondum examinato facta mentione, hæc ad eum reſcripſit.

„Per-

„Pergratæ nobis acciderunt Fraterni-
„tatis tuæ literæ quarto Kalendas Maij
„datæ. In iis enim eximiam, quam erga
„Sanctam hanc Sedem profiteris, obser-
„vantiam aperte cognovimus, inque præ-
„clara opinione, quam de Zelo, quo fla-
„gras, in adimplendis muneris tui parti-
„bus gerebamus, confirmati sumus: me-
„rito confidentes fore, ut Doctrinam, qua
„præstas, Divinæ gloriæ ad incrementum
„animarumque profectum omni conten-
„tione ac studio impendas &c.„

Epistola Ludovici Galliarum Regis ad Papam.

„Liber, quem Archiepiscopus Camera-
„censis composuit, postquam magnum mo-
„tum in Ecclesia Regni mei fecit, Ego
„ipsum per Episcopos, magnumque nu-
„merum Doctorum, & prudentum Reli-
„giosorum diversi Ordinis examinari jussi.
„Omnes unanimiter tam Episcopi, quam
„Doctores retulerunt, quod iste liber ad-
„modum pernicioſus sit, & quod ipsa ex-
„plicatio, quam dedit præfatus Archipræ-
„sul, sustineri non possit. Declaravit qui-
„dem in præfatione libri sui, quod saltem
„explicare velit doctrinam Confratrum suo-
„rum. Verum post vias mitiores, quas
„Episcopi sine effectu tentarunt, existima-

„bant, se obstrictos esse in conscientia, ut „declarationem faciant de eo libro, eum„que tradant manibus Episcopi Damasceni „Nuntii vestræ Sanctitatis apud me: & ita „terminetur controversia a S. V. quæ fa„cile posset pessimam sequelam post se ha„bere. Rogo itaque humillime, ut deci„dat & pronuntiet, quamprimum possibile, „de libro isto, ejusque doctrina, promit„tendo viciſſim. quod omnem meam au„thoritatem interpositurus sim, ut decisio „V. S. ad effectum & executionem per„veniat &c.„

Declaratio autem, cujus mentionem fecit Ludovicus Rex, erat a Noallio Archiepiscopo Parisiensi, Bossuetio Meldensi, & Paulo de Godet des Marais Carnotensi Episcopis concepta, qua Feneloni doctrinam articulis, quos contra Guioniam notarunt, adversari demonstrarunt: Erat autem tenoris sequentis:

„Jam dudum in testimonium vocatos „respondere tandem nos oportet: Illustris„simus, & Reverendissimus DD. Archiepi„scopus Dux Cameracensis ab ipso libri „initio, cui titulus: *Explicatio Sententiarum Sanctorum* &c. & in ipsa præfatione seu „commonitione prævia duos (*) ex nobis „commemoravit, quorum doctrinam ac „decreta XXXIV. Articulis comprehensa „tantum copiosius exponenda susceperit. „Ter-

(*) Scilicet Parisis: & Meldensem.

„Tertius vero etiam Conſtitutione publica „eandem cum illis ſententiam promulga- „vit. Idem Illuſtriſſimus ac Reverendiſ- „ſimus Archiepiſcopus datis ad SS. D. N. D. „Innocentium Papam XII. literis, iisdem „articulis, atque Epiſcoporum adverſus „quosdam libellos cenſuris nititur: tres „autem tantum ſumus, qui eosdem li- „bellos, eorumve loca quædam cenſura „notandos duxerimus. Neque tamen *loca quædam*, ut idem Auctor aſſerit, ſed plera- „que omnia, ac totos libellos, ipſumque „adeo eorumdem librorum ſpiritum eliſum „voluimus. Neque ut in eadem Epiſtola „ſcribitur, adverſus myſticos aliquot ante „actis ſæculis, Theologicorum dogmatum „veniali inſcitia laborantes *noſter Zelus ex- „canduit*, ſed adverſus notiſſimos noſtræ „ætatis Quietiſtas graviſſime lapſos cen- „ſuræ noſtræ articulique directi ſunt. Ne- „que confugimus *ad obvium naturalemque „ſenſum*, tanquam occultior ſenſus ſubeſſet, „qui tolerari forſitan poſſet; ſed venenum „libellorum in aperto eſſe duximus. Latet „etiam vos, ex articulis cenſurisve noſtris „aliquos arripuiſſe occaſionem, *amorem pu- rum, & contemplationem quaſi deliræ mentis ineptias deridendi:* ut eſt in Epiſtola prodi- „tum. In eadem Epiſtola rurſus libri ſum- „ma expoſita, omnia *iisdem articuiis con- „ſona* perhibentur. Quæ cum ita ſint, cum- „que prædictus liber noſtra ſe ſententia

„tueatur, quid de eo ſentiamus, promere „cogimur: non tamen ad hæc extrema „dolentes antea devenimus, quam omnia „conati & experti, ut fraternum animum „flecteremus; omnino neceſſitati cedimus, „ne quisquam in eundem librum conſen„tire nos putet, ac, quod graviſſimum „foret, ne SS. D. N. Papa, quem impen„ſiſſime, & devotiſſime colimus, cuique ut „Capiti fidei indivulſe adhæremus, doctri„næ, quam Romana improbat Eccleſia „ullo modo favere nos arbitretur. Ac pri„mum quidem eorumdem articulorum, „quos prædictus liber commemorat, ea „fuit ratio. Cum apud nos extaret mu„lier, quæ edito libello, cui titulus, *Me„thodus ſuccincta* & aliis ejusmodi, ſparſis„que Manuſcriptis Quietiſtarum factionis „dux eſſe videretur: Ea conſultores tres „dari ſibi poſtulavit, quorum judicio ſta„ret. His Illuſtriſſimus auctor quartus ac„ceſſit. Itaque animus fuit, eam & ejus „aſſeclas, quibusdam finibus coercere, „occupare ſuffragia, atque ex certiſſimis „fidei ſymbolis, ipſaque oratione Domi„nica, ac ſcripturarum & ſanctæ Traditio„nis Virorumque ſpiritualium dogmatibus, „Propoſitiones a Conciliis ac ſede Apoſto„lica vel juſte, vel in ipſo fonte damnatas „indicare, „

„Hic ergo noſtrorum Articulorum ac „Cenſurarum ſcopus, hæc ratio eſt: An „autem

„autem hos articulos, atque censuras præ-
„dictus liber extendat & explicet tantum,
„an vero intervertat, sequentia demon-
„strabunt. Inprimis spes Theologica in
„eo libro tollitur, cum extra statum gratiæ,
„tum inter perfectos in ipso gratiæ statu.
„Extra statum quidem gratiæ, cum dici-
„tur (*a*) ante justificationem in amore spei
„ita amari Deum, ut in eo amore amor
„sui, nempe proprii commodi seu propriæ
„felicitatis, tanquam motivum præcipuum
„dominetur, ipseque motivo divinæ glo-
„riæ prævaleat; unde efficitur, ut spes,
„motivo quippe creato seu commodo pro-
„prio nixa, non sit virtus Theologica, sed
„vitium: Quo etiam fit, ut ei, licet per-
„peram, applicetur illud axioma (*b*) sancti
„Augustini: *Quod non provenit ex principio charitatis, provenit ex cupiditate, atque ab amore illo, qui fons sit ac radix omnium vitiorum*, eorum scilicet, *quæ in nobis Dei Zelantis æmulatio impugnet.*

„Post justificationem vero in statu per-
„fecto sive amoris puri inducitur ea spes
„(*c*) quæ sit quidem in animo, animum
„tamen non moveat: In qua quippe (*d*)
„amor sit purus, nullo motivo utili timo-
„ris, aut spei mixtus (tanquam perfecta
„charitas spem perinde ac timorem foras
„mit-

(*a*) Psal. 3. v. 4. 10. (*b*) Psal. 5. (*c*) Psal. 10. v. 15. 16. 65. &c. (*d*) Ps. 8. v. 17

„mittat) ita ut anima proprii commodi „ratione aut motivo non excitetur: in„centivaque proprii commodi ſcripturis, „traditionibus & Eccleſiæ precibus toties „inculcata perfectis mentibus ſubtrahan„tur.„

„Quæ ſit autem ratio proprii commodi „in toto libro paſſim ita (*e*) explicatur, ut „anima nullo jam deſiderio mercenario te„neatur; neque meriti, neque perfectio„nis, neque felicitatis, aut mercedis etiam „æternæ, eoque redeat omnis ſanctorum „tum antiquorum tum recentiorum ſen„tentia.„

„Hinc univerſim dictum, omne moti„vum mercenarium, ab omnibus virtuti„bus perfectarum animarum excludi: Quod „etiam ſancto Franciſco Saleſio, nullo al„lato loco, imo contra illius multa loca „imputatur.„

„Quo etiam ſpectat illud velle nos „Deum, quatenus eſt noſtrum bonum, „noſtra felicitas, noſtra merces, & qui„dem formaliter ſub hac præciſa ratione; „ſed non propter hanc præciſam rationem: „objectumque formale ſpei, eſſe commo„dum, nempe Deum nobis bonum, nec „tamen ullum eſſe motivum mercenarium: „Quod quidem eſt pugnantia dicere: mo„tivum non motivum inducere: ſpem ipſam „eli-

(*e*) P. 7. 37, 87. &c.

„elidere, quæ movendi animi virtute de„ſtinata ſolo ſpei nomine gaudeat.„

„His ergo, aliisque, dum ſpei retento „nomine, res ipſa tollitur, primi & trige„ſimi primi articuli ex noſtris triginta qua„tuor, de ſpei exercitio omni in ſtatu re„tinendo, ſenſus ad fidem pertinens e„luditur.„

„Neque obſtat, quod his contraria a„liis prædicti libri locis poſita videantur; „revera enim hic liber certis clarisque ac „ipſiſſimis verbis diſſona aſſeverat: Quale „iſtud eſt (f) *Deus vult ut velim Deum quatenus meum bonum eſt, mea felicitas, mea merces:* Recte, & contrarium ſemel iterum„que ſcribitur his ſcilicet verbis (g): *verum quidem eſt, nos non velle Deum, ut eſt noſtra merces, noſtrum bonum, noſtrum commodum, noſtra ſalus, noſtra æterna redemptio ac liberatio, & commodorum maximum:* Quæ „ſententiarum ac verborum tam aperta „contradictio, non erroris excuſatio, ſed „probatio eſt.„

„Quin, univerſim libri ſtylus ita tor„tuoſus eſt, ac lubricus, ut plerisque in „locis nonniſi ſummo labore certus ſenſus „exſculpi, & eliquari poſſit: quod equi„dem doctrinæ male ſibi cohærentis, ne„que tam temperamenta, quam effugia „quærentis indicium eſt.„

„De

(f) P. 29. (g) P. 34. 35.

„De desiderio salutis in libro hæc ha-
„bentur (*h*): *vitæ æternæ desiderium bonum est, sed nihil desiderandum nisi Dei voluntas:*
„Quæ sancto Francisco Salesio imputata,
„non legimus tamen in hujus sancti libris.
„Item in eodem libro habetur: *Duo sunt justorum status, alter resignationis, in quo desideria mercenaria (hoc est salutis æternæ) Dei voluntati submittuntur. Alter sanctæ indifferentiæ, in quo nullum est penitus mercenarium desiderium: exceptis iis casibus, in quibus anima suæ gratiæ deest, nec ei toti plane respondet.*
„Quo etiam referuntur supra memorata,
„non optari salutem, quatenus est nostra
„merces, nostrum bonum &c.„

„Hæc autem omnia de elusis salutis
„æternæ desideriis, etiam motivo spei
„conceptis, & de salutis indifferentia, in
„prædictis articulis, juxta scripturarum
„auctoritatem, non modo ut falsa, verum
„etiam ut erronea respuuntur.„

„Quibus vel maxime damnatur illud,
„quod est in libro (*i*) positum: *Sancta indifferentia admittit generalia desideria omnium latentium voluntatum Dei:* Quibus voluntatibus etiam reprobationis, & aliorum
„& suæ, decreta continentur: & desiderium ad ea usque protenditur.„

„Neque quod idem liber insinuat, ul-
„lus patet æquivocationi locus, cum in
„dictis

(*h*) Psal. 35. v. 146. (*i*) Psal. 40.

„dictis articulis, de salutis indifferentia „omnis æquivocatio sublata sit, clara de„finitione indifferentiæ, quæ eventus hu„jus vitæ, solatiaque sensibilia, nusquam „autem ad salutem, eoque conducentia „pertinere possit.„

„Ad hæc quidem stabilienda, liber „huic articulo videtur initi: *Optandam & postulandam salutem & rem, quam Deus velit:* Quod est rectissimum & ex ipso salu„tis fine repetitum.„

„At in libro exclusive scribitur (*k*), non „illam optari, nisi quia Deus velit: Quo „& proxima ac specifica spei motiva de„trahuntur, & aperitur via ad pessimam „indifferentiæ sententiam, quasi salus sit „ex sese indifferens, nec jussa tanquam „per se expetenda & bona, sed expetenda „tantum quatenus jussa.„

„Quam autem inter se differant res ex„petenda propter Dei voluntatem, & res „non expetenda, nisi propter Dei volun„tatem, demonstrat ipse Auctor jam inde „ab initio, ex sancto Francisco Salesio (*l*) „hæc referens: *magno discrimine secernuntur ista: Deum amo propter bonum, quod ab eo expecto: &, Deum non amo, nisi propter istud bonum:* Unde liquet, quam in diversa „abeant, quæ levi tantum inflexione ver„borum distare videantur.„

„Ex

(*k*) Psalm. 18.
(*l*) Psal. 3. v. 4. Am. Dei l. 2. c. 17.

„Ex ista salutis, quæ toto libro passim „asseritur, indifferentia, hæc prodeunt: *In extremis probationibus invincibiliter animæ esse persuasum, se juste a Deo esse reprobatam*: „Quo statu sacrificium salutis, quod ordi„narie conditionatum est, sit tandem ab„solutum, casu impossibili non tantum pos„sibili, sed etiam reali, seu actuali viso: „Et permittente directore, suæ justæ con„demnationi ac reprobationi anima simpli„citer acquiescat.„

„Quin etiam in eodem statu, inutile „& importunum judicatur, dogma fidei „de bonitate divina in omnes effusa huic „animæ prædicare, aut rationem ullam in „remedium adhibere; Quo nihil est de„speratius.„

„At in prædictis 34. Articulis hæc om„nia diserte repudiantur, cum in nullis „probationibus absolutus consensus admit„tatur: absit, sed tantum ex impossibili & „præsuppositione falsa: præmisso alio ar„ticulo, in quo desperatio omnis excludi„tur, ac nedum director sinere permitta„tur, ut animæ suæ condemnationi ac „justæ reprobationi simpliciter acquiescant: „contra prohibetur, ne omnino eas ac„quiescere sinant: quin etiam diserte & „clare non a prædicando divinæ bonitatis „dogmate abstineri suadetur; ut est in libro „positum (*m*): imo vero Director jubetur, „Fran-

(*m*) P. 57. 58.

„Franciſco Saleſio auctore, afflictam ani„mam certiorem facere, nunquam eam „eſſe a Deo deſerendam; quo non modo „Dei erga omnes homines bonitas gene„ratim, ſed etiam ſpecialis erga hanc ani„mam divinæ Miſericordiæ affectus com„mendatur.„

„Ad hæc in articulis virtutes omnes „tum Theologicæ exhibentur ac ſecernun„tur: at eorum diſtinctionem liber obſcu„rat his verbis: *purus amor per ſe totam vitam interiorem conſtituit:* ſitque ſolus to„tius interioris vitæ unicum principium, „unicumque motivum ſive incitamentum. „Reliqua ergo incitamenta tolluntur, præ„ter illa, quæ ſunt ſolius charitatis: quin „etiam ſua charitati ratio adimi videtur, „cum dicitur (*n*): *Hic amor ſit per vices quævis diſtincta virtus, nullam tamen expetit, in quantum eſt virtus,* ſic neque fides ut fi„des, neque ſpes ut ſpes, neque ipſa cha„ritas, quæ vita, & forma virtutum eſt, „ut eſt virtus, quæritur. Hinc omnibus „virtutibus ſuus honos detrahitur his pro„poſitionibus: *puro amore id effici, ut neque quisquam virtutis ſtudioſus eſſe velit, nec quisquam ſit virtutis ſtudioſior, quam is, qui virtuti non ſtudet.* Unde illud extremum, & „hactenus inauditum: *ſancti Myſtici ab hoc ſtatu*

(*n*) P. 144.

ſtatu excluſere praxin, & virtutem actus, „quæ paradoxa & animum a ſtudio vir„tutis avertunt, & imponunt ſpiritualibus „viris, & ipſum virtutis nomen ſuſpectum, invidioſumque efficiunt.„

„His conſonat iſtud (o): *animas transformatas ex præſente diſciplina venalia peccata confeſſas, deteſtari culpas, & remiſſionem peccatorum optare, non ut purificationem & liberationem propriam, ſed ut rem, quam Deus vult:* quod proprium & intrinſecum pœni„tentiæ motivum obliterat, & Articulo „noſtro XV. adverſatur: nec probandum „confeſſionem venialium peccatorum ad „præſentem tantum referri diſciplinam.„

„De concupiſcentia in quibusdam ani„mabus, etſi pauciſſimis perfecte purgata, „ſuſpenſisque ejus ſenſibilibus affectibus, „& carne jam diu penitus ſpiritui ſubdita, „in libro id afferitur, quod articulo noſtro „ſeptimo, & octavo ex Conciliis deprom„pto aperte contradicit. Unde etiam „eo auctor adducitur, ut mortificationis „utilitatem, neceſſitatemque extenuet, re„clamante licet Apoſtolo, & Sanctorum „praxi, faveatque doctrinæ Articulo no„ſtro XVIII. cenſurisque proſcriptæ.„

„De contemplatione in libro iſta pro„muntur (p): *cum pura & directa eſt, nunquam eam voluntarie occupari ulla imagine ſenſibili, ulla*

(o) P. 155. (p) P. 120. 121. 122.

ulla idea Divinitatis, distincta & nominabili, „hoc est, *limitata, sed tantum purissima atque abstractissima ratione entis illimitati:* in „alia ergo objecta, hoc est, in attributa „quævis, personasque divinas, atque adeo „in ipsam Christi humanitatem, non pro„pria electione ferri, sed repræsentante „Deo, nec nisi instinctu & impressione gra„tiæ singularis, quippe qua animus non „voluntarie his objectis adhærescat, quasi „non sufficiat ad hæc prosequenda ipsa „rei bonitas, ipsa scripturæ invitatio, ipsa „cum gratia communi propriæ electio vo„luntatis.„

„Ex his eo devenitur, ut animæ con„templativæ duobus in statibus Christo di„stincte viso, ac per fidem præsente pri„ventur: nempe in ipsis contemplationis „initiis & in probationibus, qui status diu„tissime protrahi & prorogari possunt.„

„Nec piget distinctam visionem Christi „in ipsa contemplationis intervalla conji„cere, quasi Christum contemplari, sit, ut „Beguardi ajebant, a puritate & altitudi„ne contemplationis descendere: quibus „argutiis ac tergiversationibus excusatio „paratur falsis contemplatoribus, qui mi„nus delectentur Christo, nec ad illum „contemplandum sponte prosiliant: a Di„vinis attributis, personisque abstineant: „fidei distinctos actus a contemplatione

„amoveant, eluſis Articulis I. II. III. IV. „& XXIV.„

„In libro ſcribitur (q), *nunquam licitum gratiam prævenire neque quicquam expectare a ſe, propriaque induſtria & propriis conatibus.*

„Quibus dictis totoque libri Artic. XI. „ſi ea, qua par eſt, diligentia perpenda„tur, actus liberi arbitrii, qui propria ex„citatio dicitur, corruit, exſcinditur illud „Davidicum: *præoccupemus faciem ejus*, & „illud: *oratio mea præveniette*, & Auguſtinia„num illud, quo tota divinæ gratiæ di„ſpenſatio nititur (r): *Nec adjuvari poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur:* evertitur quo„que ſolennis diſtinctio Virorum ſpiritua„lium unanimi conſenſu ſecernentium actus „proprii conatus, propriæque induſtriæ „ab actibus infuſis, ac motibus, ſine co„natu proprio, Deo agente & impellente, „impreſſis: quæ & alia ejusmodi partim „evertunt, partim obſcurant, Articulos „XI. XXV. & XXVI.„

„In iisdem Articulis rejicitur abſur„diſſimus, & omnibus ſcripturis, patri„busque inauditus continuus actus, a quie„tiſtis invectus in perfectionis ſtatum: „quem actum Auctor in libro epiſtolaque „reſpuit. Cæterum in idem incommodum „rurſus impingit ipſo nomine Uniformitatis, „tam

(q) P. 44. 62. 63. 65.

(r) De pecc. mer. l. 2. c. 5.

„tam placidæ, tam æquabilis, tam nullo „ſucceſſu, nullo conſpicuo diſcrimine, ut „aliis nullus actus; aliis toto vitæ decurſu „unus idemque continuus actus eſſe vi„deatur.„

„Denique illud imprimis noſtris arti„culis cautum erat, ne, quod omnes con„templativi ac ſpirituales viri uno ore re„jiciunt, Chriſtiana perfectio & ſanctitas „aut purificatio aut omnino interior ſtatus „in oratione paſſiva ſeu quietis, aliisque „extraordinariis reponeretur. At contra „in eo totus verſatur liber, ut eadem ora„tio, ipſaque contemplatio in puriſſimo „amore conſiſtat, qui non modo ſit per ſe „juſtificans, atque purificans, verum e„tiam conſummans atque perficiens, ac „proinde ſumma perfectionis Chriſtianæ.„

„Qua in re multum errat, ac non tan„tum a ſpiritualibus viris, verum etiam „a ſeipſo diſcrepat: a ſpiritualibus quidem, „qui, ſancta Thereſia Duce, Joanne a Jeſu „interprete, Jacobo Alvare Paz aſſecla, „ſancto etiam Franciſco Saleſio aſſentiente, „aliisque permultis, docent, aut ſine ora„tione quietis ad perfectionem poſſe per„tingi, aut eandem orationem ad illa cha„rismata pertinere, quæ gratiis gratis da„tis ſimillima videantur, aut nedum per„ficiens ſit atque conſummans, nequidem „juſtificantem eſſe; quippe quæ cum pec„cato mortali poſſit conſiſtere. A ſeipſo

„autem dissentit, quod passim statuat Chri-
„stianam perfectionem ea in oratione esse
„positam, quæ nihil sit aliud, quam amor
„purissimus, & tamen simul doceat, ple-
„rasque pias animas, atque eos etiam,
„qui singulari titulo *sancti* appellentur, ad
„illud orationis genus, adeoque ad per-
„fectionem pervenire non posse, cum iis
„desit lumen interius, & gratiæ trahentis
„beneficium.„

„Hinc etiam asserit, hanc de puro a-
„more doctrinam, quantumvis in ea Evan-
„gelii absoluta perfectio collocetur illius-
„que sit testis universa traditio, arcanum
„esse quoddam non tantum Christianorum
„vulgo, sed etiam plerisque sanctis occul-
„tandum, atque ideo totum Directoris of-
„ficium eo contineri, ut rem relinquat
„Deo, expectetque unctionem, quæ cor
„aperiat: quasi verbum Evangelii pure
„amaturos adjuvare non debeat, aut ipsa
„unctio verbum salutis excludat.„

„unde consequitur, nec ad omnes e-
„tiam sanctos pertinere illud Christi præ-
„ceptum, *estote perfecti*, imo nec etiam
„summum illud: *diliges* &c. quæ vocatio-
„nis Christianæ perfectioni derogant.„

„Nec minus inter se pugnant ista, pu-
„rissimi amoris, contemplationisque do-
„num pendere, a gratia seu afflatu di-
„vino justis omnibus communi, & tamen
„etiam sanctorum plurimis esse inaccessum,
„atque

„atque illis offendiculo, & perturbationi „futurum, si proponeretur. Quæ omnia „a nobis inter se conciliari non posse can„dide profitemur.„

„Hoc igitur, & cætera supradicta, „quæ toto libro fusa sunt, censuris no„stris ac 34. Articulis adversantur; nec „minus ab eadem doctrina & a vero a„liena sunt, quæ sequntur.„

„Primum illud, quod in eodem libro, „& ab initiis, & in ipso progressu, semel „atque iterum falsorum spiritualium series „referatur, in eaque memoratis vetustissi„mis gnosticis, & in media ætate Beguar„dis, in Illuminatis Hispanicis series illa „constiterit: nulla mentione Molinosii facta, „nulla asseclarum ejus, nulla præsertim „illius fæminæ, adversus quam articulos „instructos, & institutos esse constabat: „de quibus vel maxime agi oportebat, „cum eorum libellis, eorumque censuris, „Romano Pontifice auctore, tota Ecclesia „personaret.„

„Huc accedunt istæ propositiones: *Quod amor puræ concupiscentiæ etsi impius ac sacrilegus, ad justitiam tamen, & ad conversionem præparet animas peccatrices*: cum reipsa „præparatio non competat, nisi motibus „a spiritu Sancto, saltem impellente, ex„citatis.„

Quod amor justificans, quo propria felicitas ideo tantum requiritur, ut medium ad fi-

nem ultimum, Dei ſcilicet, gloriam, relatum, eique ſubordinatum, toto libro mercenarius „vocitetur: repugnante Schola, ſpretoque „axiomate Auguſtiniano apud Theologos „celebrato; *Nobis ad certam regulam ſequi fas eſt.*

Quod caſus impoſſibilis, nempe, ut anima juſta Deum, licet usque in finem diligens, æterno tamen ſupplicio mulctetur, fiat poſſibilis, „quodque S. Franciſcus Saleſius ſibi in eo „ſtatu fuiſſe viſus ſit: quod quidem neque „ipſe tradidit, neque vitæ ejus auctores, „nec culquam animæ juſtæ perſuaſum eſſe „potuit.„

Quod actus directi, & qui animæ reflectentis effugiunt aciem, ſint illa ipſiſſima operatio, quam ſanctus Franciſcus Saleſius apicem mentis appellet, nullo ejusdem ſancti allato teſtimonio comprobatur.„

„Quod in his conſtituatur illa animæ „a ſe divulſæ mira, & inaudita diviſio, „qua *perfecta ſpes in ſumma parte conſiſtat, inferiori vero deſperatio*, quodque eſt peſſi„mum illa in directis actibus, hæc in re„flexis, qui ex ſeſe ſunt deliberatiſſimi, „ac efficaciſſimi, præſertim cum a Dire„ctore permittuntur, ita, ut ſpes in acti„bus directis, etiam a reflexis actibus ab„dicata perſiſtat. Quod in hac diviſione „animæ involuntaria deſperationis impreſ„ſione laborantis, ac propriam ſalutem „abſolute devoventis, eadem anima cum „Chri-

„Chriſto expiret in cruce dicens, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* quaſi „deſperatæ animæ expirent cum Chriſto, „cum Chriſto deplorent, ſe eſſe derelictas.„

„Quod in illis extremis probationibus „fiat illa ſeparatio animæ a ſeipſa ad exem„plum Chriſti exemplaris noſtri: in quo „pars inferior non communicabat ſuperiori „involuntarias perturbationes ſuas: quod„que in hac ſeparatione, motus inferioris „partis noſtræ cæci ſint, & involuntariæ „perturbationis: quaſi in Chriſto, ut in „nobis, fuerint involuntariæ illæ pertur„bationes: quod *abominandæ* opinionis „eſſe, probante Synodo ſexta (*s*), Sophro„nius ille celeberrimus pronuntiavit.„

„Quod autem in libro aſſidue incul„catur traditio omnium ſæculorum, id „quale ſit, ex uno Franciſco Saleſio æſti„mari poteſt: qui cum in eodem libro „unus omnium fere adducatur, & in ore „habeatur: in eo tamen allegando ſæpius „aberratur: idque in rebus graviſſimis, „quibus tota libri ratio nititur: quæ in „ante dictis ex parte indicata, brevitatis „cauſſa nunc quidem mitti, & in aliam „occaſionem, ut & alia multa differri „placuit: quemadmodum, & alia, quæ „ſpectant ad orationem vocalem; contem„plationis, actuum humanorum, & pro-

(*s*) Conc. 6. Art. XI.

„bationum naturam, ac tres notas, quibus „a meditatione ad contemplationem vo„catio dignoſcitur, & varia ſcripturæ loca „a nativo ſenſu ad novum & inauditum „translata.„

„Miramur præterea, altum eſſe in li„bro ſilentium de amore gratitudinis erga „Deum, & Redemptorem Chriſtum, cum „de perfectorum amore agitur; tanquam „hæc ad veram genuinamque charitatem „inflammandam, & excitandam minime „pertinerent, aut puro amori derogarent, „aut a perfectis ea prætermitti opor„teret.„

„Nec minus miramur, quod cum in „libro laudatum fuerit decretum Concilii „Tridentini (*t*), ſpem per ſeſe eſſe bo„nam, ac bonis congruentem definientis, „illud tamen prætermiſſum ſit ex eodem „decreto, ſanctiſſimos quosque ac per„fectiſſimos, quales fuere David ac Mo„ſes, eo incitamento eſſe permotos: unde „patet, quantum Auctor a Concilii mente „receſſerit, cum præſertim eodem Con„cilio docente, *omnibus bene operantibus us„que in finem & in Deo ſperantibus*, ac proin„de optimo cuique & perfectiſſimo, *vita æter-*

(*t*) Seſſ. VI. Cap. 1.

æterna tanquam merces proponenda sit, quo „motivo non mercenarii *fiunt*, sed filii „paternæ hæreditatis ex ipsa charitate „studiosi.„

„Huc accedit, quod dogmata in li„bro tradita eo tendant, invito licet au„ctore, ut actuum directorum beneficio „vitium cum virtute opposita stare possit, „ut, dum anima justitiæ divinæ præpo„stero studio, omnibus occultis Dei vo„luntatibus acquiescit, in plenam & ab„solutam reprobationem imprudens con„sentiat, & ut quod vetat Apostolus, *ad subtilia & vaniloqua deducamur.*

„Postremo Ecclesiæ peregrinantis, atque in patriam suspirantis extinguuntur gemitus: Paulus & alii inter ipsa Martyria expectantes beatam spem, atque hoc lucrum reposcentes inter mercenarios ablegantur. Nos vero *formam habentes sanorum verborum*, sanctorumque vestigiis inhærentes, rebus impossibilibus & absurdis Christianam pietatem perfectionemque minime metimur. Nec insolitos affectus, quos pauci Sanctorum parce transeunterque effuderunt, confestim in regulam & in vitæ statum verti oportere credimus: neque has voluntates consensionesve, quæ circa impossi-

possibilia versantur, veras voluntates consensionesque, sed velleitates more Scholæ appellamus.

Hæc igitur vera a majoribus accepimus, hæc sentimus, hæc omnibus testata esse volumus.

Ludovicus Anton. Arch.
Parisiensis.

J. Benignus Episc. Meldensis.
Paulus Episc. Carnotensis.

INDEX

INDEX
TOMI LXVI.

A.

Adolphus Bipontinus Dux ejurata hæresi fidem Catholicam profitetur, 582.
Agreda Maria, ejus civitas Mystica a Sorbona proscribitur, 335. ab aliis propugnatur, 349. S. Congregationis judicium de ea, 371.
Aguire Saenz Josephus Ord. S. Benedicti Cardinalis, ejus vita, obitus, scripta & elogium, 430.
Alexiovicius Moscoviæ Dux moritur, 382.
Amor Dei quisnam in Sacramento Pœnitentiæ requiritur, 564.
Angli Catholicos dire vexant, 458.
Antelmus Josephus Canonicus, ejus opera & obitus, 451.
Anton Natalis Jesuita, editis quibusdam libris moritur, 729.
Aquillar de Corduba, Alphonsus ab Innocentio XII. Purpuratorum Senatui accensetur, 447. moritur, 532.
Arginto Josephus ab Innocentio XII. Cardinalium Collegio adscribitur, 534.

Arnal-

Arnaldus Antonius olim Sorbonæ Doctor, ejus mors, 259. ejus libri, fata & epitaphium, 261. 266.
Arnaldus fictus dolo a Janseniſtis confeſſionem ſuæ ſectæ extorquet, 8. tandem ſeſe manifeſtat, & eos inſectatur, 28.
Arnswanger Joannes relictis pluribus libris moritur, 390.
Arquien Henricus ab Innocentio XII. Cardinalium Collegio adſcribitur, 301.
Aſti Marcellus ab Innocentio XII. Romana Purpura decoratur, 534.
Auberus Ludovicus ejus deceſſus & lucubrationes, 268.
Avuhaf Iſaac, ejus ſcripta & obitus, 179.

B.

Badius Raphael Ord. FF. Præd. relictis pluribus ſcriptis decedit, 323.
Bænus Petrus moritur, quænam ſcripſerit, 390.
Bailletus Adrianus ejus liber de devotione B. V. proſcribitur, 294.
Baier Joannes, plures libros ſcribit, ac moritur, 325.
Bartholomæus S. Apoſtolus, ejus Corpus Beneventi reperitur, 475.
Basnage Antonius, ejus obitus & ſcripta, 56.
Basnage Henricus, quænam ſcripſerit, moritur, 730.

Baxter Richardus, moritur, quænam ſcripſerit, 57.
Belgradum a Cæſareis incaſſum tentatur, 157.
Bernard Eduardus editis pluribus libris moritur, 390.
Bertha Ludovicus Ord. FF. Præd. ejus lucubrationes & mors, 452.
Beſcheferus Germanus Jeſuita erroneam ſuam propoſitionem humillime revocat, 521.
Bichius Antonius Cardinalis, ejus elogium, & obitus, 44.
Blanc Le moritur, ob relicta ſcripta celebris, 487.
Bois du Gerardus Oratorii Presbyter relictis pluribus libris decedit, 388.
Bollandiſtæ eorum acta Sanctorum impugnantur, 280. Carmelitas indigne habent, 281. eorum acta ab Inquiſitoribus Hiſpanis damnantur, 283. Principum auctoritate proteguntur, 353. ſilentium eis imponitur, 355.
Boncompagno Jacobus ab Innocentio XII. Romana Purpura decoratur, 301.
Bonnetus Joannes Benedictinus, ejus mors & relicta ſcripta, 91.
Bonviſius Franciſcus Cardinalis, ejus obitus & elogium, 579.
Borgia Eranciſcus ab Innocentio XII. Romana Purpura decoratur, 583.

Boſſue-

Boſſuetius Benignus Meldenſis Epiſcopus hæreticos convertendi methodum præſcribit, 31. ejus judicium de Dupini libris, 136. Guioniæ deliria diſcutit, 291. Fenelonum Cameracenſem Archiepiſcopum ob Quietismi ſuſpicionem exagitat, 492. 494. eundem apud Regem defert, 495. cauſſam ad Papam devolvit, 495. a ſuo rigore quicquam remittit, 497. Feneloni errores a Sorbona perſtringi curat, 498. eorum damnationem Romæ urget, 498.

Bouthelier de Rancé Abbas de La Trappe moritur, ejus ſcripta, & variæ contentiones, 606.

Bouillaud Ismael moritur, quos libros poſteris reliquerit, 267.

Bouquin Carolus Ord. FF. Præd. decedit, ob relicta ſcripta celebris, 489.

Brœmerus Chriſtianus, quænam ſcripſerit, 733.

Breverus Joannes, ejus opera & deceſſus, 733.

Brillmacker Jeſuita editis pluribus libris veneno enecatur, 323.

Brouſſon Claudius moritur, ob ſua ſcripta celebris, 400.

Brito Joannes Jeſuita a Barbaris Maduræ occiditur, 318.

Bufierius Jeſuita Rothomagenſem Archiepiſcopum edito libro impugnaſſe accuſatur, 416. errores in hoc libro contentos dam-

damnare jubetur, 417. non obtemperat, ac propterea exilio mulctatur, 421.
Bullionius Emanuel Cardinalis, adversa ejus fata, 574.
Bulleau Ludovicus Benedictinus, ejus opera & decessus, 177.
Bursanes Joannes editis quibusdam scriptis obit, 729.
Bynæus Antonius moritur, quænam scripserit, 490.

C.

Caccia Fridericus ab Innocentio XII. Romana Purpura decoratur, 301.
Caillyus Parochus, Eucharistiæ mysterium perperam juxta Cartesii principia explicat, 682. revocare cogitur, 683.
Calixtus Fridericus, moritur, quænam scripserit, 733.
Callinicius Patriarcha Constantinopolitanus errores Caryophili damnat, 36.
Cambout Petrus de Coslin ab Innocent. XII. Cardinalium Senatui aggregatur, 446.
Cang-Hi Sinarum Imperator suis Religionis Catholicæ libertatem indulget, 74.
Capisucchius Raymundus Cardinalis, adversa & secunda ejus fata, illius libri, elogium, & obitus, 47.
Carlovicensis pax inter Cæsarem & Turcas, 525.
Cardinales Nepotismum ejurant, 73.

Carmelitæ Discalceati in Persidе Catholicam fidem propagant, 236. a schismaticis expelluntur, 237. revocantur, 238. eorum controversia cum Bollandistis, 281. 354. utrinque silentium imponitur, 357. Jansenii doctrinas tradi prohibent, 331.

Carolus XI. Sueciæ Rex moritur, 450.

Carolus II. Hispaniæ Rex, de ejus successore agitur, 595. moritur, 599. bellum inde ortum, 600.

Cartesius ejus opiniones e Scholis Gallicis eliminantur, 33. juxta ejus principia Eucharistia male explicatur, 682.

Caryophilus Joannes, errores contra Eucharistiam subdole innovare molitur, 36. damnatur, 37.

Castell Schenck Joannes Eucharius Eichstettensis Episcopus moritur, 450.

Casus conscientiæ a Jansenistis fabricatur, 609. Romæ, 615. Parisiis, 627. 636. & Duaci damnatur, 648. ferme omnes illius Approbatores suam decisionem revocant, 635. Lovanienſis Universitas hanc decisionem refellit, 662.

Cavallerini Jacobus ab Innocentio XI. Romana Purpura honoratur, 301.

Cheiseu Urbanus, variis editis libris moritur, 728.

Chisius Flavius Cardinalis, ejus elogium & obitus, 164.

Christianus V. Danorum Rex moritur, 542.

Chryſoſtomus S. ejus homiliæ Gallice redduntur, 137. hæc verſio damnatur, 138.
Ciampinus Joannes moritur, ob relicta ſcripta celebris, 488.
Cibo Alderanus Cardinalis, ejus mors & elogium, 578.
Clemens XI. antea dictus Joannes Franciſcus Albanus in Papam eligitur, 588. huic dignitati vehementer obluctatur, 589. vaticinium de ejus electione, 591. Nepotismum extirpat, 603. Principes Catholicos a bello ob Hiſpaniæ ſucceſſionem dehortatur, 603. fabricati caſus deciſionem diſcuti jubet, 615. damnat, 616. ſuam damnationis Bullam in Galliis recipi ſollicitat, 618. deſuper etiam apud Pariſienſem Archiepiſcopum inſtat, 621. Regi grates agit, 624. ob impendens ditioni Eccleſiaſticæ bellum anxiis curis agitatur, 687. ob tumultus Gallorum Romæ concitatos affligitur, 689. ob Neapolitani feudi tributum exagitatur, 690. Principes hortatur, ne Brandeburgico Marchioni Regis titulum tribuerent, 691. ob violentiam Leodienſi Decano illatam Electorem Colonienſem reprehendit, 695. Leodienſibus Canonicis ab eo vexatis opem pollicetur, 698. Ruthenorum unionem cum Eccleſia promoveri petit, 700. Poloniæ Regem hæreticorum molitionibus obſiſtere rogat, 701. Orientalibus Catholicis

licis per Turcas vexatis opem ferri rogat, 702. Maigroti in Sinis Vicarii Zelum commendat, 703. immunitatem Ecclesiasticam vindicat, 704. Regulares Episcopi visitatione gravatos tuetur, 715. diversas Constitutiones & epistolas edit, 725. a Cameracensi Archiepiscopo literas recipit, 738.

Cleri Gallicani comitia, in illis Præsules sententiam de verisimilitudine Religionis Christianæ damnant, 118. jurisdictionem Ecclesiasticam restitui, a lege efflagitant, 293. comitia agit, 556. varia edit decreta, 561. quasdam Jansenistarum propositiones damnat, 562. probabilismum proscribit, 505. Jansenistarum libros & effugia damnat, 570.

Colberg Daniel moritur, quænam scripserit, 890.

Colbertus Rothomagensis Archiepiscopus suo Clero quosdam præscribit libros, 416. propterea Scriptotenus a Jesuitis impugnatur, 417. eos ad palinodiam compellit, 418.

Colomesius Paulus, ejus scripta & obitus, 93.

Colonitsius Cardinalis hæreticorum conversioni strenue insudat, 31.

Concilia Brugense & Cæsanatense, 175. Monasterienſe, 256. Namurcense, 483. Metense, 543. Eichstettense, 602.

Conclave pro electione Clementis XI. 2.

Congregationes Sacræ, earum deciſiones, 53. 87. 173. 254. 385. 516. 447. 481. 538. 604.
Conti Joannes Cardinalis, ejus obitus & elogium, 477.
Cornarus Georgius Cardinalis ab Innocentio XII. creatur, 446.
Crucius Sancta Andreas ab Innocentio XII. Romana Purpura decoratur, 534.
Cuprolius Ahmetes Turcarum Vezirius a Cæſareis profligatur, 40. occumbit, 42.
Czeremetes Boriſius Moſcoviæ Ducis Legatus Romam venit, 461. ſui Ducis nomine unionem cum Eccleſia Romana ſpondet, 462.
Cyz Maria, celebris Virgo moritur, 51.

D.

Delphinus Joannes Cardinalis, ejus obitus & elogium, 552.
Delphinus Daniel Marcus ab Innocentio XII. Romana Purpura decoratur, 534.
Duacenſes Doctores turpiter a ficto Arnaldo decipiuntur, 9. ſe Janſeniſtas produnt, 9. Univerſitas caſus famoſi deciſionem confutat, 648.
Dupinus Elias Sorbonæ Doctor, ex ejus Bibliotheca errores decerpuntur, 119. eos explicat, 120. & revocat, 133. errores ejus Pariſiis damnantur, 133. ob caſus approbationem exilio mulctatur, 625. 635.

E.

Eleonora Lotharingiæ Ducis Conjux moritur, 451.

Eliſabetha Maria Bipontina Princeps ejurata hæreſi fidem Catholicam amplectitur, 582. a Papa commendatur, 700.

Etiannot Claudius Benedictinus moritur, ob relicta ſcripta celebris, 546.

Euchariſtiæ Myſterium perperam juxta Carteſii principia explicatur, 682.

Eugenius Sabaudiæ Princeps Cæſarei exercitus Dux Gallos ſua fama fugat, 38. Turcas apud Zentam internecina clade delet, 437. a ſuis æmulis apud Cæſarem accuſatur, 443. vindicatur, 444. in Italiam cum copiis ſuis penetrat, 688. iterato Gallos fundit, 689.

F.

Fabritius Joannes, editis quibusdam libris moritur, 453.

Falckius Nathanael, ejus ſcripta & obitus, 179.

Felibien Andreas relictis pluribus ſcriptis moritur, 323.

Fenelon de Salignac Cameracenſis Archiepiſcopus Gujoniæ fanaticæ mulieris libros examinari petit, 288. de quietismo inſimulatur, 491. erroribus ex Gujoniæ libris extractis ſubſcribere renuit, 492.

492. librum sub titulo. *Placita Sanctorum* edit, 492. propterea apud Franciæ Regem de Quietismo accusatur, 493. a Bossuetio acriter impugnatur, 494. caussam suam ad Papam devolvit, 496. ejus liber Romæ examinatur, 497. a Papa damnatur, 498. apud Clerum suum se excusat, 507. ipsus quicquam ab aliis in libri sui defensionem scribi vetat, 511. suos suffraganeos hortatur, ut sese Pontificis decisioni submittant, 512. ad Papam humillimas perscribit literas, 515. ejus submissio deprædicatur, 519. suum librum Pontifici offert, 738.

Ferandt Ludovicus, ejus scripta & obitus, 545.

Ferrari Thomas Maria ab Innocentio XII. Cardinalium Collegio aggregatur, 301.

Fere Franciscus moritur, ob suos libros celebris, 546.

Fiume Ignatius Ord. FF. Præd. moritur, quænam scripserit, 269.

Flavel Petrus Jesuita errorem circa Humanitatem Christi propugnat, sed revocat, 478.

Fontana, ejus depravata versio S. Chrysostomi proscribitur, 137. suos errores revocat, 138.

Fosse Petrus Thomas moritur, ob scriptos libros celebris, 488.

Franciſci Erasmus ejus ſcripta & deceſſus, 271.
Franſonus Jacobus Cardinalis, ejus obitus & elogium, 444.
Fridericus Auguſtus Saxoniæ Elector in Poloniæ Regem proclamatur, 381. ſuam converſionem ad fidem Catholicam Pontifici ſignificat, 472.
Friſche Chriſtophorus Benedictinus, ejus ſcripta & obitus, 177.
Fritſchius Ahasverus moritur, quænam ſcripſerit, 733.
Fuetius Chriſtianus, editis pluribus libris moritur, 325.

G.

Gabrieli de Citte Joannes Maria ab Innocentio XII. Cardinalium Collegio accenſetur, 534.
Galli Cæſari obloquuntur, 58. caſtigantur, 51. plures Provincias ferro & flamma devaſtant, 82. 158. Præſules Sedi Apoſtolicæ reconciliari efflagitant, 96. in Belgio victores Galli, 162. cum Sabaudo clam pacem ineunt, 362. e variis urbibus expelluntur, 308. Præſules Sfondrati Cardinalis Nodum Prædeſtinationis apud Papam denuntiant, 391. in Italia a Cæſareis profligantur, 688. Neapolitani Regni tributum doloſe obtrudunt, 690.

Garret Joannes editis pluribus libris decedit, 320.
Georgius Wirtenbergico - Belligardenſis Dux moritur, 601.
Germain Michael Benedictinus moritur, quos libros poſteritati reliquerit, 268.
Gerbaiſius Joannes Sorbonæ Doctor, ejus ſcripta & fata, 545.
Gervaſius a S. Elia Carmelita Diſcalceatus relictis pluribus libris moritur, 390.
Ginettus Joannes Franciſcus Cardinalis, ejus elogium & obitus, 46.
Gonzalez Thyrſus Jeſuitarum Generalis probabilitatem impugnat, 239. a ſuis male habetur, 239. a Papa protegitur, 240.
Graft Joannes, editis pluribus libris moritur, 325.
Grandi Boniſacius Ord. FF. Præd. ejus obitus & ſcripta, 56.
Gribonus Anſelmus Ord. S. Aug. moritur, quos libros poſteris reliquerit, 269.
Grimaldus Moncæi Princeps Regis Gallici Orator ex faſtidio moritur, 722.
Grimanus Vincentius ab Innocentio XII. Purpuratorum Collegio adſcribitur, 445.
Groſtete Marinus Calvini ſectam ejurat, 269.
Guionia Joanna de Quietismo ſuſpecta, 288. ejus cauſſa diſcutitur, 289. reprobatur, 292. moritur, 294.

Guttenberg Joannes Gottefridus Herbipolensis Episcopus decedit, 485. ejus elogium, 485.

H.

Hæberlinus Georgius moritur, quænam scripserit, 547.
Hammus Petrus Oratorii Presbyter ob Jansenii favorem damnatur, 707.
Harlæus Franciscus Parisiensis Archiepiscopus in Doctores de Jansenismo suspectos inquirit, 25. Dupini Bibliothecam damnat, 119 133. versionem Gallicam S. Chrysostomi depravatam proscribit, 137. moritur, ejus laudes, 313.
Hasenmiller Daniel, ejus scripta & obitus, 57.
Heideggerus Joannes Henricus moritur, ob convitia libris suis insperfa infamis, 489.
Heidelberga a Gallis fæde devastatur, 159.
Heisterus Cæsaris Bellidux Jenæam Turcis eripit, 157.
Helmond Franciscus, ejus scripta & obitus, 547.
Hennebel Libertus suo Archiepiscopo juramentum de facto Jansenii exigenti obsistit, 145. ejus epistola hanc in rem ad S. Cardinalium Congregationem, 146. rem decidi petit, 151. suos tanquam hæreticos traduci queritur, 152. suam mentem explicat, 154. Pontificis decretum sinistre interpretatur, 187. contra Docto-

Doctorem Martin declamat, 202. Janseniſtarum cauſſam coram S. Congregatione defendit, 326. eos, qui ſuam caſus deciſionem revocarunt, inſurgit, 673.

Henningius Joannes, ejus ſcripta & obitus, 325.

Hermanus, Badenſis Marchio Catholicus moritur, 51.

Hildebrandus Joachimus, ejus ſcripta & obitus, 57.

Hinckelmanus Abraham editis pluribus libris moritur, 324.

Hiſpani a Gallis damna patiuntur, 38. 247. de hæreditate hujus Regni plures Principes contendunt, 595.

Honoratus Jeſuita, religionem Chriſtianam duntaxat eſſe maxime veriſimilem propugnat, 117. hanc ſententiam retractare jubetur, 118. propterea punitur, ejusque ſententia damnatur, 118. ejus propoſitio a Clero Gallicano proſcribitur, 563.

Hovardus Philippus Thomas Cardinalis ejus mors, elogium & fata, 248.

Hugonotæ variis decretis a Franciæ Rege coercentur, 435. novos tumultus concitant, 528.

Humbertus de Precipiano Mechlinienſis Archiepiſcopus, ſuos Eccleſiaſticos jubet, ut circa factum Janſenii jurent, 143. obſiſtunt Lovanienſes Theologi, 145.

hanc

hanc cauſſam dirimit Pontifex, 179. Janſeniſtarum libros damnat, 273. Petrum Hamme ob divenditos Janſeniſtarum libros condemnat, 707. Bullam Papæ recipit, & Clero promulgat, 735.
Hungarorum rebellio contra Cæſarem, 712.

I.

Jacobus II. Angliæ Rex, Gallorum conatus fruſtraneus eum Regno ſuo reddendi, 83. 372. ejus Filia Auriaci Conjux moritur, 314. ejus elogium & fata, 723.
Janſeniſtæ Duacenſes turpiter ab Arnaldo ficto decipiuntur, 8. in exilium amandantur, 15. Pontificum Bullas ſiniſtre interpretantur, 187. 196. ſacra officia in lingua vulgari peragunt, 277. Caſum conſcientiæ fabricant, 609. damnatur a variis, 612. contra Præſules caſus deciſionem damnantes furunt, 675. varia habent conventicula, 683.
Inquiſitio, contra eam tumultus Neapoli concitatur, 73.
Joly Claudius ob ſua ſcripta celebris moritur, 608.
Joannes ab Annuntiatione Carmelita Excalceatus, quænam ſcripſerit, & quando mortuus fuerit, 730.
Joannes Georgius Anhaltinus Dux in prælio occumbit, 51.

Joannes Georgius Saxoniæ Elector Tubingæ decedit, 50. succedit ejus Filius, 50.
Joannes Guilielmus Palatini Elector, a suis Protestantibus perperam accusatur, 465. Mennonitis sua reddere rogatur, 466.
Jesuitæ, eorum contentio cum Archiepiscopo Rothomagensi, 417. & Rhemensi, 421. eis ab Atrebatensi Episcopo confessionis excipiendi & prædicandi facultas demitur, 715.
Immunitas Ecclesiastica a Papa strenue vindicatur, 704.
Ingelheim Anselmus Archiepiscopus atque Elector Moguntinus moritur, 313.
Innocentius XII. antea dictus Antonius Pignatellus in Papam eligitur, 1. hanc dignitatem acceptare recusat, 4. Pauperes Neapolitanos sublevat, 5. Galliæ Præsules sibi devincit, 6. quænam ante Papatum gesserit, 6. variæ ejus Constitutiones, 51. 85. Gallis Cæsari obloquentibus non cedit, 58. Anglos exules sublevat, 60. tumultus Romæ exortos compescit, 60. Constitutionem edit contra Nepotismum, 61. reconciliationis conditiones cum Franciæ Præsulibus proponit, 93. supplices literas ab illis recipit, 96. literas, quibus Franciæ Rex quatuor Cleri Gallicani articulos revocat, in Patrum Senatu prælegit, 99. 100. totam controversiam diri-

dirimit, 104. Dupini Bibliothecam proſcribit, 135. varias edit Conſtitutiones, 171. diſcutit Humberti Mechlinienſis Archiepiſcopi controverſiam, 172. eam dirimit, 179. formulæ ſubſcribi, nil tamen addi præcipit, 185. deſuper ad Belgii Epiſcopos reſcribit, 183. ſiniſtras ſui decreti interpretationes damnat, 196. Maigroti decretum diſcuti jubet, 207. Carmelitas Miſſionarios in Perſide protegit, 138. plures edit Conſtitutiones, 253. quosdam Janſeniſtarum libros damnat, 275. Bailleti librum proſcribit, 294. Cardinales creat, 301. controverſiam inter Bollandiſtas & Carmelitas impoſito ſilentio componit, 357. Sabaudi pacem cum Gallis ratam habere rogatur, 364. Regularium diſciplinam reſtaurat, 375. diverſas edit Conſtitutiones, 383. 315. querelas Gallorum Præſulum contra Sfondrati Nodum excipit, 393. eisdem reſpondet, 412. Moſcoviæ Legatum excipit, 461. cum Cæſare ob feuda contendit, 463. Poloniæ Regis converſionem lætanter excipit, 472. Religionis Zelum in Galliarum Rege commendat, 473. varia condit decreta, 479. Feneloni Cameracenſis Archiepiſcopi librum diſcuti jubet, 498. damnat, 499. ejus Breve in Galliis lætanter recipitur, 507. Feneloni epiſtolam de ejus ſubmiſſione recipit,

cipit, 515. 517. Cardinales creat, 44. 534. 583. æger decumbit, 583. moritur, 584. ejus gesta in Pontificatu, 585. Clemens XI. eidem succedit, 589.

Josephus a S. Maria Carmelita Excalceatus moritur, ejus scripta, 270.

Josephus Maria a Jesu ex eodem Ordine pluribus editis libris decedit, 324.

Josephus Clemens Colonienſis Archiepiscopus in Leodienſem Episcopum eligitur, 245. Gallorum præsidia acceptat, 695. cum Leodienſibus Canonicis severius agit, 695. propterea a Papa redarguitur, 696. Clerum suum a Laicis oppressum juvare, a Papa rogatur, 704.

Josephus Ferdinandus Bavariæ Electoris Filius ac Hispaniæ hæres non sine veneni suspicione moritur, 541. de Hispaniæ hæreditate eidem asserenda agitur, 595.

Josephus Leopoldus Josephi I. Romanorum Regis Filius moritur, 725.

K.

Kiriliowna Natalia Moscoviæ Imperatoris Mater moritur, 257.

Klette Joannes, ejus opera & decessus, 453.

Knob-

Knoblach Joannes Henricus moritur, quænam scripserit, 547.

Kortholt Christianus moritur, quænam ediderit, 271.

L.

Laleus Theologiæ Professor turpiter a ficto Arnaldo decipitur, 9. Jansenianas doctrinas approbat, 15. in exilium detruditur, 29.

Lamberg Joannes Philippus ab Innocentio XII. Romana Purpura decoratur, 583.

Lan de Hyacinthus, Rothomagensis Canonicus exilio plectitur, eoquod casus decisionem revocare renuit, 637.

Lancellotus Claudius relictis pluribus libris decedit, 320.

Lassenius Joannes, ejus scripta & obitus, 93.

Lauria Laurentius Cardinalis a Pontificatu excluditur, 2. moritur, ejus elogium & scripta, 166.

Leibnitzius Gottfredus hæreticos convertendi conatum eludit, 33.

Leodiensis Episcopus moritur, 243. controversia circa Successoris electionem, 244. Canonici Bullionium Cardinalem excludunt, 244. Josephum Clementem Colo-

Colonienſem Archiepiſcopum eligunt, 258. ab eodem Canonici graviter vexantur, 596. a Papa adjuvantur, 698. Clerus a Magiſtratu vexatur, 704.

Leopoldus I. Imperator religionum diſſidia componere nititur, 30. Turcas profligat, 40. Bollandiſtas protegit, 353. Saxoniæ Electorem in Poloniæ Regem eligi urget, 381. vaſallorum homagia expetit invitio Papa, 563. Carlovitzi pacem Turcis concedit, 525. ſuum Filium ad Hiſpaniæ hæreditatem promovere nititur, 596.

Letti Gregorius mordax & mendax ſcriptor moritur, 730. ejus opera, 730.

Lignius Duacenſis Baccalaureus a ficto Arnaldo turpiter deluditur, 8. ſuam ſectam manifeſtat, 14. ex Academia & urbe dolo expellitur, 26.

Lippenius Martinus, ejus ſcripta & obitus, 92.

Lovanienſis Magiſtratus ob Univerſitatis viſitationem carpitur, 707.

Lubin Auguſtinus Ord. S. Auguſtini relictis pluribus ſcriptis moritur, 320.

Ludovicus Badenſis Dux Turcas cædit, 41.

Ludovicus XIV. Franciæ Rex in Duacenſes Theologos de Janſenismo ſuſpectos inquiri jubet, 25. eos in exilium amandat, 29. Carteſii opiniones e ſcholis

eliminari jubet, 33. ejus victoriæ in Belgio, Sabaudia &c. 37. articulos contra Pontificis auctoritatem ſtabilitos revocat, 99. jurisdictionem Eccleſiaſticam reſtituit, 298. Ryswicenſem pacem firmat, 429. edicta contra Hugonotas promulgat, 435. Feneloni Cameracenſis Archiepiſcopi librum Romæ damnari urget, 497. Pontificis Bullam ubique recipi præcipit, 509. a Parlamento Pariſienſi ad acta referri jubet, 510. Hiſpaniæ Monarchiam prenſat, 595. caſus Conſcientiæ Approbatores plectere, a Papa rogatur, 618. eos exilio mulctat, 635.

Lutherani Wormatienſes Catholicos lapidibus inſectantur, 534. & tamen contra Catholicos queruntur, 535. hæc controverſia componitur, 536.

M.

Mahis vide *Groſtate.*

Mahometes IV. Imperator moritur, ejus fata, 170.

Maigrotus Carolus Vicarius Apoſtolicus ad Sinenſe Imperium mittitur, 107. decretum contra ritus Sinenſes promulgat, 108. dubia circa illud a Theologis proponuntur, 207. ob ſuum Zelum a Papa commendatur, 700.

Mainferme Joannes Benedictinus, ejus deceſſus & ſcripta, 176.

Maldachinus Franciſcus Cardinalis moritur, 581.

Malpeſius Canonicus a ficto Arnaldo turpiter deluditur, 8. ſe Janſeniſtam prodit, 9. in exilium detruditur, 29.

Major Joannes moritur, quænam ſcripſerit, 179.

Maierus Gothardus ejus ſcripta & obitus, 179.

Marcheſe Dominicus Ord. FF. Præd. ejus ſcripta & obitus, 92.

Maria Antonia Bavari Electoris Conjux in puerperio moritur, 85.

Maria Anna Philippi IV. Hiſpani Regis uxor decedit, 382.

Maria Sophia Luſitani Regis Conjux moritur, ejus elogium, 544.

Martialis a Conceptione Carmelita, ejus ſcripta & mors, 324.

Martin Andreas Oratorii Sacerdos multis relictis libris moritur, 320.

Maximilianus Emanuel Bavariæ Elector quasdam urbes Gallis eripit, 38. Belgii adminiſtrationem ſuſcipit, 84. moritur ejus conjux, 85.

Mean Baro Leodienſis Eccleſiæ Decanus ab Epiſcopo captus abſtrahitur, 696.

Mechlinienſis controverſia, vid. *Humbertus* Mechlinienſis Senatus Eccleſiaſticos vexat, 706.

Mega Antonius Benedictinus, ejus obitus & ſcripta, 55.

Mellinius Savus Cardinalis moritur, ejus elogium, 718.

Mennonitæ ſuæ ſectæ libertatem doloſe extorquent, 465. Angliæ Rege deprecante in Palatinatu tolerantur, 467.

Mirigius Jacobus Antonius ab Innocentio XII. Romana Purpura decoratur, 479.

Modeſtus a S. Joanne Evangeliſta Carmel. Diſcal. editis pluribus libris moritur, 452.

Moliniſtæ Janſeniſtarum exilium doloſe extorquent, 29.

Molinos Michael Quietiſtarum Parens moritur, 389.

Morhoff Daniel ejus ſcripta & obitus, 57.

Moroſinus Franciſcus Venetorum Dux moritur, ejus laudes, 258.

Müllerus Andreas ejus ſcripta & deceſſus, 270.

Muſtapha Turcarum Imperator numeroſum exercitum in aciem ducit, 205. anciptiti prælio dimicat, 306.

N. *Nea-*

N.

Neapolitani Regni tributum Galli doloſe ſummo Pontifici obtrudere moliuntur, 690.

Nepotismus aula Romana expellitur, 61.

Nicolatius Joannes Ord. FF. Præd. ejus ſcripta & deceſſus, 178.

Nicole Petrus Porturegienſis, pluribus ediris libris moritur, 321.

Noailles Ludovicus in Pariſienſem Archiepiſcopum nominatur, 314. Quesnelli expoſitionem damnat, 315. ob hanc damnationem & approbationem *réflexionum* a Janſeniſtis multum exagitatur, 453. Beſcheferum ad revocationem ſui erroris compellit, 522. ab Innocentio XII. Cardinalis inauguratur, 583. caſus conſcientiæ deciſionem damnat, 627. a Quesnello indigne habetur, 676.

Noris Henricus Ord. S. Auguſt. ab Innocentio XII. Cardinalium Collegio adſcribitur, 301.

O.

Obrecht Ulricus, ejus ſcripta & deceſſus, 729.

Orlandus Matthæus Epiſcopus ex Ordine Carmel. relictis pluribus ſcriptis moritur, 324.

Orſinus Braciani Dux pauper moritur, 486.
Oſiander Jonnnes, ejus opera & obitus, 452.

P.

Pagius Antonius Ord. FF. Min. moritur, ob ejus ſcripta celebris, 544.
Palutius Altierius Albertus Cardinalis moritur, ejus elogium, 475.
Palutius Fabritius ab Innocentio XII. Purpuratorum Senatui aggregatur, 446.479.
Papebrochius Daniel, Carmelitas indigne habet, 353. ei ſilentium indicitur, 357. vid. *Bollandiſtæ*.
Pariſienſis Senatus recurſum ad Sedem Apoſtolicam in prima inſtantin prohibet, 338.
Pariſienſis Univerſitas Janſeniſtarum Theſes cenſuris perſtringit, 25. quasdam Carteſii doctrinas proſcribit, 33. civitatem Dei Mariæ de Agreda proſcribit, 335. librum de Sinenſium religione damnat, 548.
Parochus in diebus feſtis Miſſam pro Parochianis applicare tenetur, 539.
Patin Carolus, ejus lucubrationes & deceſſus, 178.
Pauli Chriſtianus relictis pluribus libris decedit, 390.
Peliſſon Paulus Calvini errores ejurat, 177 moritur, ejus ſcripta, 178,

Petruccius Petrus Matthæus Cardinalis, moritur, ejus elogium, 719.
Perſarum Rex Catholicis fidem propagare permittit, 235.
Petronius Franciſcus ejus opera & obitus, 452.
Petrus Moſcoviæ Dux Legatum Romam decernit, 461. ſeditioſos compeſcit, 463.
Philippus Andegavenſis Dux in Hiſpaniæ Regem ſalutatur, 600.
Philippus Aurelianenſis Dux moritur, 723.
Piccinardi Seraphinus Ord. FF. Præd. relictis pluribus ſcriptis decedit, 323.
Pignatellus Antonius Cardinalis in Papam eligitur, 1. vid. *Clemens XI.*
Placcius Vincentius moritur, ob relicta ſcripta celebris, 546.
Poloni, eorum diſſidia in electione Succeſſoris Regii, 380. reconciliationis articuli, 474.
Porcheron Placidus Benedictinus moritur, quænam ſcripſerit, 269.
Probabilismus a Clero Gallicano proſcribitur, 565.
Problema contra Pariſienſem Archiepiſcopum vulgatur, 453. a Parlamento igni addicitur, 457. quisnam illius Author, 457.
Protocarerus Cardinalis Bavariæ Electoris Filio Hiſpaniæ Monarchiam primo, 595.

& poſtea Andegavenſi Duci aſſerere molitur, 598. Teſtamentum Regi pene mortuo ſupponit, 599.

Pruſſia, Fridericus illius Dux regium titulum ſibimetipſi imponit, 691. obſiſtunt quidam Principes, 692.

Puffendorff Samuel, ejus obitus & ſcripta, 271.

Q.

Quesnellus Paſch. contra Mechlinienſis Archiepiſcopi decretum declamat, 274. ejus expoſitio ab Archiepiſcopo Pariſienſi damnatur, 332. Sfondrati librum impugnat, 474. Archiepiſcopum Pariſienſem indigne inſectatur, 676.

Quietismus, libri de eo ſuſpecti proſcribuntur, 206.

R.

Radolowichus Nicolaus ab Innocentio XII. Cardinalium Collegio accenſetur, 533.

Radziewskius Cardinalis controverſiam Vilnenſis Epiſcopi cum Lithuanorum Belliduce componit, 303. poſt Regis obitum Regnum Poloniæ adminiſtrat, 380. Principi Conti Gallo favet, 381. reconciliationis leges acceptat, 474.

Ragotſius Franciſcus in Cæſaris vitam conſpirat, 712. capitur, 713. fuga in Poloniam elabitur, 713.

Reckius Matthias moritur, quænam scripserit, 733.

Regulares exempti Episcoporum visitationi non subjacent, 715.

Rivetus Canonicus a ficto Arnaldo turpiter deluditur, 8. confessio Jansenianæ doctrinæ dolo ab eo extorquetur, 15. in exilium amandatur, 29.

Rixnerus Henricus, ejus obitus & scripta, 92.

Rotth Albrechtus moritur, quænam scripserit, 734.

Rysuicenſis Pax, 425. controversia de articulo circa religionem, 429.

S.

Sabellus Paulus Cardinalis, ejus elogium & decessus, 251.

Sagittarius Caspar moritur, quænam scripserit, 271.

Sagripantes Josephus ab Innocentio XII. Cardinalium Collegio aggregatur, 301.

Saldenus Guilielmus ejus scripta, moritur, 272.

Sapieha Lithuanorum Bellidux ob militum stationes acriter cum Vilnensi Episcopo colliditur, 302.

Schade Joannes moritur, quænam posteris scripta reliquerit, 490.

Schelſtratus Emanuel ejus ſcripta & obitus, 90.

Schubar Joannes moritur, quos libros ediderit, 179.

Seckendorff Vitus, moritur, ejus ſcripta, 92.

Seckzenius Georgius Strigonienſis Archiepiſcopus moritur, ejus laudes, 312.

Sfondrati Cæleſtinus ab Innocentio XII. Romana Purpura honoratur, 301. moritur, ejus ſcripta, 376. ejus Nodus Prædeſtinationis impugnatur, 391. Romæ a Franciæ Epiſcopis denuntiatur, 392.

Sinenſes Catholicam religionem profiteri permittuntur, 74. circa Ritus Sinenſes recrudeſcit controverſia inter Miſſionarios, 106. Maigroti Vicarii decreto hi ritus prohibentur, 107. liber de eorum religione editus proſcribitur, 548.

Smid Melchior, relictis pluribus libris decedit, 390.

Sobieſckius Joannes Poloniæ Rex controverſiam Epiſcopi Vilnenſis cum Lithuano Belliduce componit, 302. moritur, 397. diſſidia propter Succeſſoris electionem, 380.

Solimanus Turcarum Imperator moritur, 51.

Sperellus Sperelli ab Innocentio XII. Cardinalium Collegio adſcribitur, 534.

Spinola Joannes Baptiſta ab Innocentio XII. Cardinalium Collegio adſcribitur, 301.

Spinola Julius Cardinalis, ejus elogium & obitus, 43.

Spixelius Theophilus, ejus mors & ſcripta, 57.

Stauffenberg Marquardus Bambergenſis Epiſcopus moritur, 170.

Suſa Ludovicus ab Innocentio XII. Cardinalium Collegio accenſetur, 446.

T.

Tachon Chriſtophorus Benedictinus, ejus deceſſus & ſcripta, 177.

Talbotus Petrus Jeſuita moritur, ob ſua ſcripta celebris, 488.

Tanara Sebaſtianus ab Innocentio XII. Purpura Romana decoratur, 301.

Tanruſinus Dominicus Cardinalis creatur, 301.

Tellierus Carolus Rhemenſis Archiepiſcopus Jeſuitarum Theſes damnat, 421. contra ſe ſcribentes ad palinodiam compellit, 422.

Theophilus Raſcianorum Patriarcha ſeſe Eccleſiæ Catholicæ aggregat, 359.

Thomaſſinus Ludovicus Oratorii Sacerdos moritur relictis pluribus libris, 319.

Tille-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tillemontius Sebastianus moritur, 487. ob relicta scripta celebris, 487.

Tournon Thomas Antiochenus Patriarcha a Papa ad Sinas decernitur, 715.

Turcæ a Cæsareis ingenti clade prostrantur, 40. 43. Varadinum amittunt, 79. a Venetis profligantur, 82. Jenæam dedunt, 157. Belgradum strenue defendunt, 157. rursus a Cæsareis cæduntur, 246. quidam fidem Catholicam amplectuntur, 359. ancipiti prælio pugnant, 360. Cæsareos lacessunt, 305. captos ad schismaticorum errores cogunt, 308. apud Zentam internecina clade delentur, 440. a Cæsare pacem Carlovitzi impetrant, 525.

Tussanus a S. Luca Carmelita moritur, ejus scripta, 270.

U.

Valerius Sylvester Venetorum Dux moritur, 601.

Valesius Adrianus, ejus scripta & obitus, 91.

Varadinum majus a Cæsareis expugnatur, 79.

Vari-

Varilaſius Antonius moritur, judicium de ejus libris, 389.

Veneti Turcas profligant, 82. feliciter contra eos dimicant, 307.

Verme Thaddæus ab Innocentio XII. Romana Purpura honoratur, 301.

Veteranius Cæſareus Bellidux Turcas cædit, 43. in prælio occumbit, 306.

Vichard Cæſar Abbas, ejus ſcripta & obitus, 91.

Victor Amadæus Sabaudiæ Dux, inſciis fœderatis cum Gallis pacem inire meditatur ob Gallorum promiſſa, 363. ſuum conſilium variis Principibus manifeſtat, 364.

Victoriis de Carolus Cardinalis, ejus obitus & elogium, 252.

Vilnenſis Epiſcopus, ejus controverſia cum Lithuanorum Belliduce, 302.

W.

Warthon Henricus ejus ſcripta & obitus, 271.

Wilhelmus Auriacus Princeps Angliæ solium invadit, 83. Jacobi II. Angliæ Regis copias propellit, 372. Mennonitarum patrocinium in se susciqit, 466.

Wormatienses Lutherani inique Catholicos infectantur, 535. Capitulum Cathedrale circa nominationem cujusdam Canonici cum Papa colliditur, 537. sese Pontifici subjicit, 538.

ERRATA *sic corrige*:

Pag.	10.	ea	eo
	14.	Sorbona	Sorbonæ
	59.	Romam	Roma
	166.	moralitatem	mortalitatem
	196.	Sedem	Sedes
	198.	ſenſu	ſenſum
	247.	ſuocrum	ſuorum
	260.	tam	tum
	398.	mandatur	mundatur
	477.	haberet	eſſent
	483.	ſuum	ſuam
	497.	quo	qua
	747.	vos	nos
	748.	ſuffragia	ſuffugia
	ibid.	juſte	in ſe
	749.	Pſalm	P.
	751.	&	At

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOM. LXVI.

Th 66
5178

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN